UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae Principia Et Usum Pars ...

Complectens Sectionem I. & II.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1758

urn:nbn:de:hbz:466:1-68048

Visual Library

W. IV. 5.

Th. 5202.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE JURE RERUM ECCLESIASTICARUM AD GERMANIÆ CATHOLICÆ PRINCIPIA ET USUM

PARS PRIOR

COMPLECTENS

SECTIONEM I. & II.

Collegii SS. *AUTORE* Paderb. 1769.

P. FRANC. XAV. ZECH, S. J.
SS. Canon. Profes. Publico & Ordin.

ANNO MDCCLVIII.

Cum Privilegio Cæsareo, & Facultate Superiorum.

Prostat Ingolstadii & Monachii

Apud Joan. Franc. Xav. Cräz Bibliopol. Academ. & Thom. Summer, Aug. Vind.

Typis, Mariæ Annæ Schleigin, Typogr. Acad. Viduæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
SAC. ROM. IMP.
PRINCIPI
AC
EPISCOPO
EUSTETTENSI
RAYMUNDO
ANTONIO

FRANCISCUS XAVERIUS ZECH, SOC. JESU.

FELICITATEM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MUlta me per nonnullos annos a prosequendo opere Institutionum Canonicarum deterruerunt. Novos stimulos addidit singularis TUA, VIGILANTISSIME PRÆSUL, Solicitudo, qua mox post conscensum Thronum Episcopalem, publico Decreto constituisti, non alios ad Clericatus Honorem per Diœcesin TUAM admittendos esse, nisi qui Sanctitatem Morum, & Scientiam sublimi hoc Statu dignam, hoc est TUAM, æmularentur. Cum enim multos ex iis, qui vel Sacræ TUÆ Jurisdictioni jam subjecti sunt, vel subijci per Sacros Ordines unice optant, Auditores Prælectionum mearum quotidie numerem, nihil mihi potius incumbere credebam, quam ut specimen

quod-

quoddam Doctrinæ, qua hos Clericos, aut Clericalium Ordinum Candidatos imbuere conor, Venerando Judicio TUO, SAPIENTISSIME PRINCEPS, submitterem. Non solum Episcopalis Solicitudo, sed etiam Ampliſſimum CANCELLARII Munus, quod in hujate Catholica Bojorum Universitate, post quindecim Prædeceſſores TUOS Sextus Decimus Clementiſſime gerere dignaris, TIBI curam imponit sanæ Doctrinæ sinceritatem tuendi & promovendi, eo certiore effectu, quo sublimius Autoritati Summi Muneris in TE accedit omnigenæ Scientiæ Culmen, & Sanctioris Vitæ illibatus splendor. Si hac graviſſima Autoritate præsens Libellus muniri mereatur, meam in tradenda, TUORUM autem Clericorum in percipienda Doctrina Canonica Alacritatem vehementer animabis.

Quod autem moles hujus Tractatus ultra metas, quas præcedentibus opuscu-lis præfixeram, excreverit, & nihilominus *Jura Rerum Eccleſiaſticarum* non penitus in-

tra illius terminos coërceantur; imputandum unice est sincero studio, quo labores meos Sanctissimis TUIS Votis conformare adlaboro. Ipsæ enim, quæ tractantur materiæ occasionem præbebant attingendi plura Theologiæ Moralis Placita, & Historiæ Ecclesiasticæ Documenta: in utraque hac Disciplina, præter Sacrorum Canonum Peritiam, pleniſſime instructos cupis TUÆ Diœcesis Clericos, PASTOR OPTIME: unde etiam utriusque lineamenta non pauca Doctrinæ Canonicæ admiscui. Ne tamen eos, qui Juri Pontificio se primum tradunt, rerum multitudine obruerem, pleraque uti & selectiorum Autorum nomina, in Notas subjectas conjeci, quas primis studiorum suorum mensibus negligere possunt, donec generalibus imbuti principiis ad pleniorem notitiam hauriendam se excitari sentiant: excitabuntur autem, cum non alia potius ratione se TIBI probandos sciant. Nihilominus his omnibus studioſe perlectis, non obtinuisse necessariam doctri-

ctrinam, sed pro Instituto horum libellorum se solummodo admonitos censebunt de iis, quæ vel ex allegatis Autoribus, vel viva Doctoris voce penitus penetrare studeant.

En PRINCEPS ERUDITISSIME! Oculis TUIS subjicio Oeconomiam duarum, quas Libellus iste complectitur, Sectionum: si Methodum in illis observatam TIBI non displicere videro, imperatum mihi censebo, ut residuas geminas Sectiones absque mora longiore TIBI sistam.

Ut hos meos Conatus Clementissimo TUO Favore sustentes, Sacram Benedictionem imploro, Manumque nuperrime Consecratam demississimo osculo Veneror.

Dabam Ingolstadii VI. Julii Pridie S. WILIBALDI primi Episcopi Eustettensis MDCCLVIII.

OECONOMIA OPERIS.

TRactatus de Jure Rerum Ecclesiasticarum *plures Sectiones exigit. Primum requiritur exacta notitia, quam dabit*

SECTIO I.

De Locis Ecclesiasticis.

Hæc vel sunt Sacra, *vel* Religiosa, *vel* Pia. *Per* Sacra *ipsæ Ecclesiæ intelliguntur. Itaque sit*

Titulus I.

De Ecclesiarum Origine, Forma et Divisione. Fol. 2.

Titulus II.

De Ædificandis et Reparandis Ecclesiis. Fol. 23.

Modum, quo Ecclesiæ ab aliis ædificiis profanis distinguantur, & ad Divinum cultum destinentur, explicat

Titulus III.

De Consecratione, Pollutione et Reconcilia-

LIATIONE ECCLESIARUM ET COEMETERIORUM. Fol. 35.

Præcipua in Eccleſiis functio eſt Sacrificium Deo offerendum, ad quem uſum ſerviunt Altaria. *Unde*

TITULUS IV.

DE ALTARIBUS. Fol. 52.

Hæc conſtructa primitus fuerunt ſuper Sepulchris Martyrum, & adhuc hodie non absque eorum Reliquiis conſecrantur. Convenienter itaque ponitur

TITULUS V.

DE SACRIS RELIQUIIS. Fol. 63.

Ad ornatum Eccleſiarum, & inſtructionem populi ſuſpenduntur Imagines : *harum legitimum uſum oſtendit*

TITULUS VI.

DE SACRIS IMAGINIBUS. Fol. 72.

Inſtrumenta, quibus populus convocatur ad Eccleſias, vel in iis ſuaviter detinetur, recenſet

TITULUS VII.

DE CAMPANIS ET INSTRUMENTIS MUSICIS. Fol. 111.

Alia ad ſacros uſus in Eccleſiis neceſſaria enumerat

Titulus VIII.

De Sacra Templi Supellectile. Fol. 141.

Præter Loca Sacra, *deſtinantur ad Cultum Divinum Loca* Religioſa, *de quibus*

Titulus IX.

De Religiosis Domibus. Fol. 149.

Item Loca Pia, *ad quæ referri poſſunt* Academiæ, Seminaria Clericorum, & Hoſpitalia, *quamvis ea ob autoritatem Eccleſiaſticam, qua erecta ſunt, frequenter locis Religioſis annumerari poſſint.*

Titulus X.

De Academiis. Fol. 174.

Titulus XI.

De Seminariis Clericorum. Fol. 188.

Titulus XII.

De Hospitalibus. Fol. 204.

Poſtquam tractatum fuit de ipſis Locis Eccleſiaſticis, ſequitur

SECTIO II.

De Iis Quæ Peraguntur In Ecclesiis.

Inter

Inter hæc primum locum obtinent Sacramenta: consequenter

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS IN GENERE. Fol. 219.

TITULUS II.

DE BAPTISMO. Fol. 228.

TITULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS. Fol. 251.

TITULUS IV.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO. Fol. 261.

TITULUS V.

DE SACRIFICIO MISSÆ. Fol. 292.

TITULUS VI.

DE POENITENTIA. Fol. 315.

TITULUS VII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS. Fol. 352.

Cum ea, quæ ad Sacramentum Ordinis *pertinent, jam tractata sint in Opusculo de* Hierarchia Ecclesiastica: *agendum hoc loco per plures titulos est de* Matrimonio.

TITULUS VIII.

DE SPONSALIBUS. Fol. 365.

TITU-

TITULUS IX.

DE CONTRACTU ET SACRAMENTO MATRIMONII. Fol. 374.

TITULUS X.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERE. Fol. 384.

TITULUS XI.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS. Fol. 393.

TITULUS XII.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS MATRIMONII. Fol. 400.

TITULUS XIII.

DE DISPENSATIONIBUS CIRCA IMPEDIMENTA MATRIMONII. Fol. 454.

TITULUS XIV.

DE BONIS MATRIMONII, ET OFFICIIS CONJUGUM. Fol. 470.

TITULUS XV.

DE DIVORTIIS, ET DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA. Fol. 493.

TITULUS XVI.

DE SECUNDIS NUPTIIS. Fol. 508.

Sacra-

Sacramentis affinia sunt Sacramentalia : *ad eorum æstimationem fovendam pertinet*

Titulus XVII.

De Sacramentalibus. Fol. 520.

Præter administrationem Sacramentorum & Sacramentalium, *Ecclesiæ etiam locum aptum præbent ad instruendos Fideles. Unde sequitur*

Titulus XVIII.

De Instructione Populi Per Catecheses, et Conciones. Fol. 541.

Insuper Officia Divina *in Templis peraguntur juxta ordinem* Festorum *Dierum ex* Calendario *depromendum. Tradenda igitur notitia*

Titulo XIX.

De Calendario Ecclesiastico. Fol. 559.

Titulo XX.

De Officio Divino. Fol. 616.

Præcipuis Festis Ecclesia præmittit Jejunium & Vigilias. *Præmittendus proin est*

Titulus XXI.

De Jejuniis et Vigiliis. Fol. 641.

Dicen-

Dicendum jam de iis diebus, ad quos indicandos & colendos ordinatur Calendarium, Officium Divinum &c. Præstat id sequens

Titulus XXII.

De Diebus Dominicis et Festis. Fol. 669.

Ultimum obsequium Fidelibus in Loco Sacro aut Religioso exhibendum, est Sepultura & Exequiæ. *Harum Jus explicat*

Titulus XXIII.

De Sepulturis. Fol. 716.

Ex his omnibus legitimam conclusionem facit

Titulus XXIV.

De Reverentia Locis Sacris Debita. Fol. 754.



DE

DE JURE RERUM ECCLESIASTICARUM.

§. 1.

Divisio præsentis tractatus.

UT prosequamur Institutiones Juris Canonici, post PRÆCOGNITA ejusdem, & HIERARCHIAM ECCLESIASTICAM, quæ Jus Personarum explicat, breviter agendum est DE REBUS ECCLESIASTICIS, quæ alterum Objectum Juris constituunt. Materiarum Ilias in nucem compingenda est : apte autem in quatuor Sectiones dividitur. *Prima* aget de ipsis Locis Ecclesiasticis. *Secunda* de iis quæ peraguntur in Ecclesiis. *Tertia* de Bonis Ecclesiarum & Ecclesiasticorum. *Quarta* de Acquisitione & Alienatione Rerum Ecclesiæ.

SECTIO I.

DE LOCIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS I.

DE ECCLESIARUM ORIGINE, FORMA ET DIVISIONE.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 29. & 37.

§. 2.

Discernitur Locus Sacer, Religiosus, & Pius.

PRO evitandis æquivocationibus, præmittendum est discrimen inter *Locum Sacrum*, *Locum Religiosum*, & *Locum Pium*: quod pariter notandum venit de *Re Sacra*, *Religiosa* & *Pia*. Locus *Sacer* dicitur, qui autoritate legitima rite DEO, aut Cultui Divino per Unctionem & sacras ceremonias dedicatus est 1.). Locus *Religiosus* est, qui autoritate Ecclesiastica Divino Cultui, aut piis usibus sine consecratione est destinatus 2.). Templum consecratum, est *Locus Sacer*: Monasteria, Hospitalia autoritate

1.) §. 8. Inst. de Rer. Divis.
2.) C. 4. de Relig. Domib.

ritate Epiſcopi erecta, ſunt *Loca Religioſa.* Neceſſaria ſemper eſt autoritas Eccleſiaſtica, ut locus fiat Juris Divini, & ex commercio humano eximatur 3.). Quando autem locus privata ſolum autoritate piis uſibus deſtinatur (uti oratorium privatum, ædiculæ paſſim in viis publicis pro tranſeuntium devotione conſtructæ) dicitur *Locus Pius*, qui licet ob favorem Pietatis quoad varia privilegia loco ſacro aut religioſo nonnunquam æquiparetur, manet tamen proprie locus *profanus*, prout ſcilicet profanum opponitur ſacro & religioſo 4.). Hinc Loca *Pia* ſunt in dominio privatorum, ac in commercio humano, poſſuntque privata autoritate ad uſus profanos reduci. Concilium tamen Tridentinum 5.)

3.) Denominatio Loci Religioſi per illationem cadaveris §. 9. Inſt. de Rer. Diviſ. huc non pertinet.

4.) *Si quis autoritate ſua quaſi ſacrum ſibi conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum.* cit. §. 8.

5.) Seſſ. XXII. c. 8. de Reform. De Oratoriis in via ſitis Concilium Tolosanum ann. 1590. part. 3. c. 2. ſtatuit: *Oratoria peregrinorum ſublevationi, religionique*

Episcopo tribuit jus visitandi *pia loca omnia* (præter Oratoria Regum) ne scilicet in iis fiat, quod contra decentiam, aut Cultus Divini majestatem cedat.

Loci Sacri nomina.

§. 3. Pro significando Loco Sacro nomen *Templi* est usitatissimum, quo intelligitur *Ædificium DEO consecratum.* Dicebatur etiam *Fanum* aut *Delubrum* apud Gentiles; *Tabernaculum*, *Sanctuarium*, *Sancta*, *Sancta Sanctorum*, *Oraculum*, & Hebraice *Hechal* apud Judæos; apud Christianos vero *Ecclesia*, *Basilica*, *Memoria*, *Martyrium*, *Confessio*, *Titulus*, *Oratorium*, *Cubiculum*, *Sacellum*, *Capella*; Græcorum lingua ιερον, ναον, κυριακον seu *Dominicum*, ex quibus fontibus etiam Germanicæ nonnullæ nuncupationes fluxerunt, *Kirch*, *Dom*, *Dom-Kirch.*

Semper fuerunt Lo-

§. 4. Quamvis veri adoratores DEum, qui Spiritus est, nec in manu-

---

que in viis quam fieri poterit, commode extruantur: suusque illis honos cultusque non secus ac reliquis Ecclesiis conservetur ... quæ vero sacræ imagines in oratoriis effingentur, eæ cancellis interiori sacrarii parte vestiantur, quo tanquam augustiori loco constituta, majorem transeuntibus religionem afferant.

nufactis Templis habitat 6.), in ſpiritu & veritate 7.) absque locorum diſcretione adorent: nihilominus ſemper fideles certa loca, in quibus ad preces fundendas, & Divina Myſteria peragenda convenirent, deſtinarunt, non obſtantibus iis, quæ nonnulli ex quorundam Patrum male intellectis locutionibus inferunt. Certe Apoſtoli convenire ſolebant in cœnaculo montis Sion, ubi Chriſtus ultimam Cœnam celebraverat; poſtea vero elegans Eccleſia erecta, & *Eccleſia Montis Sion*, aut *ſuperior Apoſtolorum Eccleſia*, tempore CYRILLI Epiſcopi Hieroſolymitani 8.) & HIERONYMI 9.) dicta fuit. Therapeutæ in Ægypto, ſive Judæi, ſive Chriſtiani fuerint, temporibus S. MARCI habebant ſua σεμνεια, & Monaſteria, Divino Cultui conſtituta 10.). Forte etiam S. PAULUS non tam ipſam Fidelium congregationem, quam locum, ubi Fideles congregati erant, intelligit, quando dicit:

ca Divino Cultui deſtinata:

6.) Act. XVII. 24.
7.) Joan. IV. 23.
8.) Catecheſ. XVI. n. 2.
9.) Epiſt. 27. Epitaph. Paulæ.
10.) Euseb. Hiſt. Eccl. lib. II. c. 16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam DEI contemnitis . . . 11.)? De sequentibus sæculis clariora Ecclesiarum vestigia passim ab Autoribus colliguntur 12.).

Non tamen sub nomine Templi.

§. 5. A nomine *Templi* abstinebant primi Christiani, tum ob recentem memoriam Templi Hierosolymitani, ne viderentur sectari ceremonias Judaicas; tum ob præsentem vigorem Templorum Ethnicorum, quæ sine mactatione victimæ nec erant, nec intelligebantur; tum quod primis Christianorum temporibus non essent magnificæ hujusmodi moles, quæ potissimum Templi nomine intelligebantur; tum propter augurii superstitionem, qua designabantur ab Ethnicis Templa. Unde ORIGENES 13.), MINUCIUS FELIX 14.), ARNOBIUS 15.), LACTAN-

11.) 1. Cor. XI. 22. De ipso loco textum explicat S. AUGUSTIN. quæstion. 57. in Levit. S. BASILIUS Reg. brev. quæst. 310.
12.) BINGHAM Orig. Eccl. lib. VIII. c. 1.
13.) Contra Celsum lib. VIII.
14.) In Octavio.
15.) Adversus Gentes lib. VI. vid. HERALDI animadvers. in eund. loc.

CTANTIUS16.)non negabant oppoſitionem Gentilium, quod Chriſtiani non haberent Templa : idque nomen in conſuetudinem Chriſtianorum vix prius admiſſum eſt, quam Templa Idolorum vel everterentur, vel clauderentur 17.). Adhuc quarto ſæculo ZENO Veronenſis 18.) & HIERONYMUS 19.) *Eccleſias* Chriſtianorum, & Sanctorum *Baſilicas* opponunt *Templis* Gentilium. Ipſi autem allegati Chriſtianorum Defenſores mentionem faciunt de locis Cultui Divino inter Chriſtianos

16.) Divin. Inſtit. lib. II. c. 2. vid. Jos. Isæi Notæ ad eund. loc.

17.) Aliquoties tamen occurrit nomen Templi cum reſtrictione *Templum DEI*, uti apud S. Ignatium Epiſt. ad Magneſ. Lactantium Div. Inſt. lib. V. c. 2. Item de Mortibus Perſecutor. prope initium.

18.) Serm. de Continentia. Uxorem Chriſtianam marito gentili nuptam alloquitur : *Proponamus itaque, ut ſæpè contingit, in unum ſibimet convenire diverſæ religionis diem, quo tibi Eccleſia, illi adeunda ſint Templa.*

19.) Epiſt. 53. ad Ripar. Presbyt. adverſus Vigilantium, quem adeo inſaniiſſe dicit, *ut cum Juliano perſecutore Sanctorum Baſilicas aut deſtrueret, aut in Templa converteret.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aptatis, dum ORIGENES 20.) commendat eos, qui *ad ornatum Ecclesiæ* prompti, *erga Ecclesiæ cultum* devoti sunt: ARNOBIUS 21.) queritur, *immaniter conventicula dirui, in quibus summus oratur DEus, pax cunctis & venia postulatur Magistratibus, Exercitibus, Regibus &c.*: LACTANTIUS 22.) damnat feritatem cujusdam in Phrygia, *qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit*; & impietatem DIOCLETIANI, qui Nicomediensem *Ecclesiam in alto constitutam* solo adæquari jussit 23.).

Templorum utilitas:

§. 6. Perspiciebant enim primorum etiam sæculorum Fideles non tantum utilitatem, sed & necessitatem deputandi loca aliqua ad Orationem, aliaque pietatis exercitia decentius & devotius peragenda, tum quod hujusmodi Ecclesiæ ab omni profano strepitu remotæ, sua structura & ornatu vivaciorem Ideam de DEi Majestate imprimant, & majo-

20.) Homil. 10. in Josue.
21.) Adversus Gentes lib. IV. prope fin.
22.) Div. Instit. lib. V. c. 11. add. Euseb. hist. Eccl. lib. VIII. c. 23.
23.) Lactant. de Mortib. Persecut. Cap. 12. De Ecclesiarum demolitione loquitur etiam Eusebius loc. cit. c. 2.

majorem erga Religionis noſtræ myſteria reverentiam provocent; tum quod orantium animus frequenti piorum concurſu excitetur, & aliorum exemplo ad DEi cultum magis erigatur; tum quod populus commodius ibi inſtruatur, & Euchariſtia celebretur; tum quod deceat, Reliquias Martyrum honorifice in loco publico conſervari; tum quod DEus preces Fidelium in loco peculiariter ſibi conſecrato fuſas benignius ſuſcipiat & exaudiat. His finibus reſpondent etiam nomina locorum ſacrorum ſupra recenſita 24.).

§. 7. Forma Templorum nec omni tempore, nec in omni loco erat eadem. Primis quidem ſæculis furor perſecutionis non permittebat ſplendida Templorum ædificia, qualia mox ſub CONSTANTINO erecta fuerunt. Pro intelligendis diverſis Canonibus, antiqui Templi ſtructura explicanda eſt. Figuram exhibemus majoris Templi, quam BEVEREGIUS, & JOSEPHUS BINGHAM *Forma antiqua.*

24.) BELLARMIN. tom 2. controv. 4. lib. III. de Cultu Sanct. c. 4.

HAM delineat. 25.) Partes ejus designabimus præcipue ex EUSEBII Panegyrico in laudem PAULINI Episcopi, qui in urbe Tyro magnificum Templum struxerat, dicto 26.): & ex PAULI *Silentiarii* descriptione Ecclesiæ S. Sophiæ, ac commentariis in eandem editis a Carolo DU FRESNE DU CANGE 27.).

Situs: §. 8. Situs Templorum plerumque talis erat, ut præcipuus introitus Occidentem, Sanctuarium autem Orientem versus spectaret. Multa tamen exempla docent, facile hunc situm inversum fuisse 28.), ubi opportunitas loci id exigeret; vel veneratio vicini ædificii suaderet 29.); vel Fana Idolorum, quæ ad

25.) GUILIELM. BEVEREGIUS in Can. II. Concilii Nicæni I. BINGHAM Orig. Eccles. lib. VIII. c. 3.

26.) Hist. Eccl. lib. X. c. 4.


27.) Idem Commentarius auctior continetur in ejusdem autoris Constantinopoli Christiana lib. III.

28.) *Ecclesia Antiochiæ Syriæ contrarium ab aliis Ecclesiis situm habet: nam Altare non ad Orientem, sed ad Occasum spectat.* SOCRATES Hist. Eccl. lib. V. c. 22.

29.) Ex hac causa S. PAULINUS *Nolanus* morem communem non observavit. Sic enim



ad pag. 10.


Ambitus
28
Exterior.
Exedræ.
23
Sacrarium.
Locus Consistentium.
24
Scevophylacium.
Mulierum
Virorum
11
Virorum
Mulierum
Piscina.
26
25
Baptisterium.
Locus Substratorum.
10
Locus Audientium.
9
Pastophoria.
Locus Lugentium.
Locus Hiemantium.
27
3
Atrium
1
28. Ambitus
Exterior.

1. Propylæum.
2. Μεσαυλιον, seu Atrium: Locus Hiemantium.
3. Cantharus seu Phiala.
4. Porticus: Locus Lugentium.
5. Porta Major.
6. Portæ Minores.
7. Januæ ex utraque parte Templi.
8. Porticus pro Lugentibus.
9. Προναος, Narthex, latine Ferula: Locus Catechumenorum, Audientium, Judæorum ac Gentilium.
10. Introitus in Navem Ecclesiæ, græce Naos: in infima parte erant Substrati; in anteriore Consistentes.
11. Ambo, sive Pulpitum.
12. Gradus utrinque in Ambonem.
13. Spatium inferius pro maribus.
14. Ὑπερωα, seu Porticus superiores pro fœminis.
15. Cancelli separantes Presbyterium a reliquo Templo. In medio Porta Sancta.
16. Βημα, Tribunal, Sacrarium, Presbyterium, Chorus.
17. Altare seu Mensa Sancta.
18. Ciborium.
19. Thronus Episcopi.
20. Throni Presbyterorum.
21. Scevophylacium, seu Diaconicum minus.
22. Prothesis, Oblationarium, vel Secretarium.
23. Exedræ.
24. Scevophylacium, seu Diaconicum magnum.
25. Baptisterium.
26. Piscina.
27. Pastophoria.
28. Περιβολος, seu exterior ambitus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad Cultum Divinum traducta sunt, alium situm habuissent 30.). In adjecta figura primum occurrit Vestibulum magnum N. 1. ducens ad Atrium seu Aream, in qua stabant *Hiemantes*, græce χειμαζομενοι, per quos aliqui intelligunt Energumenos; alii graviorum delictorum reos, qui non tantum communione Ecclesiæ, sed etiam exteriori porticu ejecti, pœnitentiam sub dio agere jussi sunt, omni aëris injuriæ expositi 31.). In medio Areæ N. 3. fons erat positus, quo se lavabant Ecclesiam ingressuri: cui apud nos succedere aquæ lustrales 32.). Area erat circumdata Porticibus seu Peristyliis, quæ columnis undique attollebantur, tecto-

Vestibulum.

---

enim scribit Epist. XII. ad Severum: *Prospectus Basilicæ non, ut usitatior mos est, Orientem spectat, sed ad Domini mei Beati Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus aspiciens.*

30.) Vid. Card. Bona Rer. Liturg. lib. I. c. 20. n. 4.

31.) De his loquitur Concil. Ancyran. can. 17. Tertullianus de Pudicitia cap. 4. *non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus &c.*

32.) Vid. Baronius ad ann. 57. n. 107. seq. Du Fresne Constantinop. Christ. lib. III. descript. S. Sophiæ c. 22.

tectoque muniebantur, humiliore tamen, quam fuerit tectum Templi. Hoc loco ſtabant Pœnitentes primæ claſſis, *Lugentes* dicti, interiori adhuc Templo excluſi, & Fidelium in Eccleſiam vadentium preces expetentes. Ejusmodi Porticus ponebantur etiam ad latera Templi N 8. pro recipiendis *Lugentibus*, quando ſcilicet inferius atrium non erat ad hos uſus aptatum.

Narthex: §. 9. Per Portas in Eccleſiam intromiſſis primus occurrebat *Narthex*, ſeu προναος N. 9. ubi hærebant Catechumeni, ac ſecundæ claſſis Pœnitentes, qui plerumque ἀκροωμενοι ſive *Audientes* dicebantur, eo quod hic ſtare & Hymnis, Scripturarum lectioni & ſermonibus a Concionatore fieri ſolitis auſcultare ipſis permiſſum erat: quo facto ſine ullis precibus vel ſolenni benedictione dimittebantur. In hoc Narthece fiebant etiam nocturnæ vigiliæ: & defunctorum cadavera, dum illis juſta perſolvebantur, ante ſepulturam retineri ſolebant. Huc Judæis, Gentilibus, Hæreticis ac Schismaticis nonnunquam veniendi copia fuit data, ut Scripturarum lectioni, & ſermo-

monum recitationi intereſſent ad ſuam inſtructionem.

§. 10. Narthecem ab interiore Templo ſeparabant repagula lignea: per horum Portas patebat introitus in *Navem* Eccleſiæ, ſeu Oratorium Populi. In hujus parte humiliore ſtabant tertii ordinis Pœnitentes, *ſubſtrati*, ita dicti a ritu proſternendi ſe ad pedes Epiſcopi vel Sacerdotis finito ſermone, ut ab eo impoſitis ſibi manibus benedictionem reciperent, & ante ſacræ Communionis celebrationem diſcederent. An quarta Pœnitentium claſſis, quos *Conſiſtentes* vocabant, loca diſtincta habuerint a reliquis fidelibus, non ſatis ex Autoribus colligitur. Certe in navi Eccleſiæ erant & conſiſtebant, Catechumenis aliisque Pœnitentibus jam dimiſſis: nondum tamen oblationem facere, aut Sacrificii Altaris participes eſſe poterant. *Navis*,

§. 11. *Ambo* ſeu Pulpitum editior erat locus Lectoribus & Cantoribus, Clericisque in prima Cultus publici parte, *Miſſa Catechumenorum* dicta, miniſtrantibus aſſignatus. Ex utroque latere erant Fideles, ſeparati tamen mares a fœminis: & viri quidem inferiorem locum occupabant; fœ- *Ejusque diverſæ partes*;

minæ

minæ autem ſupra illos erant in editioribus locis 33.), quæ ὑπερῶα, vulgo κατηχεμενα vocabantur, ubi viri prohibebantur morari cum fæminis, etiam mariti cum uxoribus 34.). Alicubi in iſtis Porticibus ſuperioribus etiam Virgines ſeparatum habebant locum a Nuptis 35.). In Templo etiam S. Sophiæ Conſtantinopoli, Navis Templi continebat σωλειον, ſeu Soleam 36.): quo nomine aliqui

33.) In Eccleſiis, in quibus omnes inferiorem partem Templi occupabant, murus tamen, vel ſepta lignea ſeparabant utrumque ſexum: quem morem aliqui deducunt ex temporibus Apoſtolorum. Sed juxta S. Chrysostom. hom. 74. in Matthæ. *Apoſtolorum tempore una viri & mulieres orabant: & mulieres veræ mulieres, & viri ſimiliter viri erant. Nunc vero e contrario, mulieres quidem meretricum ſibi mores aſſumpſerunt, viri autem furorem equorum imitantur.* Unde ubi Epiſcopus ſuo populo convenire judicaret, novitatis non eſſet arguendus, ſi exemplo S. Caroli Borromæi talem ſeparationem utriusque ſexus inſtitueret in Eccleſiis. Vid. Benedictus XIV. de Synod. Diœceſ. lib. VII. c. 54. n. 8. ſeq.

34.) Synod. Trull. can. 97. Leo Imperator Conſtit. 73.

35.) S. Ambros. ad Virg. laps. c. 6.

36.) Codinus de Officiis &c. cap. 17. n. 23. aliique paſſim.

qui intelligunt Sedem Magiſtratuum extra Cancellos Sanctuarii; alii limen Sanctuarii magis editum, in quo ſtarent Subdiaconi & Lectores extra Cancellos, qui intimam partem Eccleſiæ, quæ βημα, Sacrarium, Sanctuarium, Locus Altaris, Presbyterium, Chorus, aliisque nominibus vocabatur, a reliquo Templo ſeparabant, intromiſſis per Portas ſanctas ſolis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis. Unde S. AMBROSIUS permittere nolebat, ut ipſe Imperator ibi communicaret 37.).

§. 12. Poſitum ibi erat *Altare*, ſeu *Bema*: Menſa ſancta, non parieti contigua, ſed quæ circumiri poſſet. Hæc in ſplendidioribus Templis obtegebatur Umbraculo, Turri, Conopæo, ſeu *Ciborio*, ut Græci vocabant. Vel ex hoc Ciborio, vel ex Cancellis Bematis, vel potius utroque loco pendebant vela, quæ Sacrificium Euchariſticum Conſecrationis tempore obtegerent. Huic Ciborio imponebatur Crux, ſub qua ſæpe pendebat Columba Spiritum Sanctum adumbrans, in qua condebatur pyxis pro con-

37.) Sozom. lib. VII. c. 24. Theodoret. lib. V. c. 17.

conſervanda Euchariſtia 38.). Unde videtur huic ipſi Pyxidi poſtea impoſitum nomen *Ciborii*. Retro Altare erat Thronus Epiſcopi, & ad utrumque latus Throni Presbyterorum in ſemicirculi forma. Tota ſeries Thronorum pro dignitate ſublimiorum ac inferiorum, vocabatur *Synthronus*. Suprema Bematis pars in ſemicirculum efformata, dici ſolet *Abſis*, ſeu Concha Bematis. Intra Bema erat *Scevophilacium*, ſeu Diaconicum minus N. 21. quo Diaconi Veſtimenta, Vaſa & Inſtrumenta ad Altare ſpectantia, ex majore Diaconico deferebant, ut ad ſacram Liturgiam in promptu eſſent. In nonnullis Eccleſiis ex alia parte locus erat, ubi recipiebantur oblationes populi, ex quibus Panis & Vinum ſuper Altari conſecrandum ſumebatur, vocaturque *Prothesis*, ſeu Oblationarium, vel etiam Secretarium N. 22.

§. 13.

38.) Talis Columbæ meminit Mamachius Orig. Chriſt, lib. I. c. 1. §. 9. n. 4. not. 2. Item Acta SSorum tom. II. Junii in Vita S. Baſilii, cui affingitur Autor Amphilochius.

§. 13. *Exedræ* N. 23. generali vocabulo nominabantur omnia ædificia extra Ecclesiam, intra exteriorem tamen ejus ambitum comprehensa. Nonnunquam hæc vox tribuitur etiam Amboni intra Ecclesiam 39.). Inter Exedras, seu ædificia, Templi usibus aptata, præcipuam mentionem meretur *Baptisterium* 40.), non solum Fontem seu *Piscinam* continens, in qua homines mergebantur, & Baptismum suscipiebant; sed etiam instruendis Catechumenis aptatum 41.), & in celebrioribus locis adeo

39.) S. Augustin. lib. XXII. de Civit. DEI. c. 8.

40.) Distincta fuisse Baptisteria pro viris & mulieribus, colligitur ex variis scriptoribus. Huc referunt locum S. Ambrosii in Epist. ad Marcellinam Sororem: *Symbolum aliquibus competentibus in Baptisteriis tradebam Basilicæ.* Aliæ tamen editiones legunt: *in Baptisterii tradebam Basilica.*

41.) Concilium Arausicanum I. ann. 441. can. 19. statuit: *Ad Baptisterium Catechumeni nunquam admittendi*, scilicet qui nondum satis instructi erant ad Baptismum petendum. Admitti enim poterant *Competentes*, qui recte instituti Baptismum petebant. De his vid. S. Augustin. serm.

amplum, ut ibi Concilia celebrata 42.), & plebem Constantinopolitanam tumultuantem, eo se recepisse legamus 43.). Alia Exedra dicebatur Secretarium, sive Diaconicum Magnum, *Scevophylacium* seu Vestiarium, ubi curæ Diaconorum commissa servabantur Vestimenta, Vasa & Instrumenta Altaris. Vel huic conjunctum, vel ad similes usus destinatum erat *Gazophylacium*, ubi reponebantur Oblationes, quæ ad Altare Templi non ferebantur. *Pastophoria* videntur fuisse ædes a Clericis, Ædituis seu Custodibus Ecclesiæ habitatæ, cum Scholis, Bibliothecis &c. ab utroque Ecclesiæ latere. Omnia hæc ædificia cum ipsa interiori Ecclesia, nomine Templi veniebant, muroque erant cincta. Totus hic ambitus Περιβολος dicebatur, intra quem, præsertim in ipsa Ecclesia & Baptisterio, jus Asyli confugien-

serm. de tempore alias 116. nunc rejectus in Appendicem tom. V. part. 2. serm. 267. & Cæsario adscriptus.

42.) Concilium Constantinopol. anno 394.

43.) Paulus Diaconus Histor. Miscell. lib. 19. in fin.

fugientibus dabatur. Ex hac antiqui Templi delineatione multorum Rituum Catholicorum antiquitas ostenditur.

§. 14. Hodierna Templa Catholicorum præcipuam divisionem recipiunt ex diversitate eorum, qui illa regunt; aut functionum, quæ in illis peraguntur. Unde Ecclesia *Cathedralis* dicitur, in qua ipse Episcopus sedem habet, suaque obit Pontificia munia, ac solum ratione Jurisdictionis distinguitur a *Metropolitana*, *Primatiali*, aut *Patriarchali* 44.). *Collegiata* vocatur, in qua Clericorum cœtus statis quotidie horis divina officia celebrat. Usus obtinuit, ut *Collegiata* dicatur Ecclesia Canonicorum Sæcularium; *Conventualis* vero Religiosorum, quæ si Abbatem habet, *Abbatialis* quoque dicitur. *Diaconiæ* nomine veniunt Romanæ Ecclesiæ, quibus Diaconi Cardinales præsunt, ubi scilicet olim Diaconi Regionarii per singulas Urbis regiones residentes, stipem ministrabant *Hodiernorum*

44.) De Ecclesiis Cathedralibus, earumque Privilegiis & Prærogativis Tractatum scripsit Michael Ant. Frances De Urrutigoyti.

egentibus 45.). *Parœcia* 46.), vel corrupto nomine *Parochialis* Eccleſia eſt, in quam certæ viciniæ habitatores pro ſuſceptione Sacramentorum, & audiendo Verbo Divino tributi, atque deſcripti ſunt : dicitur etiam *Baptiſmalis* ob fontem aquæ ad Baptiſmum ſanctificatæ : ejus fines & limites, quos legitima probatione, vel alias indubitata fide conſtat Eccleſiaſtica ordinatione ſtatutos, non præſcribuntur 47.).

Templorum §. 15. Eccleſia *Mater* ſeu *Matrix* nonnunquam illa dicitur, a qua aliæ poſtea ſunt propagatæ 48.). Unde *Hieroſolymitana* a ſecundo Generali Concilio Conſtantinopolitano 49.) Mater omnium Eccleſiarum in toto terrarum orbe nuncupatur : & *Arelatenſis* Mater Gallicarum Eccleſiarum

45.) Baronius in notis ad Martyrol. 8. Auguſt.

46.) Juxta Etymologiam J Cti. in Leg. 239. §. 2. ff. de Verb. Signif.

47.) C. 4. de Paroch. & alienis Parochian. Ex nomine Parœciæ deducunt Germani vocabulum *Pfarr*.

48.) C. 3. de Eccleſ. ædif.

49.) Epiſt. Synod. ad Damaſum apud Theodoret. lib. V. c. 9.

rum 50.). Frequentius *Matricis* Ecclesiæ nuncupatio denotat *Cathedralem* sive Episcopalem 51.), opponendo eam minoribus Titulis, sive Ecclesiis Parochianis, quæ singulos Presbyteros habent, & dictæ reperiuntur Ecclesiæ Diœcesanæ 52.). Eodem nomine significatur Ecclesia primaria oppidi, ac præ aliis dignior 53.): sæpe et am Ecclesia Parochialis, vel intuitu Fontis Baptismalis, ex quo generantur Fideles; vel intuitu minorum Ecclesiarum ipsis unitarum, quæ proin *Filiæ*, seu *Filiales* dicuntur. *Curata* Ecclesia dicitur cujus Rector curam habet animarum, saltem interiorem, uti Parochialis & aliæ multæ: vel etiam exteriorem Jurisdictionem in foro contentioso, ut Abbatialis, Collegiata &c.

§. 16. Ecclesia alia est *Sæcularis*, alia *Regularis* ex conditione Personarum: potest tamen esse beneficium Regulare in Ecclesia sæculari, prout *Variæ*

50.) Libellus precum Episcoporum Gallorum ad Leonem apud BARON. ann. 450.
51.) C. 1. de Præscript. C. 22. de Verb. Signif.
52.) Concil. TARRACON. cap. 8. celebratum ann. 516.
53.) Clement. 1. de Sent. Excom.

contingit, quando Ecclesiæ Parochiales tenentur per Parochum Regularem. Monasteria 54.) nunc vocantur Ecclesiæ quædam majores, in quibus olim Canonica vita, Monasticæ disciplinæ æmula, vigebat. Si autem Monasteriis, quæ a Religiosis incoluntur, unitæ sint aliquæ Ecclesiæ, in quibus Cura animarum erga populum exercetur, eæ in Jure Canonico nominantur *Capellæ Monachorum*, quarum Rectores, etiam Religiosi, ab Episcopo approbantur, & visitantur, nisi Abbatum Jurisdictio quasi Episcopalis, aut singulare privilegium obstet 55.). Hoc nomine etiam veniebant Sacella exteriora, seu Oratoria Religiosorum ac Monialium, ad quæ Laicis quoque patebat accessus. Postquam autem Regulares cœperunt administrare Sacramenta Sæcularibus, & in iisdem Sacellis prædicare, adscripta illa sunt in numerum Ecclesiarum. Aliæ *Capellæ*,

54.) Germanice *Münster*.

55.) De hac subjectione vid. Constitutio Benedicti XIV. quæ incipit *Firmandis*, data 6. Novemb. 1744. Item Geminæ Dissertationes de Parochialitate Primitiva Treviris editæ 1752.

pellæ, seu *Sacella* & *Oratoria publica* passim visuntur, quo nomine veniunt minores Ecclesiæ non Parochiales, Cultui Divino dedicatæ, ad quas aditus permittitur omnibus fidelibus ex publica via.

§. 17. Ex hucusque recensitis Ecclesiis aliquæ sunt *Exemptæ* a Jurisdictione Episcopi, vel Archiepiscopi: aliæ *non Exemptæ*. Omnes intra fines Diœceseos sitæ, præsumuntur subjectæ Episcopo, nisi exemptionem ostendant: non tamen omnes intra fines Parochiarum sitæ Ecclesiæ præsumuntur subjectæ Parocho, nisi iste Jus in illas legitime probet. Denique in ædibus Nobilium passim visuntur *Oratoria privata*, absque autoritate Episcopi ad usus pios ornata (§. 2.) *Divisiones.*

TITULUS II.

DE ÆDIFICANDIS ET REPARANDIS ECCLESIIS.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 48.

§. 18.

IMPERATORIBUS ad Christum conversis, tot ubique Ecclesiæ ædificari *Ad ædificandas Ecclesias*

ri cœperunt, ut modum poni oportuerit, ne scilicet ædificarentur sine autoritate Episcopi 56.). Pontificale Romanum 57.) antiquos Canones his verbis complectitur: *Nemo Ecclesiam ædificet, priusquam Pontificis judicio locus & atrium designentur, & quid ad luminaria, quid ad Rectoris, Ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiæ dotem pertineat, definiatur; & per eum, vel ejus autoritate per Sacerdotem Crux in loco* (ubi debebit esse Altare) *figatur, & lapis primarius* (quadratus & angularis) *in fundamento ponatur.*

requiritur autoritas Ecclesiastica,

§. 19. Oratorii quidem privati pro sua devotione construendi facultatem quilibet habet: in illo tamen nec Sacrificium Missæ offerri, nec Baptismus conferri debet absque autoritate Episcopi 58.), aut singulari

56.) Conc. CHALCEDON. can. 4. JUSTINIANUS Novell. 67. Capitular. Regum Francorum lib. V. c. 382. NICOLAUS Papa c. 8. dist. 1. de Consecr. videtur ad novam constructionem Basilicæ requirere præceptionem Apostolicæ Sedis.

57.) Part. 2. De Benedict. & Imposit. primarii Lapidis.

58.) C. 33. & 34. dist. 1. de Consecrat. lib. V. Capitular. c. 383.

lari Privilegio Sedis Pontificiæ 59.). Oratoria autem publica, Sacella, aut aliæ Ecclesiæ ita admitti possunt, ut populus a Parochiali Ecclesia nimium non abstrahatur: & exstructio fieri non deprehendatur quæstus potius, quam solidæ devotionis causa 60.). Nova Ecclesia Parochialis intra fines alterius Parochiæ erigi nequit sine rationabili causa. Talis autem censetur esse, quando ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt 61.). Citari & audiri debet Rector, Patronus, aliique Ministri veteris Ecclesiæ, aut quorum interest: si isti consentire renuant, & erectio tamen novæ Parochiæ necessaria judicetur ab Episcopo, poterit etiam illis invitis procedi. Ad erectionem Ecclesiæ Collegiatæ requirunt communiter auto-

59.) Gregorius xiii. Constit. *Decet Romanum.* concessit pro Collegiis & Residentiis Societatis JESU.

60.) C. 10. dist. 1. de Consecr.

61.) C. 3. de Eccles. ædif. Conc. Trid. Sess. XXI. c. 4. de Reform.

ritatem Romani Pontificis 62.): multo magis ad Ecclesiam Cathedralem 63.), omnemque aliam novam constituendam, in qua sit Dignitas Ecclesiastica 64.) : ad Regularem autem licentia Episcopi 65.), in cujus Diœcesi ædificant Religiosi etiam Exempti.

Et competens Dos.

§. 20. Ædificari non debet Ecclesia sine competenti dote, sufficiente pro alendis necessariis Ministris, Luminaribus, Paramentis & conservanda Fabrica. Competens vero dos secundum diversitatem Ecclesia-

62.) Lotterius de Re Benefic. lib. I. q. 14. n. 38. seqq.

63.) Frances de Eccles. Cathedral. cap. 3.

64.) Lotter. loc. cit. q. 5. n. 14.

65.) Concil. Trident. Sess. XXV. c. 3. de Regularib. Facultatem novos Conventus Mendicantium erigendi, olim Bonifacius VIII. reservaverat Sedi Apostolicæ. C. un. de Excess. Prælat. in 6. Quamvis igitur hodierno jure requiratur licentia Ordinarii, non tamen censetur excluſa necessitas consensus Pontificii. Hic consensus non debet semper de novo peti ab iis Religiosis, qui generale habent Privilegium ædificandi Monasteria: his enim sufficit sola licentia Ordinarii. Miranda Manual. Prælat. Regul. tom. I. q. 33. art. 1.

clesiarum & locorum consideratur. In Ecclesia Cathedrali debet provideri Mensæ Episcopi, Capitulo, aliisque Ministris. Collegiata dotari debet secundum numerum Collegiatorum, cum Cantoribus, & Lectoribus. Aliæ Ecclesiæ inferiores dotem habere debent pro Rectore & Ministro: item pro recipiendis hospitibus & Juribus Episcopalibus persolvendis 66.).

§. 21. Circa novas Ecclesias construendas in Germania, præter Jus commune, in multis Provinciis favere quoque debet Instrumentum Pacis Westphalicæ, ne ab Acatholicis nuntietur novum opus. Juxta Pacis hujus articulos Domino Territoriali Catholico competit *Jus Reformandi Exercitium Religionis* in locis Acatholicis sibi subjectis, ita ut in hujus Juris exercitio impediri eum non oporteat 67.). Nisi inanem umbram sub nomine *Juris* oblatam Principibus dicere velimus; tenendum firmiter est, eos *impediri* non posse, quo minus Ecclesiam, Catholicis ritibus

In Germania observatur Pax Westphalica.

66.) Vid. PAX JORDAN Elucubr. lib. V. tit. 8. a num. 15.

67.) J. P. W. Art. V. §. 30.

tibus destinandam ædificent in Territorio suo Acatholico, modo non turbent exercitium Religionis anno 1624. observatum in illis locis, pro quibus Instrumento Pacis inserta est ordinatio *Hoc non obstante &c.* 68.): ubi continetur Regula exercitii Acatholici pro quibusdam Regionibus, quo salvo Princeps Catholicus introducere potest exercitium suæ Religionis 69.), hujusque Juris exercendi regula & norma ipsi non est alia, quam doctrina universalis Ecclesiæ, cui, quantum in se est, Princeps exigente Jure Naturali & Divino, tenetur conformare exercitium Religionis suorum subditorum. Hic sensus Pacis Westphalicæ adeo clarus & apertus videtur, ut credibile non censeatur, animo serio aliud sensisse Viros cæteroquin prudentes,

qui

68.) Ibid. §. 31. Historia hujus famosi Paragraphi videri potest in recentissimis libellis Ratisbonæ editis: Documenta Historica de Jure Reformandi. Item Grund-Riß des sogenannten Juris Reformandi. Item Bau-Modele. Item Frage, ob ein Römisch-Catholischer Fürst ꝛc.

69.) Vid. Rittmeyer Vindiciæ Juris Reformandi.

qui sub adscititio nomine *Corporis Evangelicorum* varia circa hoc negotium *Concluſa* fecerunt 70.), & dogmata quædam suo calculo firmata Professoribus Academiarum Acatholicarum obtruserunt 71.). Non opposuerunt se Acatholici, quando Principes quidam suæ Religionis, Catholicis permiserunt ædificationem Ecclesiæ in civitatibus suis acatholicis 72.): cur non id liceat quoque Principi Catholico? an non æque *conventum est, nulli statui CATHOLICO jus, quod ipsi ratione territorii & superioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere* 73.).

§. 22. Eodem studio, quo promovetur Ecclesiarum ædificatio, promoveri etiam debet earundem Reparatio, si quid damni ex vetustate, vel injuria temporum passæ sint. *Pro reparandis Ecclesiis*

Unde

70.) Apud Schauroth tom. 3. V. Simultaneum a pag. 593.

71.) Ibid. tom. II. pag. 587.

72.) Id concesserunt Electores Brandeburgicus & Hannoveranus: nec de Religionis gravamine conquesti sunt acatholici. Quando autem eosdem imitatus est Comes de Wied, ingens strepitus secutus est.

73.) Cit. Art. V. §. 30.

Unde antiqui Canones, qui Reditus Ecclesiasticorum tres partes Episcopo, Clero & pauperibus attribuunt, quartam partem *Fabricæ*, id est, conservationi & reparationi ædificii addicunt 74.). Ubi autem Reditus Fabricæ destinati non reperiuntur, Concilium Tridentinum 75.) distinguit inter Ecclesias Parochiales, & alias inferiores: de his quidem statuit, ut *Episcopi transferre possint Beneficia simplicia, etiam Juris Patronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant restaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias Ecclesias locorum eorundem seu viciniorum, arbitrio suo, cum omnibus emolumentis & oneribus, prioribus Ecclesiis impositis.*

Servanda est Constitutio Concilii Tridentini.

§. 23. Cum autem ad diruendas Ecclesias Parochiales tam facile procedi non possit, sacra Synodus subjungit, ut Episcopi *Parochiales Ecclesias etiamsi Juris Patronatus sint, ita collapsas reficiant & instaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque ad eas dem Ecclesias quomodocunque pertinentibus: qui si non fuerint*

74.) C. 30. 31. XII. q. 2.
75.) Sess. XXI. c. 7. de Reform.

fuerint sufficientes, omnes Patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quodsi nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce convertendi. Hæc Synodi Constitutio totam antiquorum Canonum doctrinam de hac materia comprehendit & declarat, debetque accurate observari, nisi consuetudo, vel statuta Synodalia alium concurrendi ordinem præscribant, Ecclesiæ æque utilem.

§. 24. Pro aliqua tamen declaratione *Not.* I. nomine Ecclesiæ hoc loco venire etiam ædes habitationi Parochi vel Beneficiati destinatas; non tamen horrea, stabula &c. utpote quæ destinantur ad emolumenta œconomica, & hinc etiam ex iis conservari ac reparari debent. Si Beneficiati comparantur Usufructuario, tenentur ad modicam refectionem ædium Parochialium, ad sarta tecta ha-

Etiam ad ædes Parochiales

habenda &c. 76.) *Not.* II. Reparare seu reficere esse idem, ac *quod corruptum est, in pristinum statum restaurare* : contineturque hoc verbo, *tegere, substruere, sarcire, ædificare, item advehere, adportareque ea, quæ ad eandem rem opus essent* 77.). Imo in præsenti negotio Reparationis obligatio extenditur etiam ad novæ Ecclesiæ constructionem, & ad veteris Ecclesiæ, aucto incolarum numero, ampliationem 78.).

Reparandas,

Concurrunt Patroni,

§. 25. *Not.* III. Juxta communiorem sententiam teneri Patronos concurrere ad reparandam Ecclesiam, etiamsi non percipiant alia emolumenta, quam omnibus Patronis communia, scilicet honorem præcedentiæ, Jus præsentandi & se alendi, ad inopiam perveniant 79.). *Not.* IV

Præ

76.) L. 7. C. de Usufruct. Flaminius Parisius de Resignat. Benef. lib. III. q. 15,

77.) L. 1. §. 6. ff. de Rivis.

78.) Petrus Peckius de Eccles. repa rand. c. 2. n. 2.

79.) A Mostazzo de Causis Piis. lib. V c. 6. n. 25. Rota Romana post allega 44. Pitonii de Controvers. Patron. n. 6. si omnino sit diruta Ecclesia, & Patro nus

Præ omnibus aliis teneri ipſum Beneficiatum, ſi habeat reditus ſuperfluos 80.), cum hi Reditus ſemper cenſeantur ſubjecti diviſioni illi, quam fieri præcipiunt Canones in ſuſtentationem Epiſcopi, Cleri, Pauperum & Fabricæ, pro ſingulorum neceſſitate 81.). Unde poſſunt Epiſcopi concedere, ut pinguium Beneficiorum Eccleſiæ, ad quas reparandas magna pecuniarum ſumma requiritur, mutuum contrahant, ad quod extinguendum Beneficiati ſingulis annis certam portionem tribuant 82.). *Beneficiati,*

§. 26. *Not.* V. Etiam Decimatores Laicos compelli poſſe ad concurrendum: quocunque enim titulo jus Decimandi ad eos tranſierit, ſemper excepta cenſetur extrema Eccle- *Decimatores,*

C ſiæ

---

nus interpellatus reædificare nolit, poſſet Jus Patronatus in alium, qui ſumptus ſubminiſtret, transferri. MARTA de Jurisdict. part. II. c. 48. n. 4.

80.) C. 1. de Eccleſ. ædific.

81.) C. 26. 27. 28. 30. XII. q. 2. JOAN. GUTIERREZ Alleg. 10. ALVAR. VALASCUS Conſult. 179. n. 12. ſeqq.

82.) Hæc conſuetudo viget in Diœceſi Ratisbonenſi quoad ædes Parochiales de novo ædificandas.

siæ neceſſitas. Si autem Decimæ, vel alii Reditus Eccleſiaſtici ad pias quasdam cauſas ſint applicati, non poteſt ex illis tantum exigi, ut illæ cauſæ piæ grave diſpendium patiantur, ſicuti etiam Miniſtris Eccleſiæ debet ſalva eſſe congrua ſuſtentatio. *Not.* VI. Si qui fundi a dandis Decimis ſint immunes, non poſſunt quidem eorum poſſeſſores æquali proportione inter Decimatores onerari, ſed tamen ſi juxta Concilium Tridentinum collectatio deveniret ad Populum, iſti poſſeſſores fundorum immunium ante reliquos, & reliqui largius conferre deberent, niſi hanc ipſam exceptionem cum magno onere ſuo, & emolumento Eccleſiæ acquiſiviſſent.

Hæredes &c. §. 27. *Not.* VII. Si Beneficiatus reparationem, ad quam obligatus fuerat, neglexit, tenentur ejus hæredes ad omiſſam reparationem, in quantum ad eos pervenit 83.) *Not.*

83.) Petrus Peckius de Eccleſ. repar. c. 18. Salgado de Regia Protect. p. III. c. 5. n. 22. Christinæus Deciſ. Belg. Vol. II. Deciſ. 25. Sperellus tamen part. I. deciſ. 67. n. 52. eam doctri-

Not. VIII. Ad reparandam Ecclesiam Cathedralem præcipue teneri Episcopum & Canonicos 84.). His non sufficientibus posset etiam a reliquis Clericis peti subsidium Charitativum.

TITULUS III.

DE CONSECRATIONE, POLLUTIONE ET RECONCILIATIONE ECCLESIARUM ET COEMETERIORUM.

Conf. Decretal. l. 3. t. 40. ex Sext. l. 3. t. 21.

§. 28.

TEmplum esse *ædificium DEO consecratum* diximus : necessarium igitur est ad rationem Templi, ut Cultui Divino dedicetur ac destinetur. Non enim decet Divina Offi- *Templa*

nam de obligatione hæredum in praxi nullatenus obtineri posse, nec veram in Jure existimat : sed potius Bona ipsorum Beneficiorum cum isto onere ad successorem transire credit. In Germania adstringi hæredes experimur.

84.) Frances de Eccles. Cathedr. c. 13. A Mostazzo de Causis Piis. lib. V. c. 6. n. 66. seqq.

cia in locis profanis celebrari: *satius est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate* 85. Unde recens extructa Ecclesia, *quam citius fieri poterit, consecranda* 86.

Ad Cultum Divinum

§. 29. Dedicatio & Consecratio Templi promiscue sumi solet: per utramque enim intelligitur ædificii communi usu ad cultum religiosum separatio. Id autem etiam primis Ecclesiæ temporibus, ad imitationem Templi Hierosolymitani, non sine certis ritibus & solemnitate, saltem per speciales preces & gratiarum actiones factum esse, omnino certum videtur; quamvis æque certum sit, ejusmodi ritus diversis temporibus & locis fuisse varios, & successu temporis auctos.

More antiquissimo

§. 30. Restauratis, recensque ædificatis sub Constantino M. Ecclesiis, optatissimum spectaculum omnium oculis præbuerunt Consecrationes Templorum per singulas Civitates, Episcoporum frequentes Conventus, & peregrinorum ex exteris regionibus ad ejusmodi solemni-

85.) C. 11. dist. 1. de Consecr.
86.) C. fin. de Consecr. Eccles.

lemnitatem accedentium concursus 87.). Tricennalia etiam sua Constantinus Imperator celebriora reddidit per Consecrationem Templi, quod sepulchro Domini Hierosolymis erat impositum, convocatis ad eam solemnitatem plurimis Episcopis, antea Tyri in Synodo congregatis 88.). Concilium insuper Antiochenum anno Christi 341. ex nonaginta Episcopis per causam Encœniorum 89.) congregatum fuit, sub prætextu scilicet dedicandi splendidissimum Templum, quod *Dominicum aureum* appellabatur, a Constantino ædificari cœptum, & a Constantio ejus Filio absolutum. In ejusmodi Dedicationibus habebantur a pluribus Episcopis Panegyres, quarum adhuc extant nonnullæ 90.)

87.) Eusebius Hist. Eccl. lib. X. c. 3.
88.) Idem in Vita Constantini lib. IV. c. 43. seqq.
89.) S. Athanasius de Synodis.
90.) Apud Eusebium Hist. Eccl. lib. X. c. 4. S. Ambrosium tom. V. serm. 26. de Sanctis. S. Gaudentium serm. 17. die Dedicat. Basilicæ SS. 40. Martyr. S. Augustinum edit. nov. tom. V. serm. 336. seqq. ubi etiam in Appendice num. 229.

Supereſt etiam formula Precum, quas fundebat S. Ambroſius, dum dedicabat Eccleſiam ſacrarum Virginum 91.).

Sunt conſecranda. §. 31. Solemnis Conſecratio Eccleſiæ, propria eſt muneris Epiſcopalis 92.): poteſt tamen auto-

229. ſeqq. recenſentur ſermones S. Cæsarii Arelatenſis, ſeu alterius, qui antea S. Auguſtino adſcripti fuerant, & ſub ejus nomine adhuc unus recitatur in Breviario Romano in feſto Dedicationis.

91.) Hortat. ad Virginit. in fine. Formula his verbis eſt concepta: *Te nunc Domine precor, ut ſupra hanc domum tuam, ſupra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, ſupra hos lapides ſpirituales, quibus ſenſibile tibi in ſingulis Templum ſacratur, quotidianus Præſul intendas, orationesque ſervorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua ſuſcipias miſericordia. Fiat tibi in odorem ſuavitatis omne Sacrificium, quod in hoc Templo fide integra, pia ſedulitate defertur. Et cum ad illam reſpicis hoſtiam ſalutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur, reſpicias etiam ad has piæ hoſtias caſtitatis, & diuturno eas tuearis auxilio, ut fiant tibi in odorem ſuavitatis hoſtiæ acceptabiles &c.*

92.) Jam apud Ethnicos Dedicationes Templorum pertinebant ad Jus Pontificium. Vid. Gutherius lib. III. de Veter. Jur. Pontif. c. 11. 12. 13. Apud Chriſtianos etiam

toritate Summi Pontificis committi Abbatibus 92.). Peragitur ab Episcopo loci, in quo est Ecclesia 94.), decentius diebus Dominicis, vel in Sanctorum solemnitatibus, quamvis de Jure fieri possit omni die 95.);

---

etiam Chorepiscopis interdicta erat Consecratio Ecclesiarum. Concil. MELDENSE ann. 845. can. 44.

93.) Hierarch. Eccl. §. 468. not. 21. GRATIANUS c. 4. 5. 6. dist. 1. de Consecrat. refert capita quædam ex GELASII Papæ Epistola ad Episcopos Lucaniæ, ubi traditur, Ecclesias consecrari non posse sine Romani Pontificis autoritate. Intelligunt hoc aliqui de quibusdam Italiæ Provinciis, singulari jure Pontifici subjectis, cum Epistola sit scripta ad Episcopos per *Lucaniam*. FLEURY Hist. Eccl. lib. 30. n. 34.

94.) Ex concessione PAULI III. Const. *licet debitum.* ann. 1549, possunt Regulares Societatis JESU facere benedici aut consecrari Ecclesias suas cum cœmeteriis, & primum lapidem poni per quoscunque Episcopos, si Diœcesani ultra quatuor menses id facere distulerint. Ægerrime ferebant Episcopi Galliæ, dum Romanus Pontifex per Legatum suum consecravit Ecclesiam in Turonensi Diœcesi, invito loci Episcopo. Vid. GLABER RODULPHUS Hist. lib. II. c. 4.

95.) *In Diœcesi tua licet tibi Ecclesiis dedicationem*

præmisso pridie jejunio, quod servare debet tum Episcopus consecrans, tum ii, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari. Chrismate inunguntur duodecim cruces in parietibus depictæ, aliæque adhibentur ceremoniæ in Pontificali Romano descriptæ. Consecrationis hujus solemnitas singulis annis celebranda est 96.), eo tamen ritu, qui ad devotionis augmentum, non autem ad corruptelam morum tendat. In ipsa quidem die Consecrationis Episcopus integrum annum Indulgentiæ illam visitantibus elargitur: pro die vero anniversaria in perpetuum quadraginta dies, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur 97.). In dubio Ecclesia non præsumitur consecrata, nisi sit Cathedralis: ad probationem tamen factæ Consecrationis sufficit levis ratio, utpote in re favorabili. Si tamen nullum probabile

---

tionem impendere tam diebus Dominicis, quam privatis. C. 2. de Consecr. Eccl. In Concil. Cæsaraugustano III. ann. 691. c. 1. prohibetur, ne Consecratio Ecclesiæ fiat extra dies Dominicas.

96.) C. 16. dist. 1. de Consecr.

97.) C. 14. de Pœnit. & Remiss. C. fin. eod. in 6.

bile indicium extet, Consecrationis munus impertiri sine scrupulo potest: nec talis trepidatio facit iterationem ; quoniam non monstratur esse iteratum , quod nescitur factum 98.).

§. 32. Si ante Consecrationem Divina Officia in Templo celebrari oporteat, debet saltem adhiberi ejusdem *Benedictio.* Hæc nonnunquam confunditur cum Consecratione: revera autem ab eadem differt. Nam I. Benedictio solum præparat Ecclesias ad Consecrationem, & constituit in eo statu, ut possint inservire functionibus sacris, dum commodo tempore consecrentur. II. Benedictio fit sine unctione. III. Aqua, quæ in Benedictione adhibetur, nihil aliud est, quam aqua benedicta communis & ordinaria: in Consecratione autem miscetur sale, cinere & vino. IV. Consecrationem prævertere debet dies jejunii tum ex parte Episcopi, tum ex parte populi: secus in Benedictione. V. Episcopus Consecrator jus habet tri-

Vel saltem benedictionem adhiberi oportet.

98.) Cit. c. 16.

buendi Indulgentias: secus in Benedictione. VI. Soli Episcopi regulariter faciunt ceremoniam Consecrationis: Benedictio autem plerumque a simplicibus Sacerdotibus, ad hoc deputatis ab Episcopo, peragitur 99.).

Idem potest fieri in Oratoriis.

§. 33. Porro quamvis sacri Canones jubeant consecrari Ecclesias, quam citius fieri potest: nihilominus nullus Canon videtur imperare, prout etiam nullus prohibet Consecrationem Oratorii publici; sufficit enim hæc Oratoria benedici. Si autem Oratorium privatum consecraretur ab Episcopo, eo ipso cessaret esse privatum: nam Consecrationis actus repugnat statui privati Oratorii 100.).

§. 34.

99.) Gibert Corp. Jur. Canon. tom. II. tract. poster. de Eccles. tit. 15. fol. 536.

100.) Lotterius de re Benefic. lib. I. q. 5. n. 66. Talia Oratoria nonnunquam consecrantur etiam intra ædes privatorum, prout Ingolstadii adhuc visitur Sacellum domesticum celeberrimi Professoris Eckii rite consecratum. Oratoriis Principum idem honor sæpius impenditur, prout ibidem Oratoria consecrata sunt in arce Principum Bavariæ, quæ ratione situs sui essent Oratoria privata.

§. 34. Ecclesiæ consecratæ nomen imponitur ab aliquo *Patrono*, seu *Titulo*, quo ipsa nuncupatur, & ab aliis Ecclesiis proprio velut nomine dignoscitur. Per *Patronum* intelligitur Persona aliqua, nempe Angelus vel Homo Sanctus, cujus nomine nuncupatur Ecclesia e. g. B. Virginis, S. Michaëlis, S. Mauritii. *Titulus* vero Personam proprie non sonat; sed potius Mysterium, seu rem quamcunque ad Personas pertinentem: quo Mysterio seu re, Ecclesia ipsa veluti inscribitur & appellatur. e. g. SS. Trinitas, Nativitas Christi, Assumptio B. Mariæ, Sacrosancta Hostia, Sacer Sanguis, Inventio S. Crucis &c. Primis temporibus pleræque Ecclesiæ nomen gerebant a SS. Martyribus: dein etiam a SS. Confessoribus 1.), modo sint legitime vindicati, seu Canonizati. *Nomen imponitur a Patrono seu Titulo.*

§. 35.

1.) Ad initium sæculi quinti supra Corpus B. Martini Basilicam parvulam in Urbe Turonensi ædificavit Briccius ejus successor: aliam dein ampliorem Perpetuus ejusdem Sedis Antistes, ut narrat Gregorius Turonens. Hist. Franc. lib. X. c. 31. Justinianus Imperator Templum nobilissimum, ac plane mirabile dedicavit S. Annæ, ut narrat Procopius

Ecclesia execrata,

§. 35. Sicut Personæ, quæ acceperunt Benedictionem aut Consecrationem, semper manent consecratæ, quamdiu vivunt: ita etiam Ecclesiæ, quamdiu manent moraliter eædem. Facta autem tali mutatione, nempe Templo in totum, aut pro majori parte destructo, etiamsi id fiat ex intentione novæ reædificationis; aut etiam incrustatione interioris parietis sublata, dicitur contingere *Execratio*, & amitti Consecratio.

Vel polluta,

§. 36. Manente etiam Consecratione possunt Ecclesiæ perdere effectum Benedictionis aut Consecrationis, qui est, ut possint in eisdem sacræ functiones exerceri: hoc autem contingit per *Pollutionem* Ecclesiæ, si ea sit publica. Pollui Ecclesia dicitur I. Injuriosa humani sanguinis effusione, vel Homicidio 2.). II. Luxuriosa humani seminis emissione 3.). III. Sepultura cadaveris pagani vel ex-

---

COPIUS Cæsareensis de ædific. Justiniani lib. I. c. 3. item S. NICOLAO. ibid. c. 6. videri potest CAROLUS GUYET Heortologiæ lib. I. c. 5.

2.) C. 4. de Consecrat. Eccl.

3.) C. un. eod. in 6.

excommunicati 4.). IV. Quando ab Episcopo notorie excommunicato contingit Dedicatio. Hanc ultimam Pollutionis speciem non expresse tradunt Canones : aliqui tamen sustinent ex paritate, quia sicut corpus mortuum excommunicati polluit sacra loca ; fortius polluta debent censeri, quando Consecratio vel Benedictio transit & perficitur per manus talis excommunicati 5.). Quidquid sit de hoc peculiari casu, id certum est, quod non omnis *Profanatio* Ecclesiæ sit talis Pollutio, de qua hoc loco loquimur : nam sine expresso Canone non debemus Ecclesiam Pollutam dicere. Ubi tamen consuetudo viget reconciliandi Ecclesias, per furtum, aliudve crimen atrox, per profanam inhabitationem, aliove modo profanatas, servari ea debet : potestque talis reconciliatio etiam Ecclesiæ consecratæ, demandari simplici Sacerdoti 6.).

§. 37.

4.) C. 27. 28. Dist. 1. de Consecr. C. 12. de Sepultur. C. 7. de Consecr. Eccl.

5.) Pax Jordan lib. V. tit. 12. n. 132. seqq.

6.) Hostiensis in Summ. de Consecr. Eccl.

Reconciliari debet.

§. 37. In polluta Ecclesia, donec reconcilietur, non peraguntur Divina officia. Quamvis enim Ecclesiæ, cum sint sanctæ, nec peccare queant, revera non polluantur: ad terrorem tamen habentur tanquam pollutæ, ut fideles detestationem concipiant sceleris, quo temerarius quispiam fœdavit Ecclesiam, quantum in se erat; inducanturque ad celerem expiationem proprii peccati, & ad id in posterum evitandum. Reconciliatio Templi ab Episcopo consecrati, propria est Episcopi 7.), nisi Summus Pontifex concedat singulare Privilegium, vel Episcopo, ut committat reconciliationem inferiori Sacerdoti, aqua ab Episcopo benedicta 8.);

vel

Eccl. n. 9. PIASECIUS Prax. Episcop. part. I. c. 2. art. 4. n. 7.

7.) C. 9. de Consecr. Eccl.

8.) Quamvis GREGORIUS IX. cit. c. 9. dicat, consuetudinem reconciliandi Ecclesias per Sacerdotes simplices, esse corruptelam: nihilominus dicitur in Gallia hæc consuetudo vigere. Vid. GIBERT loc. cit. fol. 540. quia talis Reconciliatio est quidem Ordinis Episcopalis: eam tamen dicunt Jure tantum Ecclesiastico talem fuisse factam, & ideo ad eam posse simplicem Sacerdotem deputari.

vel ipsi Sacerdoti, ut reconciliet Ecclesias ex delegatione Episcopi: quale Privilegium habent multi Prælati Regulares reconciliandi Ecclesias suas pollutas, etiam aqua a se benedicta, præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non possunt 9.). Reconciliatio autem Templi nondum consecrati, sed tantum benedicti, delegari cuidam Sacerdoti potest ab Episcopo absque speciali privilegio. Aqua ad Reconciliationem Ecclesiæ adhibenda, communiter vocari solet *Gregoriana*, forte a Gregorio M. sicut ab eo dicitur Cantus Gregorianus. Mentionem ejus facit Innocentius III. 10.), dum exigit *aquam cum vino & cinere benedictam*, scilicet pro reconcilianda Ecclesia, quæ antea fuerat consecrata. Si Ecclesia fuerit tantum benedicta, sufficit aqua communis benedicta cum sale; quia Reconciliatio eodem modo debet fieri, quo facta est ipsa Dedicatio. Ritus Reconciliationis habetur

9.) Miranda Manual. Prælat. Regul. tom. II. q. 39. art. 8. Ascan. Tamburinus de Jure Abbat. tom. I. disp. 23. quæst. 10.

10.) C. 4. de Consecr. Eccl.

betur in Pontificali Romano, & in Ritualibus.

Etiam Cœmeteria

§. 38. Eccleſiarum acceſſoria ſunt *Cœmeteria*, quæ vox latine Dormitorium ſignificat: quo nomine Chriſtiani locum ſepulturæ deſtinatum denotant, cum ob ſpem reſurgendi, non tam mori, quam obdormire cenſeantur 11.). Varius apud diverſos populos fuit ritus funerandi cadavera, nec videtur unquam apud gentes cultas viguiſſe Philoſophi Cæcilii 12.), qui ſibi perſuadens, Chriſtianos ob ſpem reſurgendi *execrari rogos, & damnare ignium ſepulturas*, irridet eos, *quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſolvatur: nec interſit, utrum feræ diripiant, an maria conſumant, an humus contegat, an flamma ſubducat: cum cadaveribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna ſit: ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate medicina.*

11.) *Sancti non appellantur mortui, ſed dormientes: unde & Lazarus, qui reſurrecturus erat, dormiſſe perhibetur, & Apoſtolus vetat Theſſalonicenſes de dormientibus contriſtari.* S. Hieronymus adverſus Vigilant.

12.) Apud Minucium Felicem in Octavio.

cina. Huic reponit Octavius : *Nec ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Christiani igitur etiam Romæ non secuti sunt morem Romanorum corpora cremantium : qui tamen honor honestioribus solummodo Romanis obveniebat, reliquis extra Urbem sepultis 13.), plerumque in cryptis subterraneis, ex quibus arena effodiebatur ad ædificia Urbis extruenda. Ejusmodi fodinas Romæ etiam eligebant Christiani, quas Arenarias, Areas, Cœmeteria, Martyrum Concilia, postea etiam Catacumbas vocabant 14.), memoriasque ibi sepultorum Martyrum quotannis celebrabant. Unde ÆMILIANUS Præfectus 15.), quibusdam prohibebat celebrare

13.) Quanta religio fuerit locorum, in quibus humata erant cadavera, non est hoc loco commemorandum ex Titulo Pandectarum & Codicis *de Religiosis & sumptibus funerum.* Erudite GUTHERIUS de Jure Manium lib. 3.

14.) Vid. MAMACHI Orig. Christian. tom. III. fol. 158. seqq. ubi exhibet Ichnographiam Cœmeterii Callisti.

15.) Apud EUSEBIUM Hist. Eccl. lib. VII. c. 10.

conventus aut in ea loca, quæ Cœmeteria appellantur, ingredi. Vicissim LICINIUS GALIENUS Imperator in favorem Christianorum Decretum edidit, per quod loca illa, quæ Cœmeteria nominabantur, integram adeundi, occupandique fecit potestatem 16.). Ex istis locis suburbanis postea corpora Martyrum translata sunt in urbes, ubi dein Principes & Episcopi, postea etiam alii Fideles optabant juxta se pulchra Martyrum sepeliri: qua occasione Cœmeteria in urbibus erecta sunt.

Sunt benedicenda:

§. 39. Cœmeteria igitur sunt vel conjuncta Ecclesiis, vel ab iis separata: utraque piis ritibus apud Catholicos solent initiari, & sacra benedictione ab usibus profanis ad tumulanda Fidelium cadavera destinari 17.). Iisdem autem modis polluitur Cœmeterium, quibus polluitur vel exsecrari Ecclesiam diximus: quo casu antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo cadaver sepeliri. Porro si Ecclesiam polluens con-

16.) Ibid. c. 12.

17.) Sacræ Ceremoniæ recensentur in Pontificali Romano.

contingat; ipsius Cœmeterium, si contiguum sit eidem, id est, si Cœmeterium tangat Ecclesiæ parietes, censetur esse pollutum: secus si remotum fuerit ab eadem, aut saltem muro medio separatum, etiamsi ex Ecclesia aditus ad ipsum pateret. Non tamen vicissim polluto Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, debet Ecclesia reputari polluta; ne minus dignum & accessorium, ad se trahere videatur majus & principale. Insuper non unum, sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur: ideoque violato eorum altero, alterum, licet ex uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus, non propter hoc reputabitur violatum 18.).

§. 40. Reconciliatio Cœmeterii fit ab ipso Episcopo, vel ex delegatione Papæ ab alio Sacerdote, aqua per Episcopum benedicta, si ab Episcopo fuerat solemni ritu dedicatum. Si vero à simplici sacerdote, simplici benedictione fuerit initiatum; poterit quoque Reconciliatio a simplici Sacerdote fieri, aqua a se exorcizata, non

Et reconcilianda.

18.) C. un. de Consecr. Eccl. in 6.

non tamen sine præscitu Episcopi. Dum autem alicubi 19.) præci- pitur Reconciliatio Cœmeterii fieri per aspersionem aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit; ritus iste nequaquam hodie observatur: vel potius Constitutio hæc nequa- quam intelligi debet de aqua cine- re & vino mixta, qualis adhibetur in Dedicatione Ecclesiarum; cum Pontificale Romanum pro Recon- ciliatione Cœmeterii solius tantum modo requirat aquam benedictam communem, sale mixtam. Ha occasione Consecrationis & Re- conciliationis Ecclesiæ isto loco di- cenda de Cœmeteriis videbantur. Plura de Jure Sepulturæ dicenda infra.

TITULUS IV.

DE ALTARIBUS.

Conf. Decretal. lib. 3 tit. 40. & Sext lib. 3. tit. 21.

§. 41.

Altaria

PRÆCIPUA in Ecclesiis nostris fu- ctio est, offerre Deo Sacrifi- um:

19.) C. 7. de Consecr. Eccl.

um: hinc etiam Ara, Altare, Mensa sacra seu Mystica, in qua hæc oblatio peragatur, dedicata & consecrata sit oportet.

§. 42. Cum a CAIN & ABELE, haud dubie ad exemplum & institutionem Patris sui ADAMI, Sacrificia summo DEO oblata legamus, pronum est inferre, etiam Aras a primis mundi exordiis ad Cultum Divinum excitatas fuisse. Privatorum usui hæ Aræ serviebant: ENOS autem videtur erexisse Aras publicas, pro publica Divini Nominis invocatione 20.), uti & NOE post diluvium 21.). Hoc exemplum secuti sunt Patriarchæ ABRAHAM, ISAAC, & JACOB. Celeberrimæ erant Aræ, quas JACOB posuit, tum in Bethel, ubi visa in somnis mystica scala, lapidem erexit in titulum fundens oleum desuper 22.): tum in monte Galaad, quæ esset *terminus* inter JACOB & LABAN, quem neuter posset transgredi 23.). Inde Gentiles occasionem sumebant

A primordiis mundi:

20.) Genes. IV. 26.
21.) Ibid. VIII. 20.
22.) Ibid. XXVIII. 18.
23.) Ibid. XXXI. 45. seqq.

ponendi Deum TERMINUM in finibus agrorum, lapidemque suppositum ungendi oleo 24.), quem pro Jove Saturnus devorasse dicitur 25.); Græci autem vocabant Βαιτυλον 26.) verosimiliter a *Bethel*, ubi Jacob forte primus solemni ritu, & effuso oleo dedicavit Aram 27.).

Dein in Veteri Testamento: §. 43. Observata hac Ararum Origine non est, quod hoc loco memoremus de Aris, vel falsis Idolis, vel etiam Vero DEO in veteri Testamento ædificatis: inter quas præcipuum nomen habet Altare Holocausti, jubente Domino per MOYSEN fabricatum 28.): alterum SALOMONIS 29.), cui post captivi-

ta-

24.) *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam ineesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco.* Arnobius adverf. Gentes lib. 1.

25.) Lactantius Instit. Divin. lib. I. c. 20.

26.) Hesychius in Lexico. V. Βαιτυλος.

27.) Vid. M. de Boze du Dieu Terme. Memoir. de l' Academ. des Inscript. &c. tom. 2.

28.) Exod. XXVII. & XXXVIII. Item 2. Paralip. I. 5.

29.) 2. Paralip. IV. 1.

tatem Babylonicam aliud ſubſtitutum fuit a ZOROBABELE 30.): hoc etiam a Gentibus contaminato, aliud poſuit JUDAS MACHABÆUS 31.): cujus dedicationem annua commemoratione etiam CHRISTUS poſtea celebravit 32.).

§. 44. Veniamus ad Aras Chriſtianorum. Quando Apoſtolus PAULUS *Menſam Domini* nominat 33.), Altare intelligi vult Concilium TRIDENTINUM 34.). Veteres quidem Apologetæ Fidei Chriſtianæ 35.), ſi

Poſtea in Eccleſia Chriſti erecta ſunt,

30.) 1. ESDRÆ III. 2. ſeq.
31.) 1. Machab. IV. 47. &c.
32.) JOANN. X. 22.
33.) 1. Corinth. X. 21.
34.) Seſſ. XXII. c. 1.
35.) Supra allegati Tit. I. §. 5. Inter hos ORIGENES lib. 8. contra Celſum ſic loquitur: *Celſus ait, nos ararum, ſtatuarum, templorumque dedicationes fugere, ut occulti fœderis fidem ſanciamus hac ceu teſſera, non videns pro aris nobis eſſe mentem ſuam cuique, ex qua ſurſum feruntur vere ac intelligibiliter ſuaveolentes ſuffitus, preces e pura conſcientia.* LACTANTIUS Div. Inſtit. lib. II. c. 2. *Quid Aræ volunt?* ſcilicet ſupra quas Gentiles, ut idem ait lib. VI. c. 2. *mactant opimas ac pingues hoſtias DEO, quaſi eſurienti; profundunt vina, tanquam ſitienti; accendunt lumina, velut in tenebris agenti.*

Gentes ipsis exprobrarent, quod nulla haberent Altaria, libere id fatebantur, eo quidem sensu, quo hoc ipsis erat exprobratum, hoc est, quod non haberent Altaria, in quibus adorarentur Idola more Gentilium, vel ubi cruenta offerrentur Sacrificia ritu Judæorum. Pro incruento autem ac mystico Eucharistiæ Sacrificio haud dubie Aris utebantur, quas Sancti Patres 36.) Mensam mysticam, tremendam, spiritualem, immortalem, divinam: SYNESIUS 37.) autem aram incruentam vocat: & ipse LACTANTIUS, qui Aras non esse necessarias videtur dicere, laudat tanquam actum Religionis, *Sacrificia facere, dona conferre* 38.), pro quibus functionibus Aræ potissimum destinatæ sunt.

Ex ligno vel lapide;

§. 45. Altaria primis sæculis passim lignea fuisse constat, ut facilius inter persecutiones Gentilium loco moveri, & in alium transportari possent. Etiam lapidea nonnullibi, ubi loci

36.) Multa loca congerit BINGHAM Orig. Eccl. lib. VIII. c. 6. §. 14. DU CANGE Constantinop. Christian. lib. III. c. 53.

37.) In Catastasi. τον βωμον τον αναιμακτον

38.) De Ira DEI. cap. 8.

loci opportunitas admittebat, erecta fuisse, nec facile probabitur, nec authenticis testimoniis negabitur. A tempore tamen CONSTANTINI M. cum magnificis Templis etiam ex nobiliore materia, lapide & argento exstructas fuisse Aras, sat clara argumenta probant. Sæculo quarto S. GREGORIUS NYSSENUS non tantum lapidei, sed etiam consecrati Altaris mentionem facit 39.). Concilium EPAONENSE Anno 517. celebratum statuit 40.) : *Altaria nisi lapidea Chrismatis unguine non sacrentur*, quæ Concilium AGATHENSE Anno 506. 41.) *non solum unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali bene-*

39.) Orat. de S. Baptism. *Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornantur : sed quoniam DEI Cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, Mensa sancta, Altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis Sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur.* Unde etiam Concilium LAODICENSE circites Anno 372. celebratum can. 44. statuit : *non oportet mulieres ingredi ad Altara.*

40.) Can. 26.

41.) Can. 14.

dictione sacrari præceperat. Magnificentia Principum nobiliorem materiam lapidi nonnunquam substituit 42.).

Sub varia forma.

§. 46. Varia fuit Ararum forma. Nonnunquam uni, nonnunquam duabus, aut quatuor columnis imponebatur mensa lapidea: aliæ supposito stipite vel lateritio, vel lapideo, vel ligneo, tumuli formam referebant, tanquam Martyrum sepulchra, quæ proprie *Altaria*, quasi *Altæ Aræ* dicebantur, ad quas etiam per gradus ascendendum erat. Hodie quoque non consecrantur Aræ, nisi inclusis Sanctorum Reliquiis, propter quibus condendis etiam in Altari portatili effodiendum est Sepulchrum 43.).

§. 47.

42.) De Mensa pretiosa, quam JUSTINIANUS Imperator posuit in Templo S. Sophiæ, vid. CEDRENUS ad ann. 32. Justiniani. De ea, quam BASILIUS MACEDO statuit in nova Ecclesia sui Palatii, scribit CONSTANTINUS Porphyrogenneta de ejusdem BASILII Vita. cap. 83.

43.) Locus, seu Sepulchrum, quo condunturSacræ Reliquiæ, si Altare sit fixum, vel est in medio tabulæ Altaris a parte superiori; vel in stipite a parte anteriori

§. 47. Altaria hodie alia sunt *fixa* & immobilia, quæ loco, in quo constituuntur, adhærent: alia *Portatilia*, seu *Viatica* 44.), quæ a loco in locum moveri possunt, & in Ecclesiis vel Oratoriis non consecratis, aut etiam extra Ecclesiam ab Episcopis ac iis, qui facultatem habent, adhibentur ad Divina Mysteria peragenda. Græci in ejusmodi locis utuntur *Antimensiis*, quo nomine intelliguntur mappæ consecratæ, & Reliquiis impletæ, quibus teguntur Altaria non consecrata 45.). *Altaria fixa & Portatilia*

§. 48. Ritus consecrandi Altaria exacte recensentur in Pontificali Romano. Ubi animadverto, non tantum in medio tabulæ Altaris, sed etiam in quatuor ejusdem cornibus signari Crucem pollice intincto in aqua *Consecranda sunt:*

teriori aut posteriori; vel in medio summitatis stipitis, cui imponitur tabula lapidea.

44.) C. 30. de Privileg.

45.) Vid. Jus Græco-Romanum a Leunclavio editum tom. 1. lib. V. pag. 330. Christianus Lupus tom. 4. Dissert. de S. Leonis IX. Actis. cap. 13. Matthæus Blastares Syntagm. alphabet. Lit. A. c. 8. apud Beveregium Synodic. tom. 2.

aqua benedicta, in oleo Catechu menorum,& demum in Chrismate,ii demque in locis hac ætate incidi sca pro signum Crucis. Cum tamen a tiquioribus temporibus hæc Cruc expressio scalpro artificis fieri no consueverit, frustra requiritur hod in vetustis Altaribus hoc Consecra tionis signum : sed potius indaga ri debet in vestigium Sepulchri, quo vel inciso signo Crucis, vel salte ex insititii lapidis figura prodet l tentes Reliquias. Certe in vetus Ecclesiis consecratis dubitandum no est, quin etiam Altaria sint con crata, nisi longe recentiorem ætat exhibeant.

Etiam plura in eodem Templo.

§. 49. Plures Aræ ad offerendu Missæ Sacrificium esse solent hod in eodem Templo: olimque fuis constat saltem sæculo sexto 46.) Græci constantius retinuerunt uni tatem Altaris in eodem Templo quam-

46.) S. Gregorius M. lib. V. Epist. 5 mittit Reliquias Episcopo Santonensi pr consecrandis Altaribus, quorum tredecim erant in eadem Ecclesia. Beda lib. V Hist. Eccl. c. 21. laudat Accam Episco pum ob plura Altaria erecta in eadem Ecclesia.

quamvis habeant plura sacella vicina Templo, ubi sacrificium offertur.

§. 50. Ad offerendum Divinum Sacrificium servire ultra non potest Altare, si vel Consecrationem perdat, vel polluatur. Consecrationem perdere censetur Altare *fixum* I. quotiescunque lapis Mensæ disjungitur a suo stipite, cui fuerat in actu Consecrationis unita per quatuor Cruces angulares, juxta ritum in Pontificali præscriptum. Manet autem Altare consecratum, si absque disjunctione tabula lapidea simul cum pede, vel columnis, quibus insistit, in alium locum transportetur. II. Quando sepulchrum, in quo Reliquiæ includuntur, sive lapis superpositus, qui Sigillum nuncupatur, solvitur, aperitur, frangitur, diminuitur, aut notabiliter violatur 47): vel ipsæ Reliquiæ tolluntur. III. Quando Mensa enormiter frangitur 48:), ut appareat deformitas in Altari, & mutetur antiqua forma; præsertim quando fractura

Nonnunquam perdunt Consecrationem:

47.) C. 1. de Consecrat. Eccl.
48.) C. 3. ibid.

ctura contingit in cornibus Altaris in quibus formantur Cruces Consecrationis. Altare vero *Portatile* Consecrationem perdit I. Quando lapis adeo frangitur, ut amittat suam formam, aut fiat inhabilis ad capiendam simul Hostiam & Calicem. II. Quando lapis sigilli auferturfrangitur, notabiliter læditur, aut Reliquiæ auferuntur.

Vel polluuntur.

§. 51. Extra hos casus non perdit Consecrationem Altare fixum aut Portatile, etiamsi execretur Ecclesia: sicut viciſſim quando talis Ara e loco suo mota, de novo firmatur & de novo consecratur, *propter hoc nequaquam reiterare suam Consecrationem Ecclesia consuevit, licet id quidam Canones* 49.) *innuere videantur* 50.) At vero polluta, vel violata Ecclesia, polluitur Altare firmum, utpote præcipua pars Ecclesiæ. Portatile vero, quod per accidens in tali Ecclesia reperitur, non polluitur cum Ecclesia; potestque alibi super eo celebrari. Sicut autem Ecclesia, ita etiam

49.) C. 19. dist. 1. de Consecr. Ivo Carnotensis Epist. 32. & 128.

50.) Cit. C. 1. & Eman. Gonzalez ibid.

etiam Altare pollutum censetur, si Consecratio fiat ab Episcopo notorie excommunicato (§. 36.). Quando polluta Ecclesia reconciliatur, simul reconciliata habentur Altaria.

TITULUS V.
DE SACRIS RELIQUIIS.
Conf. Decretal. lib. 3. tit. 45.

§. 52.

Sine Reliquiis non consecrantur Altaria.

Sicut primis temporibus Christiani Romæ conventus agebant in Areis & Cœmeteriis Martyrum; ita postea in iisdem locis magnifica Templa fuerunt constructa, aut Reliquiæ Martyrum in Ecclesias alibi ædificatas translatæ & sub Aris repositæ 51.). Unde introductus est mos Ecclesias & Altaria non consecrandi absque Sanctorum Reliquiis (§. 46.). S. AMBROSIUS populo interpellanti spondebat, se Romano ritu

51.) Juxta illud Apocal. VII. 9. *Vidi subtus Altare animas interfectorum propter Verbum DEI, & propter testimonium, quod habebant.*

ritu Eccleſiam dedicaturum, ſi Mar
tyrum Reliquias inveniſſet. Proba
runt Superi ſtudium populi & volun
tatem Epiſcopi, detectis Corporibu
SS. GERVASII & PROTASII 52.)
S. PAULINUS Epiſcopus Nolan
easdem ſacras Reliquias cum Cruc
Domini conjunxit in Dedication
Templorum : propterea Inſcriptio
nem aliquam his verſibus clau
dit :

Quam bene junguntur Ligni
Crucis Oſſa piorum,
Pro Cruce ut occiſis in Cruc
ſit requies 53.).

Hanc Eccleſiæ traditionem contr
Iconoclaſtarum, aliorumque impio
auſus ſtabiliverunt Concilia 54.),
Pontifices.

§. 53.

52.) S. Ambrosius Epiſt. 54.
53.) S. Paulinus Epiſt. 12.
54.) Concilium Nicænum II. can.
Sic ſtatuit: *Quæcunque Templa conſecrat
ſunt absque Sacris Reliquiis Martyrum
in his fieri ſtatuimus Reliquiarum depo
tionem cum conſuetis precibus. Epiſcop
autem poſthac Templum conſecrans ſine ſa
ctis Reliquiis, deponatur, ut qui Eccleſi
ſticas traditiones transgreſſus eſt.* Ide
jam antea in Concilio Carthagine

§. 53. Sanctorum Reliquiæ non- *Insignes &*
nunquam distinguuntur ab eorum *exiguæ Re-*
Corporibus. Unde S. GREGORI- *liquiæ ex-*
US M. 55.) rationem reddit, quare *ponuntur*
SS. Martyres nostris orationibus in- *venera-*
vocati, nonnunquam majora bene- *tioni*
ficia nobis exhibeant in locis, ubi
eorum sunt *Reliquiæ*, quam ubi eo-
rum sunt *Corpora*. Leges etiam Civi-
les 56.) Corpus & Reliquias di-
stinguunt: hos enim Græci λειψανα
vocant, intelligendo per hanc
vocem Cineres, Ossa, aut alias par-
tes quasdam corporis. Hinc in ve-
tustis Inscriptionibus Romanorum,
modo Corpus integrum, modo Re-
liquias Corporis, modo Ossa mo-
numento condita legimus 57.). Sæ-
pe confunduntur hæ voces: in or-
E dine

---

51 V. Anno 401. ab Episcopis Africanis statutum fuerat can. 14. qui in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ est numero octogesimus tertius: ... *nulla Memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi Corpus aut aliquæ Reliquiæ sunt &c.*

55.) Lib. II. Dialog. c. 38.

56.) L. Monumentum. 42. ff. de Relig. & sumpt. fun. L. 53. §. 5. ff. de Legat. 1.

57.) Vid. GUTHERIUS de Jure Manium lib. III. c. 23.

dine tamen ad usum Ecclesiasticum probe dignosci debent. Aliquæ enim dicuntur Reliquiæ *Insignes*, scilicet Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, & non parva, ac legitime ab Ordinariis approbata 58.). Plerumque censetur Insignis Reliquia, quæcunque pars integra Corporis, licet alioquin modica, ut Digitus, Costa &c. vel certe grandioris membri pars non modica puta Cranium capitis &c. Pro exiguis haberi debent pulvis ac cineres, nisi & ipsi acervum faciant. Vestes, sudaria, panni & quæcunque alia Sanctorum supellex, habita molis seu quantitatis ratione, in notabilium Reliquiarum numero sæpe reponuntur, præsertim si sint instrumenta Martyrii, vel insignis miraculi, puta Lapides S. STEPHANI, Craticula S. LAURENTII, Sudaria & semicinctia S. PAULI 59.).

Fidelium §. 54. Erga Corpora & Reliquias Sanctorum ingenti veneratione fe-

reban-

58.) Benedictus XIV. de Canoniz. Sanctor. lib. IV. p. 2. c. 6. n. 3.

59.) Guyet de fest. propr. Sanctorum lib. I. c. 9.

rebantur primorum sæculorum Fideles 60.). Ex Epistola Ecclesiæ Smyrnensis 61.) constat, Martyrum Corpora a Gentilibus fuisse combusta, ac Cineres dissipatos, vel in mare projectos, ne Fidelibus venerationi essent, vel, ut Gentiles ac Judæi calumniabantur, ne Christiani eos adorarent ut Deos 62.). Liberius hic cultus splendescere cœpit post datam Ecclesiis a Constantino Augusto pacem, *qui sanctas Reliquias ANDREÆ, LUCÆ & TIMOTHEI transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt* 63.). Magno sæpe pretio Fideles Sanctorum Corpora eripuerunt infidelium, vel hæreticorum furori 64.). Nonnunquam

60.) Lucilla, notum schismatis flabellum, a Cæciliano archidiacono reprehensa fuit non ob venerationem veris Sanctorum Reliquiis exhibitam, sed ob osculum, ante sumptam Eucharistiam libatum ossibus, nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati, prout narrat Optatus *Milevitanus* de Schism. Donat. lib. I.

61.) Apud Eusebium Cæsareens. lib. IV. c. 14.

62.) Vid. Christianus Lupus tom. III. Differt. de Septim. Synod. gener. c. 3.

63.) S. Hieronymus adverss. Vigilant.

64.) Luitprandus Rex Longobardorum magno

ad ea etiam ex Catholicis Eccleſiis obtinenda, utebantur variis fraudibus & artibus 65.). De veneratione ſacrarum Reliquiarum copioſe ſcribunt, qui in tractandis Fidei Controverſiis, Eccleſiæ Catholicæ ritus propugnant 66.).

In Eccleſiis. §. 55. Ad noſtrum inſtitutum ſpectat, ſtatuere de loco, ubi ſacræ Reliquiæ ſint aſſervandæ. Regula generalis eſt, ut Sanctorum Corpora, Inſignesque Reliquiæ non collocentur in privatis ædibus, nec apud Laicos, ſed in Eccleſia: cum Viris tamen Principibus & Eccleſiaſticis Præſulibus liberalius agit Sedes Apo-

---

magno pretio ſoluto Corpus S. Augustini a Saracenorum manibus vindicavit. Ven. Beda in fine Chronici.

65.) De Corpore S. Dionysii legi potest Diſſertatio Rmi. & Celſmi. Principis Joannis Baptistæ, Abbatis ad S. Emeramum Ratisbonæ. De S. Thoma *Aquinate* apud Hagiographos Antwerpienſes in Act. SS. ad diem 7. Martii. fol. 73 ſeqq. de aliis variis apud Benedictum XIV. de Canonizat. SS. lib. IV. p. 2. c. 2 a num. 38. & c. 26. n. 20. ſeqq.

66.) Bellarminus tom. II. Controv. gener. 4. lib. 2. Theophilus Raynaudus tom. 15. Heteroclit. ſpirit. p. 1. ſect. 3. punct. 8.

Apoſtolica. Reliquias minus inſignes etiam in privatis ædibus, in loco tamen apto & decenti conſervare poſſunt Fideles. In ipſa autem Eccleſia Sanctorum Corpora & Inſignes Reliquiæ juxta Ritum Romanum, quem tamen extra Urbem non ubique ſervari videmus, non deberent exponi ſuper Altari, ſed vel ſub terra, vel intra Altaria, ſuper quibus Sacrificium Miſſæ celebratur. Partes minores ſacri Corporis, aut Reliquiarum in Thecis vel arculis clauduntur, ut in eorundem Sanctorum Feſtis, aliisque ſolemnitatibus, populorum venerationi exhibeantur. Non tamen deberent nudæ, & extra capſam oſtendi 67.). Ritus eas circumferendi in Proceſſionibus eſt antiquiſſimus 68.).

§. 56. Porro ſicut Eccleſia Catholica 69.) docet, *Sanctorum Martyrum & aliorum cum Chriſto viventium ſancta Corpora, quæ viva membra fuerunt* *Ad cavendos abuſus*

67.) C. 2. de Reliq. & Vener. Sanctor.

68.) De Reliquiis S. STEPHANI in publica Proceſſione portatis loquitur S. AUGUSTINUS de Civit. DEI lib. 22. c. 8.

69.) Concil. TRIDENT. ſeſſ. XXV. Decret. de Invocat. Venerat. & Reliq. Sanctor.

runt Christi, & Templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, a Fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur: ita etiam severis mandatis cavet, ut omnis superstitio in Reliquiarum veneratione tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur; ne exponantur venales 70.); nec novæ Reliquiæ recipiantur, nisi recognoscente & approbante Episcopo; ne Sanctorum celebratione ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates abutantur; ne Prælati permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, variis figmentis, aut falsis documentis decipi 71.). Universim non facile permit-

70.) Non placet sententia Thomæ Hurtado de vero Martyrio Resol. 43. §. 13. n. 4. ubi existimat, Simoniam non esse, vendere & emere Reliquiam insignem, quia singularis & peregrina est, ut Velum B. Virginis, pars Coronæ Spineæ Domini; *quia hic*, ut loquitur iste Autor, *non venditur res spiritualis & sacra, sed ejus antiquitas & raritas.* Admissa hac formalitatum præcisione, fere omnis Simonia pallio aliquo tegi poterit.

71.) Non tamen nimia facilitate rejici debent

mittendum, ut publicæ venerationi exponantur Reliquiæ, fundatæ in Hiſtoriis, quæ nullam veriſimilitudinem præſeferunt 72.).

Requiritur recognitio Epiſcopi.

§. 57. In recognoſcendis ſacris Reliquiis Epiſcopus I. non debet procedere temere, ac ſine accurata conſideratione. II. Debet advertere, an Reliquia talis ſit, qualem deceat publico cultui & venerationi exponi. III. An Reliquia ſit Sancti Canonizati, vel Beatificati. IV. An conſtet ſufficienter de identitate Reliquiæ, ſcilicet, quod ea ſit ejus San-

bent documenta vel traditiones quarundam Eccleſiarum de ſuis Reliquiis. Pro inſtituendo cauto judicio juvat legere Honoratia S. Maria Animadverſ. in Regul. & Uſum Critices tom. 3. lib, V. Diſſert. 6. Item Joannis Ferrandi Diſquiſitionem Reliquiariam, ubi agitur de multitudine earundem numero Reliquiarum, quæ in diverſis Eccleſiis ſervantur, ſuſpicienda & ſuſpecta.

72.) Thiers de Superſtitionibus lib. II, c, 1. his Reliquiis annumerat Lacrymam Chriſti apud Vindocinenſes, quæ, ut vulgo fertur, a Chriſto fuſa eſt mortuo Lazaro; ab Angelo recepta in vaſe vitreo, & Magdalenæ donata; demum Conſtantinopolim, & inde iterum in urbem Vindocinenſem reportata.

cti, cujus esse dicitur; ita ut pru-
denter operari censeatur, qui illam
ut talem approbat & judicat 73.).

TITULUS VI.

DE SACRIS IMAGINIBUS.

§. 58.

Sacrarum Imaginum veneratio-nem,

PRÆTER Sanctorum Reliquias, Ec-
clesiis ornandis & devotioni Fi-
delium fovendæ adhibentur sacræ
Imagines. Usum & Venerationem
earum contra Acatholicos propug-
nant Theologi Dogmatici & Pole-
mici 74.). Nos pauca de hoc ar-
gumento afferemus, postquam hæ-
resin Iconoclastarum brevi stylo atti-
gerimus. Subnectemus dein, quid
Sacri Canones circa usum Imaginum
statuant, ne quod ad Religionem
fovendam est institutum, ad super-
stitionem inducendam valeat.

§. 59.

73.) Has quatuor propositiones fusius de-
clarat P. ANDREAS HIERON. ANDREUC-
CI Dissert. Canonico - Theolog. V. §. 2.

74.) PETAVIUS Theol. Dogm. tom. 2. lib.
XV. a c. 6. CARD. GOTTI Verit. Relig.
Christ. tom. 2. c. 80. TOURNELY Præ-
lect. Theolog. de Incarnat. quæst. ult.

§. 59. Ad finem Sæculi VI. SERENUS Episcopus Massilienſis Imagines Sanctorum confregit, & ex Ecclesiis removit ad evitandum adorationis periculum, cujus indiscretum Zelum reprehendit S. GREGORIUS M. 75.). Res eo tempore ultra processisse non videtur. Sæculo VIII. autem hæresin Iconoclastarum in Ecclesiam induxit, & immani crudelitate firmavit LEO *Isauricus* Imperator, a duobus Judæis ad eam impietatem pertractus, deturbatis, confractis ac deletis ubique Imaginibus Christi, Deiparæ ac Sanctorum, vano prætextu evertendæ Idololatriæ. LEONIS Patris impietatem superavit filius CONSTANTINUS *Copronymus*, convocata Pseudo-Synodo Iconoclastarum Episcoporum 76.), quorum autoritate fretus, horrenda ubique cru- *Impugnatam,*

75.) Lib. VII. epist. III. & lib. IX. epist. 9.

76.) Acta hujus Conciliabuli referuntur in Concil. NICÆN. II. act. VI. ubi JOANNES Diaconus ostendit, non posse Synodum illam dici Oecumenicam, quæ neque adjutorem habuit Romanum Pontificem, nec consentientes Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ & Sanctæ Civitatis.

delitatis & blaſphemæ improbitat ſpecimina edidit.

Laudat Synodus VII.

§. 60. LEO Patre COPRONIMO non melior filius, ſacrilegiorum pœnas acerba morte luit, uxore IRENE relicta, quæ ambitionis vitium zelo Catholicæ veritatis texit, convocavitque cum CONSTANTINO filio Synodum VII. ſ. NICÆNAM II. in qua Cultus Imaginum communi conſenſu fuit ſtabilitus Anno 787.

Male intellecta

§. 61. Cum dicti Imperatores impiam hæreſin etiam in Provincias Italiæ propagare vellent, nata exinde eſt occaſio excutiendi jugum eorum in Occidente, hujusque Imperium in Reges Francorum transferendi 77.). In ipſa tamen Francia Epiſcopi varie ſentiebant de ſacris Imaginibus, quarum uſum quidem non perſequebantur furore Iconoclaſtarum, cultum tamen ob varios abuſus, & ad vitandam ſuperſtitionem non cenſebant promovendum.

Acce-

77.) JOAN. ECKIUS tract. de non tollendis imaginibus c. 11. jubet Germanos meminiſſe, potiſſimam cauſam transferendi Imperium a Græcis in Germanos, fuiſſe Imaginum uſum &c.

Accedebat æmulatio potentiæ contra Græcos, & injuria CAROLO M. illata, dum CONSTANTINI junioris matrimonium cum filia CAROLI, malis artibus IRENES Matris fuit impeditum. Unde Episcopi quidam concinnarunt librum, nomine CAROLI vulgatum contra dictam Synodum Græcorum, eo stylo, qui non tam veritatis amorem, quam exulcerati animi impetum prodit.

§. 62. Convocavit CAROLUS eo tempore Episcopos Franciæ & Germaniæ Francofurtum, contra doctrinam ELIPANDI & FELICIS, qui hæresin Nestorianam resuscitare videbantur. Hac occasione usus HADRIANUS Pontifex, qui NICÆNAM Synodum nondum confirmaverat, pro pleniore discussione ad Conventum Francofurtensem per Legatos suos misit exemplum dictæ Synodi, in Latinam linguam adeo male versæ, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut nunquam potuerit adverti 78.). Inter alia, sententia CONSTANTINI Epi-

A Francofurtensibus.

78.) ANASTASIUS *Bibliothecarius* in Præfat. ad VII. Synod.

Episcopi Constantiæ Cypri, Actio III. his verbis proferebatur: Cre & cum honore recipio sacras & vene biles imagines juxta obsequium ado tionis, quam exhibeo consubstantiali vivificanti Trinitati 79.). Cum tam juxta textum Græcum deberet di his consentio, & concors efficior, suscipi & amplectens honorabiliter sanctas venerabiles imagines: atque ado tionem, quæ per latriam efficitur, supersubstantiali & vivificæ Trinitati pendo. Ex perversa hac interpre tione Francofurtenses Patres ind cti fuerunt, ut Nicænam Synod cujus græcum exemplar ad manu non erat, condemnarent his ver 80): Allata est in medium quæstio nova Græcorum Synodo, quam de a randis Imaginibus Constantinopoli 81 fecerunt; in qua scriptum habebat ut qui imaginibus sanctorum, ita ut D ficæ Trinitati, servitium aut adoratio non

79.) Quod latinum exemplar sic expresse sententiam Constantini, patet ex lib CAROLI M. lib. III. cap. 17.

80.) Can. 2.

81.) Hoc decretum non cum debita atte tione conceptum esse videtur, cum Syn dus Græcorum dicatur celebrata Const tinopoli, quæ habita fuit Nicææ.

non impenderent, anathema judicarentur: Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.

§. 63. HADRIANUS quidem Pontifex idem vitiosum exemplar latinum præ manibus habuisse videtur; censuit tamen, ob ejusmodi locutiones singulorum Episcoporum non esse rejiciendam Synodum; sed potius ex benigna interpretatione censendos esse singulos, *talem adorationem pro sacris imaginibus credere, qualis in definitione Synodi constituta est* 82.): Synodus autem auditis Episcoporum sententiis definit Act. VII. *Imagines proponendas esse ad prototyporum eorum memoriam & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam.* *Hadrianus Pontifex*

§. 64. Quam Catholice autem revera senserint Francofurtenses Patres, abunde probat ultimum Capitulum, quod miserunt ad HADRIANUM Papam his verbis: *Sciat Dom-* *Conciliat utramque Synodum.*

82.) Apud HARDUIN. tom. 4. colum. 803.

Domnus Apostolicus & Pater noster, cuncta simul Romanorum Ecclesiæ, ut cundum quod continetur in epistola beat simi Gregorii, quam ad Serenum Ma liensem Episcopum direxit, permitti Imagines Sanctorum, quicunque eas f mare voluerint, tam in Ecclesia, qu extra Ecclesiam, propter amorem Dei Sanctorum ejus: adorare vero eas quaquam cogimus, qui noluerint: fra gere vel destruere eas, etiamsi quis vol rit, non permittimus. Quam sente tiam, tanquam dignam CAROL M. laudat & magis elucidat H DRIANUS in Responso suo. Defi igitur Synodus Francofurtensis co tra Iconoclastas, Imagines tam Ecclesiis, quam alibi exponi pos nullatenus autem permittit, ut fra gantur & destruantur. Quoad cu tum autem Imaginum sentit, nem nem ad eas adorandas esse coge dum. Ex quibus omnibus eluc singularis prudentia HADRIA circa utramque Synodum, Nicænam & Francofurtensem, quarum una alteri conciliat, neutram autorita Pontificia confirmat.

Iconoclastarum hæ-

§. 65. Post plures Imperii Orie talis revolutiones LEO *Armeni* throno Imperiali sub annum 81

pro-

proditione occupato, Iconoclaſtarum hæreſin & furorem reſtauravit: quem etiam proſecuti ſunt MICHAEL *Balbus*, & THEOPHILUS, quorum ad LUDOVICUM *Pium*, data Epiſtola 83.), multos Græcorum abuſus circa cultum Imaginum græca fide recenſens, excitavit nonnullos Epiſcopos Galliæ erga Imagines male affectos, ut in Conventu Pariſiis acto 84.), primum quidem Conciliabulum COPRONYMI & Iconoclaſtarum de confringendis & abolendis imaginibus, poſtea vero acrioribus terminis Epiſtolas duas HADRIANI Pontificis, & ipſum Concilium NICÆNUM II. cum omnibus cultoribus imaginum, auſu plane temerario condemnarunt, volentes, ut haberentur quidem imagines, ſed nequaquam adorarentur, nec ſanctæ nominarentur 85.). Ex hac

reſis reſtauratur:

83.) Hæc Epiſtola inſerta eſt collectioni Imperialium Decretorum de Cultu Imaginum a GOLDASTO editæ. fol. 618.

84.) Huic opuſculo inepte tribui nomen Synodi Pariſienſis, oſtendit BELLARMINUS operum tom. VII. peculiari tractatu.

85.) In dicta collectione GOLDASTI, huic Pariſino Conventui ſubjungitur *Epiſtola nomi-*

hac doctrina Episcoporum Gallor
CLAUDIUS Taurinensis Episcop
deduxit conclusionem, neque Cr
cem Christi esse adorandam, qu
tamen Iconoclastis eo usque semp
venerationi fuerat. Unde per tota
suam Diœcesin omnes Imagines
Cruces delevit, ac confregit 86.
Tractatum ipsius refutavit JON
Aurelianensis 87.), sed debilibus
mis, cum & ipse vehementer pugn
ret contra cultum Imaginum, à q
tamen efficaciſſimum ducitur arg
men-

---

nomine Romani Pontificis ad Michae
atque Theophilum Imperatores Græcor
Nequaquam censendum est, hanc E
stolam ab Eugenio Pontifice fuisse
ptam aut missam ad Imperatores: est
lummodo idea & conceptus Epistolæ
Episcopis Galliæ concinnatus, & c
aliis documentis Romam missus per H
REMIAM & JONAM Episcopos, cul
Imaginum adversantes.

86.) SIANDA Lexic Polemic. V. CLA
DIUS TAURINENSIS. Quomodo s
mari soleat crux apud Græcos & L
nos, qua nos ipsos signamus, tradit G
TSERUS de Cruce lib. IV. c. 1. LEO A
LATIUS de Eccles. Occid, atque Ori
tal. consensione lib. III. c. 18. a n. 14.

87.) Biblioth. SS. PP.

mentum ad venerationem Crucis, vel laudandam vel improbandam 88.).

§. 66. Post THEOPHILI obitum uxor THEODORA cum filio MICHAELE, admodum infante, Augustis titulis ornata, restauravit in Oriente cultum Imaginum, confirmata Synodo NICÆNA II. in Conventu Episcoporum & Clericorum Constantinopoli habito, anno 842. 89.). Virtutes THEODORÆ Matris,

& damnatur a Synodo VIII.

88.) Eundem tractatum CLAUDII TAURINENSIS refutavit WALAFRIDUS STRABO de Reb. Eccles. c. 8. cum tamen etiam iste præjudicata opinione Gallorum imbutus videatur, refutatio non adeo est solida.

89.) De hoc conventu loquitur THEOPHANES in Orat. de S. NICEPHORO apud BOLLAND. in Actis SS. 13. Martii fol. 320. Post hunc conventum solemnis instituta fuit Processio Dominica prima Quadragesimæ, & singulis annis hoc modo revocabatur memoria restitutæ orthodoxiæ: unde Dominica illa nomen apud Græcos habet *orthodoxiæ*. LEO ALLATIUS in Dissertat. de Dominicis & hebdomadibus Græcorum n. 14. aliique ibi citati. CODINUS de Officiis Eccles. Constantinop. c. 15. n. 17. & ibi GRETSERUS Commentar. l. 3. c. 10.

tris, cujus laudes celebrat NICO LAUS I. Papa 90.), nequaqua æmulabatur MICHAEL filius: cu tus tamen Imaginum integer ſerva batur in Oriente: & demum con ſenſu Orientis & Occidentis, Con cilium Generale VII. ab octavo pa riter Generali 91.) Conſtantinopol & conſequenter à Sancta Sede con firmatum fuit, cui ſupremæ Conc liorum autoritati etiam Prælati Ga liæ ſe ſubmiſerunt.

Demum a Tridentina.

§. 67. Cultus Imaginum auto ritate totius Eccleſiæ anno 869. ſt bilitus, tandem iterum impugnat fuit Sæculo XII. in Gallia a PETR de BRUIS, qui in accenſam ſtruc ex confractis crucibus congeſta ad quam die Paraſceves carnes co quebat, ab indignante populo fu conjectus. Eundem errorem docu HENRICUS ejus diſcipulus 92. item

90.) In Epiſt. quæ eſt 14ta apud HARD IN. in Collect. Concil. tom. 5. col. 227

91.) Act. X. Can. 3.

92.) Utriusque aſſeclas impugnavit P TRUS *Cluniacenſis*, cujus Epiſtolæ co tra Henricianorum & Petrobruſianor hæreſes in Germania primum editæ f Ingolſtadii ann. 1546. continentur et in Bibliotheca Cluniacenſi ANDR QUERCETANI. col. 1117.

item Albigenſes & Waldenſes: dein Sæculo XIV. Wiclefiſtæ: Sæculo XV Huſſitæ: Sæculo XVI. CAROLOSTADIUS, ZWINGLIUS & CALVINUS, eorumque Sectatores. His omnibus confutandis ſufficit Decretum Concilii TRIDENTINI 93.), quo diſcrimen inter Idola Gentilium & Imagines Chriſtianorum, harumque legitimus uſus, & innoxia veneratio dilucide traditur.

§. 68. Inſiſtendo igitur doctrinæ Concilii TRIDENTINI, cenſemus, Deum in Decalogo 94.) non univerſe prohibuiſſe omnem prorſus Imaginum uſum, ſed earum duntaxat, quæ ad Numen aliquod repræſentandum fierent, quæ Idola nuncupantur. Quod ſi Synedrii ac Synagogæ poſtea decreto latius porrecta legis ſanctio eſt, id inter illorum ſecundarias præceptiones & ſcita Magiſtorum numerari convenit, quæ *ſepem Legis Divinæ* nominare ſolebant. *Nec Lex Moſaica.*

§. 69. Apud Chriſtianos diſtingui oportet inter Imaginum Uſum, & ea- *Nec Chriſtiana*

93.) Seſſ. XXV.
94.) Exod. XX. 4. Levit. XXVI, 1. Deuteron. V. 8.

earundem Cultum. Usus Imaginum ex eorum genere est, quæ adiaphora nominantur, quæ scilicet ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam Religionis attinent: sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat, vel ableget, prout satius esse decreverit. Quocirca primis ab ortu Christianæ Religionis temporibus, cum Gentilis in eam exardesceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc Idolorum superstitio; non tam frequens fuit Sacrarum usus Imaginum, uti neque Templorum aut Altarium 95). Ne scilicet quispiam, quod MARCELLINA Carpocratis discipula fecit, Imaginem JESU & PAULI cum imaginibus HOMERI & PYTHAGORÆ coleret; Gentium quoque mores & mysteria circa eas perficeret, adorando, incensumque po-

nen-

95.) ORIGEN. lib. VIII. contra Celsum. MINUCIUS FELIX in Octavio. ARNOB. lib. VI. adverss. gent. LACTANT. Divin. Inst. lib. II. c. 2. & alii rejiciunt simulacra DEI, sicut Templa & Aras, in eo scilicet sensu, quo Gentiles eadem adhibebant. Vid. ISÆUS in Notis ad eum locum Lactantii.

nendo 96.), exemplo ALEXANDRI *Severi* Imperatoris, qui in Lario suo ſtatuas CHRISTI & ABRAHAM inter falſos Deos poſuiſſe ſcribitur 97.). Unde ſub DIOCLETIANO & MAXIMIANO *Herculeo* Præfectus revulſis Eccleſiæ Nicomedienſis foribus, fruſtra ſimulacrum DEI quærebat 98.). Ex his intelligi poteſt mens Concilii ILLIBERITANI 99.), cui ad initium Sæculi IV. *placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*, id eſt, ne Gentiles ex ejusmodi picturis venirent in notitiam & pravam interpretationem noſtrorum myſteriorum 100.).

96.) S. AUGUSTIN. de hæreſib. c. 7. EPIPHAN. hæreſ. 27.

97.) ÆLIUS LAMPRIDIUS in Alexandro Severo.

98.) LACTANTIUS de Mortib. Perſecut. §. 12.

99.) Can. 36.

100.) Aptior hæc videtur interpretatio, quam ſit BALTASARIS DE BASTERO, olim Epiſcopi Gerundenſis, aut etiam ejus Adverſarii, in Diario Trivultienſi ann. 1750. menſ. April. art. 43. & ann. 1752.

Adversatur Imaginum usui.

§. 70. Pace autem & libertate reddita, Imagines Christi atque Sanctorum usurpavit Ecclesia, cum jam nullum Idololatriæ periculum esset, & ad propagandam Christi ac Martyrum memoriam, animandosque ad pietatis constantiam illorum exemplo Fideles, utile id esse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis eodem instituto ac tempore constat esse factum; sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus & indoles erat; & qui illis præerant, expedire judicabant. In hac igitur de Imaginibus controversia, recentioris Ecclesiæ potius exemplorum & Institutionum, quam antiquioris, duci rationem oportet 1.). Adeo enim Ido-

---

1752. mens. Jul. art. 83. Vid. SCHELSTRATE de Discipl. Arcani c. 7. art. 3. NATALIS ALEXANDER Hist. Eccles. sæc. III. Dissert. 21. art. 2. PAGI Crit. ad Annal. Baron. ann. 55. n. V. TOURNELY Prælect. Theol. de Incarnat. quæst. ult.

1.) Ita ratiocinatur PETAVIUS Theol. Dogmat. Tom. V. p. 2. de Incarnat. lib. XV. c. 13.

Idololatriæ metus evanuit, ut etiam falsorum Deorum simulacra, quæ forte ex ruderibus eruuntur, ad profanos urbium ornatus, vel ad profligatæ superstitionis monumenta serventur. Unde THEOPHILUS Episcopus Alexandrinus, cum cætera Idola in ollas & alia vasa conflasset, unum solummodo servari, & publice exponi jussit, ne sequenti tempore Pagani negarent, se tales adorasse Deos 2.).

§. 71. Nihilominus primis etiam sæculis Imagines alicubi positas fuisse constat. De Imagine Christi ab ipso Servatore nostro ad ABGARUM Edessæ Regem missa, habemus vetustissimam autoritatem 3.): uti & *cujus exempla habemus antiquissima.*

2.) SOCRATES Hist. Eccl. lib. V. c. 16.

3.) Vid. GRETSERUS Syntagm. de Imaginibus non manu factis. HONORATUS a S. MARIA Animadvers. in Regul. & usum Critic. tom. 2. lib. IV. Dissert. 2. art. 2. HADRIANUS Papa in Epist. ad CAROLUM M. pro Synodo Nicæna II. c. 18. refert, hanc historiam a tribus Patriarchis Orientis ad Pontificem perscriptam, & ab Antecessore suo STEPHANO III. in Synodo Romana relatam. HARDUIN. Tom. 4. col. 782.

de Facie Christi, VERONICA nuncupata 4.). Narrat EUSEBIUS 5.) scriptor Sæculi IV. a muliere illa, quam Christus Dominus a sanguinis profluvio sanaverat, erectam fuisse æream statuam Salvatoris, & adhuc sua ætate Cæsareæ Philippi superfuisse, cui & miraculum accessit herbæ cujusdam, quæ ubi ad pallii, quod in statua effigiatum erat, fimbriam excreverat, morborum genera omnia curabat. Statua hæc postea a JULIANO *Apostata* destructa fuit: frusta autem a Christianis collecta & in Ecclesia reposita 6.). NICODEMI, qui nocte ad JESUM veniebat, propriis manibus factam fuisse asserunt Imaginem Christi, quæ a Judæis excruciata, copiosum sanguinem fudit Beryti 7.). Imagines Deiparæ S. LUCAS pinxisse dicitur, neque ullo verosimili fundamento negatur 8.). De aliis Imaginibus Chri-

4.) Honoratus ibid. Differt. 8.
5.) Hist. Eccles. lib. VII. c. 73.
6.) Sozomenus Hist. Eccles. lib. 5. c. 20. Honoratus loc. cit. Differt. 2. art. 3.
7.) Synod. VII. General. Act. 4.
8.) Vid. Gretserus loc. cit. c. 18. & 19.

Christi & Apostolorum PETRI & PAULI per primos Christianos confectis antiquissima Historia testatur 9.). Ipse Divinus Servator noster formandæ Crucis autor Constantino fuit. 10.).

§. 72. Ex his demonstratur antiquissimus Imaginum sacrarum *Usus*. Qui vero ex Protestantibus Germaniæ Imagines quidem habendas putant, earum autem *Cultum* ac venerationem damnant, a seipsis dissident. Ex eodem enim fundamento, ex quo Cultum rejiciunt, debent etiam prohibere easdem fieri, & haberi qualicunque in æstimatione. Quippe Decalogi præcepto illo, quo Idolis interdicitur, etiam sacras Catholicorum Imagines prohiberi sentiunt: quod si verum est, non modo Cultui earundem intercedere debent, sed etiam formationi. Honor enim ille, qui defertur Imaginibus, est *Relativus*, & refertur ad Prototypon, quod neque Protestantes veneratione dignum esse ne-

Ex usu Imaginum infertur earundem Cultus,

9.) Euseb. loc. cit.
10.) Idem de vit. Constantini lib. 1. c. 23.

gabunt: an autem illis deferendu §.
etiam sit Cultus *absolutus*, relinqui- ſt,
mus Theologis Scholasticis discuti- iner
endum 11.): saltem Cultus nega- tum
tivus Imaginibus absolute defer- mulc
debet, ut nulla injuria aut deho- mam
nestatione afficiantur, non flamm- tur,
absumantur &c. Unde infertur, di- giſſi
versas Imagines ejusdem Sancti, pe- depe
se loquendo, æquali honore affi- temp
ciendas esse, cum idem in singul- est
prototypon honoretur: nihilomi- rito
nus cum Deus ad invocationem æru
ejusdem Sancti potius in hoc, quam rato
in illo loco; potius ad hanc, quam erin
ad illam Imaginem liberalius sua be- Ima
neficia largiatur: absque ulla super- ſalv
stitione fieri solet, ut una B. Virgi- non
nis, vel alterius Sancti Imago pr- ut e
alia ejusdem celebrior sit, major- quo
que frequentia hominum colatur. ſed
Sicut enim, quod Apostolus dicit, uſu
non omnes Sancti habent dona cu- ſup
rationum, nec omnes habent dijudi- inv
cationem spirituum: ita nec in om- tur
nibus memoriis Sanctorum ista fie- ma
voluit ille, qui dividit propria uni-
cuique prout vult 12.).

§. 73.

11.) Vid. Petav. loc.cit. c. 17.
12.) S. Augustinus Epist. 78. alias 13

§. 73. Catholica igitur ſententia eſt, *Cultum* Imaginum ſacrarum pertinere ad Dogmata Eccleſiæ, licitum ſcilicet eſſe, eas venerari, ſimulque earum Cultum, ſi ad normam Chriſtianæ doctrinæ exerceatur, ab Idolorum adoratione longiſſime diſtare: *Uſum* autem earum dependere ex Diſciplina, quæ variis temporibus & locis, varia eſſe potuit 13.). Unde Calviniani immerito irrident Catholicos, quod tot ærumnas olim ac mortes ſub Imperatoribus Iconoclaſtis perpeti maluerint, quam abjurare Sacrarum Imaginum Cultum, quæ removeri ſalva religione poſſunt. Nam Iconomachi non ſolum contendebant, ut e templis deturbarentur Imagines, quod tolerare *Diſciplina* poterat: ſed contra ipſum *Dogma*, Imaginum uſum, omnemque earum Cultum ſuperſtitioſum, impium, Deoque inviſum ducebant. Fundebant igitur Catholici ſanguinem pro dogmate Chriſtianæ fidei, quæ cauſa etiam

ad dogmata Eccleſiæ.

13.) Minus exacta videtur eſſe propoſitio, quod Apoſtoli prohibuerint Cultum Sacrarum Imaginum, quam propoſitionem no-

etiam reliquos Martyres fecit. 14.) Quod autem Imagines ex sententia Ecclesiæ Catholicæ quoad *usum* inter adiaphora censeantur: item quam utilitatem afferant, & qua ratione colantur, eleganter exprimitur in precibus, quibus benedicuntur Imagines hac formula: *Omnipotens Sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines seu Effigies sculpi aut pingi NON REPROBAS, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus & sanctitatem AD IMITANDUM memoriæ oculis meditemur: hanc, quæsumus, Imaginem in honorem ac memoriam Beati N. adaptatam benedicere ac sanctificare digneris; & præsta, ut quicumque CORAM ILLA IPSUM gloriosissimum N. suppliciter honorare studuerit, ILLIUS PRECIBUS ac obtentu, a te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futuro, PER DOMINUM NOSTRUM &c.* 15.).

§. 74.

notat Autor Historiæ Literariæ Italiæ vol. 2. lib. 1. c. 2. n. 11. & crisin suam defendit Vol. 4. part. 3. let. 2.

14.) Lamind. Pritanius, id est, Muratorius de Ingenior. Moderat. l. I. c. 15.

15.) Pontificale Romanum part. 2. Rubr. De Benedictione Imaginum. Olim Imagines

§. 74. Sicuti autem contra Acathoicos, Usus & Veneratio Imaginum commendatur: ita pariter resistendum erroribus, qui vel ex ruditate, vel ob turpem quæstum facile possunt irrepere. Duplici ratione contingere id potest, I. circa Repræsentationem. II. circa legitimum Imaginum Usum. *Resistendum est erroribus*

§. 75. Quoad ipsam Repræsentationem generalis regula est, quod ex quibus causis prohibentur nonnulli libri, ex iisdem tolerari non debeant nonnullæ imagines, utpote quæ sunt libri indoctorum 16.). Tales sunt Imagines vel falsum dogma repræsentantes, vel erroris occasionem præbentes: lascivæ aut sanctitatem Domus DEI dedecentes: dissidiorum causam dantes. *Quoad repræsentationem,*

§. 76.

---

gines etiam Chrismate ungebantur, & sic dedicabantur, ut scribit HADRIANUS I. ad CAROLUM M. HARDUIN. Concil. tom. 4. col. 792.

16.) *Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.* S. GREGOR. M. lib. VII. ep. III.

Ne falsum dogma repræsentetur,

§. 76. Ne falsum Dogma rep
sentetur, vel erroris occasio p
beatur, præcipua cura sit oporte
Divinitate, aut SS. Trinitate exp
menda. Potest ea forma adhib
sub qua Deus nonnunquam hom
bus apparere voluit: scilicet Di
nus Pater in forma Viri senis r
Verbum Divinum in humana na
ra, quam assumpsit; Spiritus S
ctus sub Columbæ specie r
Sub his figuris apte conjunctis
præsentata fuit SS. Trinitas ante
nos circiter mille & ducentos
Nolana Ecclesia 19.). Vide
etian

17.) DANIEL. VII. 9. Unde ALEX
DER VIII. damnavit hanc propo
nem Numero 25. tam *DEI P*
simulacrum nefas est Christiano in te
collocare. De Imagine DEI Patris C
seu Pallio Sacerdotali, & triplici C
na insignita, contra MOLINÆUM
SAUSSAYUS Panopliæ Sacerdot. P
Lib. VII. c. 7.

18.) LUCÆ III. 22.

19.) S. PAULINUS adscripsit hos versu

Pleno coruscat Trinitas mysterio:
Stat Christus amne: Vox Patris
tonat;
Et per Columbam Spiritus San
fluit.

etiam SS. Trinitatem repræsentari sub effigie Trium Virorum omnino æqualium: sed tutum non est, figuram hujus Mysterii superstruere incerto conceptui quorundam Interpretum, qui Tres Viros Abrahæ visos 20.) de SS. Trinitate intelligunt. Multo minus formanda hæc est sub figura monstrosa unius hominis, qui habeat triplicem faciem vel triplex caput 21.). Imago Spiritus Sancti sub forma speciosi Juvenis non habet fundamentum in Scripturis 22.).

Unde

20.) Genes. c. 18.

21.) Hac forma dæmon apparuit, Trinitatem se esse contestatus, uti refertur in Vita S. Norberti 6. Junii apud Bolland. fol. 833. & Urbanus VIII. dicitur tales Imagines ad ignem damnasse. Benedictus XIV. Bullar. tom. 1. fol. 566.

22.) Hæc figura non probatur Benedicto XIV. loc. cit. Familiaris autem fuit nostris temporibus piæ cuidam Virgini: & jam olim typis Belgicis excusa cum inscriptione: *Hac præfulgenti forma sese Spiritus Sanctus Divæ Virgini & Matri Teresiæ manifestavit.* Major hujus formæ antiquitas refertur in quibusdam Literis Bononiensibus, quæ in Diurno Manuscripto sæculi decimi quarti, & pe-

Unde ejusmodi Imagines ad publ
cum Cultum, præcipue in templi
non facile exponendæ sunt; quam
vis earum usus pro devotione pri
vata improbandus non sit. Quan
do repræsentatur Christus sub for
ma Pastoris ovem portantis in hu
meris 23.), vel sub forma Agni
non dicendæ hæ sunt Imagines Chri
sti, sed potius Symbola ex Evange
lio & Apocalypsi desumpta 24.).

§. 77.

---

nes Reverendissimum TROMBELLA, A
batem Canoniæ S. Salvatoris Bonon
inveniri narrant imaginem SS. Trini
tis, in qua Spiritus Sanctus *Pueri spe*
repræsentatur. Quando autem P. Fe
TUNATUS HUEBER in Menolog. Or
Seraph. ad diem 28. Decembr. narrat,
ANGELAM DE FULGINIO cum Spiri
S. *in forma pulcherrimi Juvenis* sibi a
parente sermones miscuisse; nescio q
autoritate id scribat, cum ipsa B. An
GELA dicat, illa omnia *intus* in se co
tigisse. Vid. Acta SS. ad diem 4. J
nuarii.

23.) Hanc figuram jam a primis Christi
nis in calicibus fuisse effigiatam, refe
TERTULLIANUS lib. de Pudicitia.

24.) Non pingimus Agnum tanquam fig
ram Christi immolandi, quam forma
improbant Patres TRULLANI Can.
Sed

§. 77. Imagines, quæ in repræsentanda Annuntiatione B. Virginis exhibent Puellum e cœlo inter radios descendentem in Uterum Virginis, videntur favere hæresi Valentini, docentis, Corpus Christi non esse assumptum ex substantia Matris 25.). Improbantur Imagines, exhibentes Christum jam glorioſum in cœlo coram Patre suo orantem genibus flexis super lignum Crucis. Item quæ extremo Judicio apponunt B. Virginem & Joannem Baptistam

aut erroris occasio præbeatur:

Sed tanquam Symbolum Christi immolati: sicut etiam posset Christus exhiberi sub Symbolo Vitis &c. Quando autem recentissimus Autor Apparatus Eruditionis p. 3. c. 2. art. 6. in fin. dicit: Patres Trullanos Christi imaginem sub specie Agni pingi præcepisse; errorem calami obrepsisse censeo. Eadem forma Agni displicere videtur HADRIANO Papæ I. can. 29. dist. 3. de Consecr. nam approbat Canonem Trullanum in Epistola scripta ad TARASIUM, & relata in Actione II. Synodi VII.

25.) Reprehendit pictores harum Imaginum S. ANTONINUS Sum. 3. p. tit. 8. c. 4. §. 11. Cum tamen hæc hæresis tempore isto sectatores non habeat, videtur his imaginibus periculum nullum subesse.

ſtam genibus flexis procumbentem coram Judice 26.). Optime pingitur S. Michaël cum libra, quæ ſignificet, quod Deus judicaturus ſit animam in æquitate: ſed erroris occaſionem præbent Imagines, ubi in una ſtatera ponderatur anima cum catalogo malorum operum, adſtante dæmone, qui lancem conatur deprimere: in altera ponuntur ejus virtutes, addito etiam quodam ſigno externæ devotionis ab eo homine exercitæ e. g. Roſario &c. acſi mala opera non excluderent e cœlo, modo bona numero præponderent 27.). Periculum erroris aliqui deprehendunt in Imagine S. Ægydii manum imponentis Carolo Martello:

26.) Videtur hæc Imago ſapere dogma ab Augustino Lib. XXI. de Civit. Dei c. 18. & 24. rejectum de damnatorum ſalvatione per preces & interceſſiones Sanctorum. Huc etiam pertinet apud Gratianum can. 20. XIII. q. 2. ex S. Hieronymo deſumptus.

27.) Talis doctrina continetur inter Sermones S. Augustini, nunc in appendice tomi VI. fol. 278. Sanam doctrinam ejus ſermonis, & imagines defendit Serarius in Joſue c. 5. q. 45. fol. 551.

lo.: ex historia enim ibi repræsentata forte quis colligeret, peccatum occultum posse absque Sacramentali Confessione per preces S. Ægydii dimitti 28.). Similiter occasionem erroris præbere possunt repræsentationes innixæ incertis historiis, vel revelationibus privatis. Unde etiam approbante Urbano VIII. decretum fuit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu Martyrii fama defunctorum imagines, cum laureolis aut radiis, in Oratoriis vel Ecclesiis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur: item ne ad eorum sepulchra tabellæ aut imagines appendantur, quæ tamen seperato ab Ecclesia loco custodiri permittuntur, si ad qualemcunque suo tempore probationem sanctitatis facere possint 29.).

28.) Hanc historiam in sensu Catholico explicant Hagiographi Antwerp. ad diem 1. Septembr. fol. 303. Lit. D.

29. Bullar. Rom. Tom. 4. fol. 54. & 55.

Tolerantur tamen errores minus periculoſi.

§. 78. Nihilominus errores quoſ-
dam minus periculoſos imaginibus
pictores paſſim admiſcent, a nemine
reprehenſi e. g. dum pingunt Chriſti
Corpus e cruce in gremio Matris
poſitum, ſine livore, cruore ve
plaga, exceptis quinque vulneri-
bus manuum, pedum & lateris;
forte magis ſoliciti de oſtentandâ
arte, quam exhibenda veritate 30.);
item dum repræſentant Chriſtum a
Cœnam ſedentem, cum ſolæ fæmi-
næ ſedere, Viri vero accumbere ſo-
lerent; vel ex aperto ſepulchro re-
ſurgentem; vel cuſtodes ad Sepul-
chrum dormientes: dum S. Hiero-
nymo appingunt rubrum Galerum
Cardinalitium. Cum tamen omnes
hiſtoriarum circumſtantiæ non pa-
teant ex authenticis documentis,
tribuendum aliquid eſt pictoris
phantaſiæ, aut etiam communi uſui
31.):

30.) Originem hæ imagines videntur ha-
bere ex Dialogo *de Paſſione Domini* inter
opera S. Anselmi, ubi B. Virgo narra
ad conſolationem ſuam & diſcipulorum
glorificatum fuiſſe Corpus Filii ſui, u
nulla plaga in eo apparuerit, præter qui-
que Vulnerum cicatrices.

31.): cauti tamen esse debent tam artifices in formandis, quam Prælati in admittendis Imaginibus in Ecclesiam 32.). Ubi autem ex dictis aliquæ jam extant, periculum erroris potest corrigi per salutarem doctrinam, qua populus in Catechesi & Concionibus eruditur, instruendus simul de metaphorica repræsentatione S. Christophori, Georgii, B. Virginis gladiis transfixæ, dæmonum varias machinas ad tentandos moribundos adhibentium, aut animam e corpore ad tartara funibus trahentium &c.

§. 79. Tolerari autem nequaquam debent Imagines lascivæ, vel sanctitatem domus DEI dedecentes, ubi Sanctæ Virgines, viventium mu-

Imagines non debent esse indecentes;

31.) Nec phantasiæ, nec communi usui adeo indulgeant Pictores, ut prodant crassam ignorantiam historiæ & morum antiquorum. Quosdam ejusmodi errores notat M. Le Pelletier in Dissert. sur les erreurs des Peintres, quam inserunt Trivultienses Diario suo ann. 1704. pag. 1981. & 2144. item ann. 1705. pag. 169. 516. 665. 1614.

32.) Antequam Imagines publice exponantur, deberent ab Episcopo approbari juxta Concilium Tridentinum.

liercularum vultus referunt, & umbratili velamento amantium oculos pascunt 33.). Mandat Concilium TRIDENTINUM 34.), *ut procaces venustate imagines non pingantur, nec ornentur.* Facile enim contingit, ut intuentes magis moveat Magdalenæ nuditas, quam lacrymæ: ut casta Susanna non duos tantum Senes ad libidinem concitet: ut curiosius spectetur Bethsabea lavans, quam David pœnitens. Nimia cultus vanitas Sanctos dedecet: possunt tamen pingi in vestibus pretiosis; quas gemmæ & margaritæ ornant, ad repræsentandam eorum gloriam in cœlo. Aliquæ Imagines non habent quidem objectum in se sacrum; referuntur tamen ad aliquem sacrum usum religionis, uti imago Dæmonis, Mortis, Inferni. Cavendum, ne etiam in his aliquid repræsentetur contra Decentiam, vel Christianæ Religionis dogmata. Hinc tolerandum

33.) Exprobratur Gentilibus, quod *Praxiteles Veneris Cnidiæ imaginem construens, similem eam fecerit Cratinæ, quam amabat, ut adorarent miseri amicam Praxitelis.* Clemens Alexandr. Orat. ad Gent. Arnob. lib. 6. adverf. gent.

34.) Sess. XXV.

randum non est, ut diabolus tentans Christum in deserto, repræsentetur indutus habitu Monachali & cucullo : ut Sacris Imaginibus adjiciantur ridicula parerga.

Nec dissidiorum causam præbere.

§. 80. Merito etiam tolluntur Imagines dissidiorum causam præbentes. Plura Decreta Pontificum de repræsentando Habitu quorundam Sanctorum, alibi retulimus 35.). Cautum olim erat ad discordias exterminandas, ne stigmata S. Catharinæ Senensi impressa repræsententur 36.). Inhibitum etiam est, ne Imagines Christi, Deiparæ , Angelorum, Sanctorumque aliorum pingantur cum habitu certorum Ordinum, aut aliter, quam in Ecclesia hactenus viguit usus. Autoritate etiam Principum Sæcularium tollen-

35.) Hierarch. Eccl. tit. 35. §. 448.

36.) Bulla Sixti IV. legi potest apud MARTENE in Collect. veter. Scriptor. tom. 6. Col. 1382. Eruditum libellum pro his Imaginibus S. Catharinæ Senensis scripsit VINCENTIUS JUSTINIANUS ANTISTIUS, ubi in fine adjungitur Decretum Clementis VIII. ne quid innovaretur, donec hoc negotium a S. Congregatione Rituum declaratum fuerit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dæ essent & abolendæ Imagines, in quibus nonnulli Acatholici Romanum Pontificem, Sacramenta Ecclesiæ, aliosque ritus Catholicos sub figuris calumniosis ac impiis exhibent. Universim autem circa tollendos abusus in pingendis Imaginibus cavendum est, ne privata auctoritate aliquid attentetur, unde Fideles turbari magis possent. Servanda potius doctrina Concilii Tridentini 37.), ut si dubius, aut difficilis abusus extirpandus sit, Episcopus exquirat sententiam Concilii Provincialis, nihilque novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur inconsulto Romano Pontifice.

Cavendus usus Imaginum sacrarum ad effectus vanos:

§. 81. Si Imagines rite, decenterque sunt factæ, legitimus quoque debet esse earum usus absque ulla superstitione. Peccatur contra hanc Regulam, quando D. Pauli, vel S. Urbani Imagines in profluentem vel puteum conjiciuntur, festivis eorum diebus forsan incidentibus in fœdam tempestatem, vel pluvium

37.) Cit. Sess. XXV.

vium cœlum 38.). Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi reprobat deteſtabilem uſum horrendæ indevotionis illorum, qui tempore ceſſationis a Divinis, Crucis, B. Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum Imagines ſeu ſtatuas irreverenti auſu tractantes, eas proſternunt in terram, & urticis ſpinisque ſupponunt 39.). Uſus etiam periculoſus eſt, ſi Sacris Imaginibus inſcribantur certæ pollicitationes, eos qui ſecum geſtarent tales imagines, non ſine pœnitentia aut Sacramentis deceſſuros; aut illo die ab omni infortunio liberandos; aut proſperum in negotiis eventum habituros 40.). Vix non ſuperſtitioſam fiduciam ponunt aliqui in Nummis, quibus impreſſa eſt Imago S. Georgii, aut S. Chriſtophori 41.).

38.) Martinus de Arles tr. de Superſtitionib. ſimile quid refert de Imagine S. Petri, aut Corpore S. Feliciæ.

39.) C. 2. de Offic. Ord. in 6.

40.) Concil. Cameracenſ. ann. 1565. tit. 19. de Sanctis c. 6. idem cavendum monet in invocatione Sanctorum.

41.) Hujus Sancti Imaginibus nonnullis inſcribuntur hi verſus:

Chri-

Aut profanarum ad effectus sacros.

§. 82. Sicut superstitiosum est Imagines Sacras ad vanos usus assumere, ita pariter superstitiosum videtur, imagines, quæ nihil Sacri præseferunt, ad effectus sacros adhibere. Indignatur BENEDICTUS XIV. figuræ pollicis inter Indicem & medium digitum prominentis, quo nonnulli fugari dæmones putant 42.). Sigilla Talismannica, sive sint Astronomica, sive Magica, sive Mixta; imagines Ragiel, Chaël, Thetel, Salomonis, Hermetis, & similes nugas omnino explodere oportet. 43.).

§. 83.

Christophore Sancte, virtutes sunt tibi tantæ :
Qui te mane vident, nocturno tempore rident.

42.) Figura hæc censetur originem trahere ex turpi figura, qua Romani Ethnici utebantur contra fascinum : & de ea intelligunt aliqui OVIDIUM lib. 5. Fastor.
Signaque dat digitis medio cum pollice junctis,
Occurrat tacito ne levis umbra sibi.
Plura de ejusmodi signis Romanorum videri possunt apud VINCENTIUM ALSARIUM de Invidia & Fascino Veterum Tom. 12. GRÆVII.

43.) Speculum Lapidum CAMILLI LEN-

§. 83. Locus Imaginum sacrarum debet esse decens & honestus. Etiam Leges Civiles jubent *honorandas Cruces non alibi, nisi in venerabilibus locis reponi* 44.); voluntque *signum Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere* 45.). Quam Legem ut ad nostra tempora accommodemus, non de nudo signo Crucis, quod ubique lapidibus sepulchralibus insculpi videmus, sed potius de Effigie Christi e Cruce pendentis interpretari malo, ne pedibus conculcetur. Eadem in res sacras Religio exigit, ut etiam aliæ piæ Imagines humi non ponantur, ubi irreverentiæ transeuntium exponantur: alias enim, ut conqueritur

Locus Imaginum debet esse decens.

NARDI, PARACELSUS de occulta Philosophia, GAFFARELLI Curiositates inauditæ cap. 6. seq. qui Autor reprehendit quidem aliquas superstitiones; in alias tamen ipse incidit, laudando figuras Talismannicas Astronomicas, quas damnat THIERS de Superstitionib. l. V. c. 2. LE BRUN Histoire Critique des Pratiques Superstitieuses. lib. III. c. 1.

44.) Novell. 123. c. 32.

45.) L. un. C. Nemini licere Signum Salvatoris &c.

tur S. Bernardus 46.), *ſæpe ſpuit in ore Angeli, ſæpe alicujus Sanctorum facies calcibus tunditur tranſeuntium* Fixione Crucis profana loca expiari, Deoque conſecrari credunt 47.): paſſim etiam uſus habet, ut ſignum Crucis apponatur Inſtrumentis ab iis, qui literarum ſunt ignari, aut ſcribere præpediuntur 48.). Idem ſignum, aut Imagines Chriſti, B. Virginis, aliorumque Sanctorum, paſſim videmus impreſſas Nummis aureis & argenteis aut etiam ſigillis: expoſitas in viis publicis ad fovendam tranſeuntium pietatem 49.): collocatas in navibus eorum honori dedicatis 50.). Præcipuus

46.) Apolog. de Vit. & Morib. Relig. c. II.
47.) Nov. V. c. 1. Nov. 67. c. 1. Nov. 131. c. 7. L. ult. C. Theod. de paganis Sacrific. & Templis.
48.) L. ult. §. 2. C. de Jure deliber. Nec Just. 90. præfat. Nov. Leonis. 72.
49.) Synod. Nicæn. II. act. 7.
50.) Non laudant aliqui, nominari naves ab ejusmodi Sanctis, cum aliæ naves frequenter habeant nomina profaniſſima, unde concurſus horum nominum ſæpe indecentiam prodit. Multo minus tolerandum, ut tabernæ præſeferant Inſignia ac nomina Sanctorum.

cipuus autem locus Sacrarum Imaginum sunt Templa, aut etiam Aræ 51.): sicut enim Corpora Sanctorum sub Altari reponuntur, aut illorum Reliquiæ super Altari collocantur, ipsæque Aræ Summo DEO in honore Sanctorum consecrantur: ita etiam eorundem Imagines ad ornatum Aræ, & ad memoriam ac venerationem Fidelibus ingenerandam exponi possunt: exponendi autem Imaginem Crucifixi sub celebratione Missæ, præceptum est 52.). Sicut autem in locis inhonestis collocari non debent; ita etiam in honestissimis & sacris decenter habendæ, a sordibus defendendæ, nec alia ratione deformandæ sunt 53.).

§. 84.)

51.) Profana fuit Imago, quam Christiani abhorrebant, prout narrat Optatus Milevit. de Schism. Donatist. in fine libri 3. Insuper Imagines Beatorum, necdum Canonizatorum, super Altari collocari non debent inconsulta Sede Apostolica, prout Decretum fuit sub Alexandro VII.

52.) Ad tollendos hac in re aliquos abusus, edidit Benedictus XIV. Constitutionem, quæ est 17. tom. 2. Bullarii sui.

53.) Qui occasione Ecclesiæ tapetibus ornan-

Spectacula pia.

§. 84. Porro quod Imagines pr[55.] ſtant, ut rudis populus erudiatur con id etiam fieri ſolet piis quibusda ſimi ſpectaculis. In multis German tos locis adhuc hodie repræſentatur *biſpi* Templis Aſcenſio Chriſti in cœlum Chr deſcenſus Spiritus Sancti, Hiſtor cleſi Chriſti Nati, a Magis adorati, Hi teri roſolymam invecti ſuper Aſinum cho Improbari hæc non debent, ſi de cleſi center & devote fiant 54.). Siqu ctas 55.) repr Scili ban con ritu carp

nandæ, frontem Imaginis D. Petri pariete depictæ clavo transfixerat, tolerabili capitis dolore, qui tamen re xo clavo mox mitigatus eſt, temeri tem ſuam luebat in Civitate Citien cujus Epiſcopus veritatem rei jurejur do confirmavit in Synodo NICÆNA act. 4.

54.) Vid. CONRAD. BRUNUS de Imagi c. 17. MOLANUS Hiſt. Imag. lib. IV. 18. Romæ olim in Dominica infra oct vam Aſcenſionis, Pontifice concion ad Populum habente de futuro feſto Pe tecoſtes, ex ſummo tholo Eccleſiæ Mariæ ad Martyres projiciebantur ſup populum Roſæ, tanquam ſymbolum guarum ignearum, quæ die Pentecoſ ſupra capita diſcipulorum apparebant. ANTON. BALDASSARRI La Roſa d'O cap. 3. n. 1.

55.) aliud non improbat, quam inconditas infimæ plebis voces, aut similes abusus fors alicubi fieri solitos, laudamus ejus crisin: si vero *bispidam* devotionem credit, qua Christi Imago inter Angelos ad Ecclesiæ tholum trahitur, cantante interim Sacerdote, & respondente choro ex precibus & versibus Ecclesiæ; tunc eodem jure etiam pictas Imagines, Christi Ascensionem repræsentantes improbare debet. Scilicet nimis acerba crisi improbant, quidquid apud se fieri non conspiciunt, ignari, quod etiam ritus aliqui ipsis consueti, æque carpantur ab aliis.

TITULUS VII.

DE CAMPANIS, ET INSTRUMENTIS MUSICIS.

§. 85.

Campanas.

Ut finis, ad quem Ecclesiæ construuntur, obtineatur, varia vel

55.) Muratorius de Nævis in Religionem incurrentibus c. 10.

vel opportuna, vel neceſſaria ſu
Ut eo convocetur populus ad Of
cia Divina, Campanis ex ære
ſtanno conflatis, & ex alta Tu
ſuſpenſis utimur. Primi Chriſtia
ſævientibus Tyrannorum perſecut
nibus, publicum & ſtreperum ſi
num adhibere non poterant. Si
guli debebant nominatim cer
temporibus convocari: quod mi
nus inter alia pertinebat ad Diac
nos 56.). Poſt redditam Eccle
pacem Chriſtiani Campanam, ſ
Æs campanum 57.), alio nomi
Tin-

56.) S. IGNATIUS M. ad Heronem Dia
num Epiſt. 13. ſcribit: *Synaxes ne neg
gas: omnes nominatim inquire.*

57.) Deſumpta vox creditur ex *Campa*
Provincia Italiæ, non quidem, quod
Campanæ primum inventæ fuerint, cu
rei veſtigium non invenitur: ſed for
ibidem commodior modus ſuſpendend
æquilibrandi Campanas in uſum tra
ctus eſt. Unde etiam apud Græcos
tores inferioris ævi inveniuntur vo
καμπανος, καμπανιζειν, pro ſtater
ponderare. ACHMES Oneirocrit. c.
ζυγον, ἡ το λεγομενον καμπανον. P
exempla refert JOAN. MEURSIUS
Gloſſario Græco-barbaro. V. καμπα

Tintinnabulum 58.), seu Nolam 59.), quam Ethnici pridem adhibuerant ad usus profanos & sacros 60.), usurpare cœperunt pro convocando populo ad Ecclesias. Sicut Turcæ non utuntur Campanis, sed populum stentorea Sacerdotis voce

58.) Vox desumpta a *Tinnitu*, qui est proprius metalli sonus.

59.) Nola dicitur ab Urbe hujus nominis in Campania, forte ob celebres artifices ibi habitantes. Utitur hac voce QUINTILIANUS Orat. Instit. Lib. VIII. c. ult. ubi refert antiqui Oratoris ænigma *In cubiculo Nola.* Plerumque *Nola* sumitur pro Tintinnabulo minore, *Campana* pro majore. Hæc apud Germanos vocatur Glock: unde vox latino-barbara *Clocca*, quæ reperitur in CAROLI M. Capitular. III. ann. 789. c. 18. In Vita S. Anscharii 3. Februarii: S. Angilberti 18. Febr. S. Liobæ 28. Septembris, & aliis ejus ævi Scriptoribus. In eadem vita S. Angilberti inter alia supellectilia Monasterii Centulensis numerantur *Schillæ tres*, seu Nolæ & Tintinnabula minora, germanice *Schell.*

60.) Varia loca veterum Autorum recenset ANGELUS ROCCHA de Campanis cap. 3. HIERONYMUS MAGIUS de Tintinnabulis. cap. 3. seqq.

ex turri ad templum invitant: i
nec Græcis inter se habitantibu
usum Campanarum permittunt, n
earum sono detur signum tumultu
vel conspirationis, qui proin pul
tabulæ ligneæ utuntur, quæ *Syna*
drum a convocando populo dicitur
aut ferrea lamina ferreo malleo
percussa, quam vocant ἀγιοσιδηρ
id est, *Sacrum ferrum* 61.).

Ecclesia §. 86. Numerus & magnitud
Campanarum deberet respond
Dignitati Ecclesiæ 62.), ut etia
hac

61.) Formam hujus instrumenti exhibet M
GIUS cap. 15. De pulsatis lignis fac
mentionem facit Concil. Nicæn. II. Act.
Serius enim in Oriente, quam in Oc
dente invaluerat Usus Campanarum.

62.) Vid. Acta Synodalia Mediolan. part.
fol. 328. Magnitudine sua celebris
Campana Erfurtensis, Rothomagensis,
præ omnibus Nanckinensis in Sinis. V
KIRCHERUS China Illustrata p. 5. fol.
item Musurgiæ tom. 1. lib. 6. part. 4. c.
Observat THIERS de Superstit. p. II. l.
c. 12. que les gens les plus grossiers so
ceux, qui aiment davantage les cloch
& le son des Cloches . . . les Allem
& les Flamans en ont de grosses &
grand nombre & cela vient de leur
de politesse &c. Editor libri Hollan
in additionibus ad finem adjectis dic
tou

hac in re primas ferat Ecclesia Cathedralis; hanc sequatur Parochialis. Religiosis Mendicantibus, præter campanulas in Refectoriis, Capitulis & aliis Officinis, unicam permittit Campanam JOANNES XXII. 63.). Consuetudo contraria non est universim extendenda; sed ad locum individuum, ubi viget, restringenda 64.). INNOCENTIUS XI. autem universim concedit, ut Fratres Ordinis Prædicatorum in suis respective Conventibus, seu Domibus Regularibus, sive Ecclesiis ubicunque locorum existentibus plures, & quotquot Magister Generalis ejusdem Ordinis pro tempore existens, sive eorum Prior Provincialis respective determinaverit, Campanas habere, & retinere, illasque ad excitandam populi devotionem pulsare, & pul-

tout le raisonnement de M. Thiers est si plat & si insipide qu'il ne vaut pas la peine qu'on s'y arrete.

63.) Extrav. un. de Offic. Custod. inter commun.

64.) Barbosa Voto 102. n. 62. seqq.

sari facere libere & licite possint, valeant 65.).

benedictas adhibet

§. 87. Ritus benedicendi & usus sacros destinandi Campanas, antiquus 66.). Causæ ejus continentur in precibus sub eo recitatis solitis 67.): & recensentur a Concilio

65.) Const. *Exponi nobis.* 12. Febr. 1687 inter Innocentii XI. Bullas n. 137.

66.) Meminit Ordo Romanus, qui est [illegible] antiquissimus. Ceremonia hæc vocatur impropria vocatur a nonnullis *Baptismus* quia Campanæ aqua benedicta lavantur Sancto Infirmorum Oleo & Chrismate unguntur, eisque nomina imponuntur plerumque a Sanctis, pro quorum Ecclesiis fieri curantur. Vid. ANDREAS DU SAUSSAY Panopl. Sacerdot. p. 2. l. c. 6. art. 22. Hispani solent etiam [illegible] mere virum & mulierem tanquam Patrinos. In quibus ceremoniis nulla invenit superstitio, quam cavendam monet supra allegatum Capitulare CAROLI M. *ut Cloccas non Baptizent.* Abusus aliquos etiam in nostra Germania olim irrepsisse, facile mihi persuadeo: unde orta est nimium exaggerata querela [illegible] tuum Imperii ad HADRIANUM VI. [illegible] lata. Gravam. cap. 51. de Baptismo Campanarum.

67.) Vid. Pontificale Romanum de Benedict. Campan.

cilio COLONIENSI 68.): solent communiter comprehendi hoc carmine:

I. Laudo Deum verum: II. Plebem voco: III. Congrego Clerum:
IV. Defunctos ploro: V. Nimbum fugo: VI. Festaque honoro.

§. 88. I. *Laudo Deum verum.* Frequenter solet signum Campana dari ad Deum adorandum, & preces fundendas. Ad Christum in Eucharistia adorandum, quando pervenitur ad Consecrationem in Sacrificio Missæ, non tantum præsentes in Templo per tintinnabulum minus; sed etiam per campanam majorem admonendos esse absentes, præcipit Concilium AQUENSE 69.). Idem fit, quando S. Viaticum portatur ad infirmos: & multis in locis, quando quis in agonia constitutus morti est proximus. Signum Campanæ ad salutandam Virginem mane, meridie & vespere, adscribi

Ad laudandum Deum:

68.) Ann. 1536. part. 9. c. 14.
69.) Celebratum ann. 1585. apud HARDUIN. tom. 10. col. 1529.

solet tum URBANO II. tum CALLIXTO III. Romanis Pontificibus ad implorandam Divinam opem contra Saracenos & Turcas, & precandam quietem illis, qui in Sacris expeditionibus occubuerunt 70.) Concessit BENEDICTUS XIII. centas Indulgentias iis, qui has preces genibus flexis recitarent 71.). Solet etiam in nostris Provinciis signum dari feriis quintis & sextis ad recolendam memoriam Agoniæ Christi in horto, & Mortis in Cruce.

Convocandam plebem:

§. 89. II. *Plebem voco.* Campanæ ex altiore loco suspensæ in illis tantum Ecclesiis admittuntnr, in quibus jus est convocandi Plebem ad Divina Officia. Unde in Oratoriis intra Monasteria Religiosorum constructis non

70.) Forte de hoc ipso signo intelligitur quando JOANNES IV. Misnensis Episcopus contulisse scribitur XX. dierum Indulgentiam iis, qui quo tempore Campana, quæ *a precatione* nomen habet, pulsari solet, in Basilica Cathedrali coram Altari preces fuderint. XV. Cal. Novembr. 1428. SIGISMUNDUS CALLES Ser. Misnens. Episcop. fol. 287.

71.) Vid. Card. PETRA tom. 5. ad Const. Calixti III.

non permittitur Campana 72.), utpote quæ Orationis solum causa constructa fuerant, quando Religiosi nondum poterant in suis Ecclesiis Missas publicas dicere, aut Sacramenta administrare 73.). Ubi autem & postquam hæc permissa sunt, reprehenduntur Episcopi, qui prohibent Religiosos habere Campanam 74.).

§. 90. III. *Congrego Clerum.* Notissimus est usus Campanarum pro convocandis Canonicis ad Capitulum & Clericis ad Horas Canonicas cantandas. Monachi olim convocabantur aut tuba 75.): aut Malleo & lignorum collisione 76.): aut per cantatum Alleluja 77.): aut etiam Tintinnabulo minore seu Nola 78.). *Congregandum Clerum:*

72.) C. 10. de Privileg.
73.) C. 11. XVI. q. 1.
74.) C. nimis. 16. de Excess. Prælat.
75.) Pachomius in Regul. n. 2. Climacus Grad. 18.
76.) Cæsarius lib. 1. Histor. c. 40. & lib. 6. c. 36. De la Cerda Adversar. Sacror. c. 44. n. 22.
77.) Id fiebat in Monasteriis Virginum a S. Paula erectis, prout testatur S. Hieronymus Epist. 27. ad Eustoch. c. 10.
78.) Cæsarius Lib. IV. Hist. c. 28. S. Hie-

Preces pro Defunctis fundendas:

§. 91. IV. *Defunctos ploro.* Silentium Campanarum est signum luctus: unde post mortem S. THOMÆ Cantuariensis Archiepiscopi anno fere integro sonus Campanarum suspensus est 79.), quod praecipue fiebat ob Interdictum Ecclesiæ; hoc enim durante silent campanæ 80.); uti & in triduo Hebdomadæ Sanctæ 81.). Quod autem in funeribus Christianorum Campanæ sonent, ratio est, quia hoc sonitu monentur fideles ad orationem pro defunctis faciendam. Mentio alicubi 82.) fit Campanarum manualium pro mortuis, sicut etiam Tintinnabuli, quando Eucharistia portatur ad infirmos.

§. 92.

HIERONYM. in Regul. Monach. c. 33. *Nullum ex vobis dormientem reperiat Campanilis sonitus.* Tale signum intelligit S. BENEDICTUS Regul. c. 43. Vid. ROSWEYDUS in Vitis Patrum, in Onomastico Verb. *signum percutere.*

79.) MATTH. PARIS ad ann. 1171.

80.) C. 11. de Pœnit. & Remiss. C. alma mater. 24. de sent. Excom. in 6.

81.) GUILIEL. DURANDUS Rational. Divin. Offic. Lib. VI.

82.) Concilium MERTANENSE ann. 1300. c. 4.

§. 92. V. *Nimbum fugo.* Perſuadent ſibi aliqui ex Philoſophia, Campanarum ſono aërem ſcindi, & tempeſtatum injurias naturali effectu depelli. Alii confidunt in virtute Divina, quæ precibus Eccleſiæ in benedictione Campanarum imploratur. Forte uſus pulſandi Campanas urgente tempeſtate ideo invaluit, ut populus orandi gratia convocetur ad Templum, vel ſaltem ad preces domi fundendas admoneatur 83.). Nota eſt devota perſuaſio populi, qui a fulmine & grandine ſe tutum fore confidit, ubi auditur ſonus Campanulæ a S. BENNONE 84.), & a *Tempeſtates repellendas:*

83.) Tempeſtatem bellicam pulſu campanarum depulit S. Lupus Archiepiſcopus Senonenſis, qui Clotarii copiis urbem Senonenſem obſidentibus, ſignum dedit ad convocandum populum campana Eccleſiæ S. Stephani: & mox hoſtes perterrefacti aufugerunt. Acta SS. ad diem 1. Septembr. fol. 258. Aliqui inde miraculum eruunt: alii putant, quod eo tempore, ſcilicet ad initium Sæculi VII. campanæ non fuerint valde uſitatæ: proin ſubitum terrorem incuſſerint hoſtibus.

84.) In loco prope Misnam. Act. SS. 16. Junii in Comment. prævio fol. 149.

S. WOLFGANGO benedictæ 85. Unde patet, Fideles longe abesse a Ethnicis, qui superstitiose credebant, spectra depelli pulsato Tintinnabulo. *Docendus est ergo populus exterioribus istis, ut signatis potius quam signis inhæreat ac intendat &c.* 86. Historiolas de sagis ad sonitum Campanæ a dæmone destitutis, & similibus eventibus credunt aliqui 87. rejiciunt autem Sacri Canones cum plurimis Autoribus 88.). Reprehendi certe merentur, qui grandinem & tonitrua passim adscribunt incantationibus hominum: *Mendacii res est,*

85.) Campanula S. Wolfgangi suspensa est ex turri Templi Collegii Societatis JEsu Ratisbonæ.

86.) Concilium Colon. ann. 1536. part. 9. c. 15.

87.) Grillandus de Sortilegiis quæst. 7. Delrio Disquisit. Magic. L. II. q. 16. & Lib. VI. c. 2. Sect. 3. q. 3. Binsfeld de Confess. maleficor. dub. 6. fol. 343. & Fabricatores *Mallei maleficarum.*

88.) Can. 12. XXVI. q. 5. Ponzinibius de Lamiis a n. 45. recentissime Tartarottus, Scipio Maffei, & Autor libellorum, qui inscribuntur: L'Histoire des Imaginations Extravagantes de M. Onfle.

est, qui opus divinum homini tribuit: nam per hoc inter duo mortifera maximaque mendacia constringitur, dum testificatur hominem facere posse quod solius DEI est posse; & DEUM non facere, quæ facit 89.).

§. 93. VI. *Festaque honoro.* Ad hunc finem in multis locis pulsantur Campanæ harmoniaco sonitu 90.), vel ingenti & longo strepitu ad horas nocturnas æque, ac diurnas, majore plerumque molestia vicinorum, quam Dei Sanctorumve honore 91.). *Festa Sanctorum honoranda:*

Ca-

89.) AGOBARDUS Episcop. Lugdun. in lib. contra insulsam vulgi opinionem de grandine & tonitruis, inter opera fol. 138. &c. Acerbius vanam credulitatem Christianis exprobrat WIERUS de præstigiis dæmonum. item in Libro Apologetico.

90.) Ejusmodi machinas exhibet allegatus MAGIUS & ROCCHA. In Notis ad Magii cap. 17. ponit SCHWEERTIUS figuram machinæ, ubi campanæ triginta tres organi sonum reddunt.

91.) Unde ex BARBOSA cit. vot. 102. n. 88. concludit, prohiberi posse assiduum, & intempestivum Nolarum sonitum. Idem sentit ALCIATUS Parergon Juris Lib. VIII. c. 11. Ad hoc efficiendum non opus esset miraculo, quale edidit S. ELIGIUS, dum mutam fecit campanam,

Cavendum etiam ſummopere, ne quid ſuperſtitioſi interveniat 92.) Moderatum tamen Campanarum concentum celebritati Feſtorum eſſe opportunum, docent innumeri miri eventus, ubi Campanæ ſponte ſua, vel potius nutu Divino ſonum ediderunt 93.). Similiter in ſignum gaudii & honoris fit ejusmodi pulſus, quando occurritur adventanti Pon-

---

nam, ut nullum ſonum ederet. Surius in Vita Lib. II. c. 21. ad diem 1. Decembris. Laudanda tamen non eſt Civitas Burdigalenſis, quæ ob rebellionem privata fuerat campanis, ut narrat P. Daniel Hiſt. Franc. ſub Henrico II. ad ann. 1548. quando autem campanæ debuiſſent reſtitui, populus ſe oppoſuit, ne quis turbetur importuno earum ſonitu. Dictionnaire de Trevoux V. Cloche.

92.) Non ſine faſtidio alicubi pridie cujusdam feſti toto pomeridiano tempore audivi interpolatos Campanæ ictus, cum Incolis ſit perſuaſum, dentium dolore per eum annum carituros, qui funem Campanæ eo die dentibus attraxerint.

93.) Fere in ſingulis tomis Hagiographorum Antwerpienſium occurrunt tales narrationes. Videantur eorum Indices Morales Verb. *Campana.*

Pontifici, Episcopo, Imperatori, Regi aut Principi 94.).

Eas pulsat

§. 94. Officium pulsandi Campanas Custodi competit 95.). Cum autem Custos id facere per alios permittatur, Ostiariis hoc munus tribuitur, quibus dicit Pontifex: *Ostiarium decet percutere cymbalum & campanam;* & Archidiaconus tradit eis funem campanarum, quas pulsant 96.).

Custos per Ostiarium.

Cantus

§. 95. Postquam locuti sumus de Campanis, quæ sono suo populum ad Ecclesiam convocant: nonnulla dicenda videntur de Cantu & Instrumentis Musicis, quorum concentu populus in Ecclesia suaviter detinetur.

in Ecclesiis

§. 96. Sanctissimam esse consuetudinem, qua ad Horas Canonicas & Missarum celebritates Cantus & Psal-

---

94.) Ermenoldus Abbas Prüfeningensis credebatur inter campanarum clangores obviam processurus Henrico V. Imperatori, ex Civitate Ratisbonensi ad Monasterium invisenti. Negavit Abbas se id permissurum, cum Henricus esset excommunicatus. Acta Sanctorum ad diem 6. Januarii.

95.) C. 1. & 2. de Offic. Custod.

96.) Pontificale Romanum de Ordinat. Ostiarior.

Psalmodia in Ecclesiis adhibetur, a nemine in dubium vocari potest. Usum nascentis Ecclesiæ in Oriente & Occidente demonstrant plurima veterum Scriptorum monumenta 97.) Unde Concilium TRIDENTINUM 98.) inter Ecclesiasticas disciplinas, in quibus adolescentes in Seminariis erudiri cupit, etiam *Cantum* recenset, illum *planum* scilicet, qui ad excitandam Fidelium devotionem & attentionem, modesta psallentium gravitate prolatus, nomen *Cantus Ecclesiastici* dudum promeruit.

vehementer mutatus est:

§. 97. Quam diversam Musicæ rationem posterior ætas in Ecclesias introduxerit, norunt omnes: illi soli non satis videntur perpendere, qui in componendis hodiernis modulis sunt

97.) Vid. BARONIUS ad Ann. Chr. 60. n. 24. seqq. BELLARMIN. Tom. 4. Controv. de Bonis Operib. in particulari Lib. I. c. 16. SUAREZ tom. 2. de Relig. Tr. 4. Lib. IV. c. 7. P. MAGNOALDUS ZIEGELBAUR Hist. Rei Liter. Ord. S. Bened. part. 2. c. 3. sect. 6. & part. 4. c. 3. sect. 3. §. 5. BEVEREGIUS annot. ad Can. 15. Concil. Laodiceni. pag. 194.

98.) Sess. 23. c. 18. de Reform.

sunt exercitatissimi; cum plerumque Cantus Ecclesiastici artem plane ignorent. Ab antiquis observatum esse, notat Cardinalis BONA 99.), nunquam ab aliqua Gente mutatam fuisse Musicam, quin & ipsa in deterius mutata, ipsique mutantium mores in pejora delapsi sint. Apud antiquiores Græcos tota Musicæ scientia Deorum veneration, adolescentumque institutioni impensa fuit 100.): etiam apud Hebræos Instrumentorum Musicorum sonus & Cantus, non in theatris, sed in Templo audiebatur 1.). Postmodum lascivire Musica in theatris didicit: ac demum theatralem lasciviam ad Sacra Mysteria solennius celebranda in Ecclesias transtulit. Tam vocum, quam Instrumentorum rationem habere oportet.

§. 98. Cantum *figuratum & harmonicum* quod attinet, non ille quidem prohibetur, *quin interdum, diebus festis præcipue sive solennibus in Missis*

non prohibetur figuratus cum debitis cautelis.

99.) De Divin. Psalmod. c. 17. §. 3. n. 3.
100.) PLUTARCHUS Dialog. de Musica.
1.) CALMET Dissert. de Music. Hebræor.

sis & Divinis Officiis aliquæ consona tiæ, quæ melodiam sapiunt, supra Ca tum Ecclesiasticum simplicem proferantu sic tamen, ut ipsius Cantus integritas libata permaneat, & nihil ex hoc bene morata Musica immutetur; maxim cum hujusmodi consonantiæ auditum mulceant, devotionem provocent, & psallentium Deo animos torpere non nant 2.). Nimis tamen affectat & Theatrum redolentes modulatio nes, uti & fractæ mollesque Eunu chorum aut Fæminarum voces, qu bus devotio impeditur, verba sa ctissima vel truncantur, vel inep repetitione risui exponuntur, an musque ad profanas affectiones ex citatur, merito ab Ecclesiis exular jubentur. Jam sæculo duodecimo JOANNES *Salesberiensis*, Carnoten sis Episcopus 3.) conqueritur d abusu Musicæ, quæ *ipsum quoque ca tum Religionis incestat*: dum Cantor

ante

2.) Extrav. un. inter Commun. de Vita Honest. Cleric. NAVARRUS Enchir de Orat. c. 16.

3.) Lib. I. Policratici de Nugis Curialiu c. 6.

ante conſpectum Domini in ipſis penetralibus Sanctuarii, laſcivientis vocis luxu, quadam oſtentatione ſui, muliebribus modis, notularum articulorumque cæſuris, ſtupentes animulas emollire nituntur. Unde Concilium TRIDENTINUM 4.) jubet, ut Epiſcopi *ab Eccleſiis muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum aut impurum aliquid miſcetur, arceant.* Quibus verbis non tam cantiones laſcivas, quas utique nemo in templis decantare audebit, quam eos modulos averſatur Synodus, qui ad impuras cantilenas vulgo accommodantur 5.).

§. 99. Inſtrumenta Muſica omnes Veteris Teſtamenti libri memorant, quorum ſonitu laudes DEO cantabantur; Spiritus malus a SAULE recedebat; Spiritus bonus ELISEUM replebat. Deum enim, quod *voces pie cantantium, & ſonos religioſe organizantium benigne ſuſciperet, & inter alia Divina obſequia, hæc quoqne devote exhibita approbaret, tantorum Prophetarum tam ſublimibus exemplis* *Inſtrumenta muſica*

4.) Seſs. 22. Decret. de Celebrat. Miſſæ.
5.) Sic Concil. CAMERACENS. ann. 1565. tit. 6. c. 4. *Ne modulatione laſcivas cantiones imitentur.*

voluit indicare 6.). Præcipuum usum hac ætate in templis habet Organum: quo quidem nomine comprehenduntur omnia vasa Musica 7.) singulariter autem venit Instrumentum pnevmaticum, quod aëre folibus immisso animatur. Inventum creditur circa tempora JULIANI Imperatoris, cui adscribi solet Epigramma non inelegans *de Organo*. 8.) Ejus usus in Galliam introductus est sub Rege PIPINO, cui CONSTANTINUS *Copronymus* dono miserat 9.) Serius in Ecclesiis Occidentis, nunquam in Ecclesiis Orientis ejusmodi Instrumenta musica fuerunt adhibita. VITALIANUS quidem Pontifex scribitur 10.) Cantum ordinasse, adhibitis ad consonantiam Organis:

6.) PETRUS *Cluniacensis* dictus *Venerabilis* tr. adversus Petrobrusian. §. ult. tom. 22. Biblioth. SS. PP. item in Biblioth. Cluniacensi col. 1229.

7.) S. ISIDORUS lib. 3. Origin.

8.) Refert illud PETRUS MARTINIUS *Mirentinus* in Præfat. ad ejusdem Imperatoris opera.

9.) Annales Francorum sub nomine ADELMI ad ann. 757.

10.) PLATINA de Vitis Pontif. in vita Vitaliani.

ganis: sed absque fundamento id scribitur. Certe in Pontificia Capella Romæ, usque ad præsentem diem nullus Organorum musicorum usus, sed sola vocum Musica, eaque gravis cum plano cantu admittitur. Alii post tempora demum S. THOMÆ Aquinatis id factum credunt sæculo XIII. 11.); cum Sanctus hic Doctor dicat: *Instrumenta musica non assumit Ecclesia in divinas laudes, ne videatur Judaizare* 12.). Verum S Thomas loqui censendus est de Ecclesiis sibi notis in Italia: nam usum hunc jam prius viguisse in Anglia & Gallia, desumitur ex ÆLREDO *Rievallensi* in Anglia, & supra laudato PETRO *Cluniacensi* in Gallia, quorum uterque floruit & scripsit circa medium Sæculi XII. Imo ex documentis Sæculi X. colligitur, Organi usum jam illa ætate fuisse in quibusdam Angliæ Monasteriis 13.)

11.) Sic sentit etiam BINGHAM Orig. Eccl. vol. 3. l. 8. c. 7. §. 14.

12.) 2. 2. q. 91. art. 2.

13.) Vid. Histor. Liter. Ord. S. Bened. cit. part. 2. S. WICTERPUS jam sæculo VIII. organum pro temporum conditione satis ele-

Non improbantur: §. 100. Ut Laudes Divinæ hi Instrumentis celebrentur, eleganti carmine hortatur Christianus Poëta Prudentius 14.): Ne autem in templis ad Divina Officia celebranda adhibeantur, plurimi semper obstiterunt. Sæculo VIII. GUTBERCTUS Abbas, discipulus BEDÆ a LULLO Archiepiscopo Moguntino, S. BONIFACII successore, rogat sibi mitti CITHARISTAM, cum Citharam haberet, & artificem non haberet 15.) Utique Abbas hic Citharæ usum non voluit adhibere ad celebritatem mensæ suæ, sed potius ad solemnitatem Divini Officii in templo. Eodem autem Sæculo Concilium CLOVESHOVIENSE 16.) Citharistas e Monasteriis ejici jubet. S. JUSTINUS (vel quisquis est Autor quæstionum a Gentibus propositarum) multis laudibus extollit Cantum; Instrumen-

elegans in nova Basilica B. Virginis Mariæ fieri procurasse scribitur ab aliquo, quod tamen ex quo fonte hauserit, ignorare se fatetur CAROL. STENGELIUS Rer. August. p. 2. c. 5. n. 10.

14.) Adversus Judæos.

15.) Epistola hæc a SERARIO refertur inter Bonifacianas n. 89.

16.) Celebratum anno 747. Can. 20.

menta autem Musica e templis sublata dicit 17.), ea etiam ex ratione, ut Fideles magis recederent a Gentilium ac Judæorum ritibus: usus enim horum Instrumentorum malus non est; facile tamen in abusum degenerat, quod Sæculo XII. deplorabant, & nunc deplorant multi. Ex laudati ÆLREDI cultissima Oratione hæc pauca depromo 18.): *Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus* 19.) *tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? ad quid illa vocis contractio & infractio? ... & hæc ridiculosa dissolutio vocatur Religio; & ubi hæc frequentius agitantur, ibi DEO honorabilius serviri clamatur. Stans interea vulgus sonitum follium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum, tremens attonitusque miratur* &c. &c. Ad convivia veterum adhibebatur musica, ut animum a cibis averteret, & sua concinnitate calorem vini tem-

17.) Quæst. 107.

18.) Specul. Charit. l. II. c. 23. in Bibl. SS. PP. tom. 23.

19.) Eo tempore non videntur organa fuisse satis temperata. In Hist. Lit. Ord. S. Bened. p. 2. pag. 341. sæculo X. refertur organum triginta follibus instructum, quos septuaginta viri agitabant.

peraret 20.). Hodierna Musica in Divinis Officiis adhiberi videtur, ut animus fidelium a Divinis abstrahatur, & fervor pietatis concinnis modulis tepefiat.

Sed eorum abusus in templis.

§. 101. Zelus multorum Episcoporum & Synodorum 21.) remedium huic malo afferre conatus est: MARCELLUS II. Pontifex musica Instrumenta ab Ecclesiis removere constituerat: Patres Concilii Tridentini egerunt de molliore harmonia in templis interdicenda; Imperator tamen FERDINANDUS optavit, ne cantio, quam figuratam appellant, excluderetur, cum sæpe sensum pietatis excitet 22.): unde Decretum moderari placuit ad formam quæ habetur *Sess. 22. in Decreto de observ. in celebr. Miss.* 23.). Plurimis tamen in locis nihil

20.) PLUTARCH. de Musica circa fin.

21.) Synod. CAMERACENS. 1565. tit. 6. c. 3. & 4. MECHLINIENS. 1570. tit. de Offic. & Cult. Div. c. 10. Item ann. 1607. tit. 12. c. 7. Conc. ROM. 1725. tit. 15. c. 6.

22.) PALLAVICIN. Hist. Conc. Trid. p. 3. l. 22. c. 5. n. 15.

23.) In Hist. Lit. Ord. S. Bened. part. 2. pag. 345. Patres Concilii mentem mutasse dicuntur auditis suavissimis modulis Joan-

nihil effectum erat contra illos, *qui DEI chorum omni phonaſcorum ſyntagmate, vocum omnis generis diſcrimine, imo & tubarum clangore, cornutorum ſtridore, alioque ſtrepitu vario, præclare gloriantur impleſſe, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba obſcuret, ſenſumque ſepeliat & adobruat* 24.). Noviſſime BENEDICTUS XIV. pro ſua Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio, occaſione Anni Sancti ad Epiſcopos per ditionem Eccleſiaſticam conſtitutos, Epiſtolam Encyclicam dedit, profunda eruditione & documentis ſaluberrimis refertam pro Muſica in templis rite ordinanda 25.). Ex hac Epiſtola & aliis Eccleſiaſticis Libris pauca documenta delibare lubet.

Joannis Petri Aloyſii Prænestini. Hujus Magiſtri Capellæ Vaticanæ modulis, mentem MARCELLI II. mutatam fuiſſe refert BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. 3. Conſt. 3. §. 5. Miſſi ſcilicet fuerint Roma Tridentum, ut idem operarentur in Tridentinis Patribus, quod ante ſeptennium effecerant in Marcello Pontifice. Credo, quod majorem efficaciam habuerit voluntas Imperatoris, quam ars Petri Aloyſii.

24.) Verba hæc ſunt WILHELMI LINDANI Panopl. Evang. p. 1. lib. IV. c. 78.

25.) Bullar. tom. 3. Conſt. 3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Documenta pro Musicæ usu in Ecclesiis.

§. 102. I. Ubi retinetur Cantus planus & firmus, curandum est, ut *in Choro ad psallendum instituto, hymnis & Canticis DEI nomen reverenter, distincte, devoteque laudetur* 26.). *Nec prius psalmi versiculum una pars chori incipiat, quam ex altera præcedens psalmi versiculus finiatur* 27.), ut fidelium animi ad devotionem & pietatem excitentur.

§. 103. II. Ubi Cantus figurati & musicorum Instrumentorum usus receptus est, maxime cavendum, ne ipsius Musicæ sonus, quid theatrale aut impudicos amorum, bellorumve classicos modulos referens, in DEI laudibus decantandis imitetur 28.).

§. 104. III. *Caveant Episcopi, ne dum in Chorum, musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum & aliorum quæ cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur: sic musicam, quæ organica dicitur, retineant, ut*

26.) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de Reform.

27.) Conc. Salmuriense ann. 1253. c. 1.

28.) Conc. Tolet. ann. 1566. act. 3. c. 11.

ut eorum quæ cantantur verba & intelligi possint, & potius pronuntiatione, quam curiosis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur 29.).

§. 105. IV. *In Divinis laudibus, aut omnino in Ecclesiis, nec profana cantica, sonive, nec in Sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ, quam ore expressæ, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur* 30.). *Neque puellarum cantica in Ecclesiis exerceantur* 31.).

§. 106. V. Inter Divina Officia, & quo tempore publicæ Fidelium venerationi in Ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario vel Missali Romano; vel quæ saltem a SS. Scriptura aut SS. Patribus desumpta sint 32.).

§. 107. VI. Quæ in Missis ad doctrinam & eruditionem fidelium

29.) Idem loc. cit.

30.) Concil. Mediolan. I. 1565. part. 2. n. 51.

31.) Conc. Autisiodor. circa ann. 578. c. 9.

32.) Alexander VII. Const. *Piæ solicitudinis.* 36. ann. 1657. Innocentius XII.

pertinent, ut Epistola, Evangeliu
Symbolum, ita legantur aut cana
tur, ut præsentes distincte exaudi
singula verba possint: quæ vero
laudes pertinent, ut sunt Hymn
Gloria in Excelsis, *Sanctus*: in his mu
sica locum habeat, non tamen che
reis potius, quam choro congruens
sed gravis, ac movens pios affectu
quæ vero ad preces referuntur,
sive legantur, sive canantur,
fiant, ut affectus deprecantis pot
us, quam exultantis lætitia demo
stretur 33.).

§. 108. VII. Indecens est, ut
solemnibus Officiis ob cantorum a
organorum prolixos concentus,
mittantur, aut neque a Choro, ne
que a Sacerdote alta voce dicantu
ea, quæ sunt præcipua: cujus ge
neris sunt Symbolum, Sanctus, Pre
catio Dominica, Agnus Dei 34.).

§. 109. VIII. Ubi musicorum In
strumentorum usus permittitur, cen
suerunt illustres artis musicæ Magi
stri a BENEDICTO XIV. consulti

ea

XII. die 20. August. 1692. in Bullar.
88. tom. 7. Edit. Luxenburg.

33.) Conc. Camerac. ann. 1565. tit. 6. c.

34.) Conc. Colon. 1536. part. 2. c. 12.

ea tantum instrumenta adhibenda esse, quæ inserviunt ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces, uti præter organum est Barbiton tetrachordon majus & minus (*Violon, Violoncello*), Monaulon pneumaticum (*fagot*), Lyræ tetrachordes (*Violini*), in quibus tamen non edantur modi adeo acuti, ut puerilem potius hilaritatem, quam gravem erga Sacra Mysteria venerationem, animorumque intentionem excitent: eliminata autem e Templis voluerunt Tympana, Cornua venatoria, Tubas, Tibias & Fistulas (Hautsbois, Flutes).

§. 110. IX. Dicta instrumenta ita adhibenda sunt, ut vis quædam verborum cantui adjiciatur, magisque audientium mentibus, eorum sensus infigatur, nequaquam autem voces cantantium opprimantur: neque ita continenter personent, ut solum per momenta aliqua interquiescant, quo liberum spatium præbeant audiendis harmonicis modulationibus, vocumque crispatarum vibrationibus (vulgo Triller).

§. 111. X. Tolerari etiam possunt Symphoniæ sine ullo cantu Divinis Officiis intermixtæ, dummodo graves

ves ſint, & earum prolixitate tæd
um non afferatur iis, qui vel inſe
viunt, vel adſtant Miſſis 35.).

§. 112. XI. Si in Hymnis, Pſalm
& Canticis, ſuis vicibus organo c
natur, omnes tamen eorum ver
culi in Choro diſtincte pronuntie
tur 36.).

§. 113. XII. In Miſſis Defunct
rum, diebusque Adventus & Qu
drageſimæ, Feſtis duntaxat excepti
Organa non pulſentur, nec aliu
quodvis inſtrumentum adhibeatu
Dominica autem Adventus terti
dicta *Gaudete*, & Quadrageſim
quarta, nuncupata *Lætare*, pulſa
Organa permittuntur in Miſſa tan
tummodo Conventuali 37.).

§. 114. Finem imponat CLE
MENS *Alexandrinus* & ejus Com
mentator. CLEMENS quidem 38
vehementer invehitur in molles
enervatas harmonias: ſimulque
ſenſu tropologico explicat verb
Pſalmorum, quibus Deum laudar
jubemur in Pſalterio & tympano
tubis

35.) Suarez loc. cit. c. 13. n. 17.
36.) Conc. Mediol. cit. loc.
37.) Benedictus XIII. in Conc. Ro
tit. XV. c. 6.
38.) Lib. 2. Pædagogi. c. 4.

tubis bene sonantibus. GENTIANUS HERVETUS autem in Commentario addit hæc verba: *Sed quid agas, cum tales sint hodie mores, talia tempora, ut ea sint potius toleranda, quam tollenda, ne graviora accidant.*

TITULUS VIII.

DE SACRA TEMPLI SUPELLECTILE.

Conf. Decretal. Lib. 3. t. 44.

§. 115.

PRO supellectile interioris Templi varia requiruntur Vasa. I. Ad Sacrificium Missæ, cum Patena Calix aureus vel argenteus 39.), aut ob

Pro supellectile Templi requiruntur Vasa:

39.) Can. 44. & 45. Dist. 1. de Consecrat. In prima Ecclesia adhibitos fuisse Calices ex viliore materia, constat: adhibitos tamen in celebrioribus locis etiam fuisse aureos & argenteos, æque certum est. De tempore S. LAURENTII, qui in persecutione Valeriana passus est, PRUDENTIUS περι στεφανων. hymn. II. v. 65. seqq. inducit Tyrannum ita loquentem:

Hunc esse vestris Orgiis
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut AURO Antistites.
ARGENTEIS Scyphis ferunt

Fu-

ob ſummam paupertatem ſtanne(non tamen vitreus, nec ligneu nec ex cupro aut orichalco) ab Epſcopo conſecratus & ſancto Chrmate delibutus 40.). II. Ad conſervandam Euchariſtiam, Tabernaculum, Ciborium, aliaque pyxpro minoribus formulis conſecraad Communionem Fidelium reſervandis, & ad Viaticum ægrotorportandis: item Hierotheca, in qumajor Sacra Hoſtia per cryſtallurelucens populo monſtratur. III. Paſſervando Oleo infirmorum, Catechumenorum, & Chriſmate. Statuit autem Concilium LATERANENSE 41.), *ut in cunctis Eccle* 42.). *Chriſma & Euchariſtia ſub fida cuſtodia clavibus adhibitis conſervent*

ne

Fumare Sacrum Sanguinem,
AUROque nocturnis Sacris
Adſtare fixos cereos.

Add. S. AUGUST. l. III. contra Creſcon c. 29. THEODORETUS lib. III. c. 11.

40.) Pontificale Rom. p. 2. De Patenæ Calicis Conſecrat.

41.) Relatum in C. 1. de Cuſtod. Euchar

42.) Intelligitur hoc de Eccleſiis Parochialibus. Regulares tamen in ſuis Eccleſ aſſervant etiam Oleum Infirmorum pro fibus intra ſuos domeſticos parietes.

ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda &c.

Vestes:

§. 116. Requiruntur pariter Vestes pro Sacerdotibus & Ministris, ea forma & colorum diversitate, quæ his temporibus passim in Occidente est consueta. Ad nostrum propositum parum refert, an primis tribus sæculis Clerici in Sacris functionibus alia, quam communi vestium forma fuerint usi 43.): Sæculo quarto, sacrarum vestium usus absque dubio vigebat 44.). Res hæc ad Disciplinam pertinet, & mutationi obnoxia est. Si enim in quavis Republica inveniantur Leges Rem vestiariam concernentes: decet etiam, ut Ecclesia suis Clericis, præcipue in Sacrorum administratione peculiarem vestitum designet, pro majore decentia, Ecclesiarum conformitate & unitate. Nec tamen credendum, has Vestes originem suam

43.) Affirmat Card. Bona Rer. Liturg. l. I. c. 5. n. 2. & c. 24. Negat Bingham lib. 13. c. 8. §. 1.

44.) Bingham ibid. §. 2. ex Theodoreto lib. II. c. 57. Athanasio Apolog. 2. Sozom. lib. II. c. 22.

ſuam trahere ex myſticis illis ſigni dum
cationibus, quas DURANDUS ritib
alii pii Scriptores illis devote a Eccl
commodant. Veſtes Sacerdotum §
Levitarum, ut ſacris tantum uſib ceſſa
dicatæ ſciantur, benedicuntur libu
Epiſcopo, vel Sacerdote haben ſtra
facultatem, ſcilicet Amictus ſ ſtol
Humerale, Alba, Cingulum, Ma
pulus, Stola, Caſula, Tunica, D
matica, Pluviale, & pro Epiſcop
etiam Sandalia, Chirothecæ, Cr
ante pectus, Mitra & Pedum P
ſtorale.

Mappæ: §. 117. Eadem ratione bened
cuntur Mappæ pro tegendis aris, qu
bus accedit Corporale, cui Sac
Hoſtia & Calix imponitur. Et qu
dem Corporalia & Vaſa, quæ ja
ſuſtinuerunt impoſitum Sacrame
tum Euchariſtiæ, ob reverentiam
non ſolent tangi a Laicis: ſed ſolu
a Sacerdotibus & Clericis, qui ſal
tem ſint Subdiaconi.

Candelabra: §. 118. Candelabrorum & C
reorum uſus 45.), uti & Lamp
dum,

45.) Forte luminum uſus primis tempo
bus mere ob neceſſitatem inter Chriſti
nos fuit introductus, cum perſecutio
meru

dum, Thuribuli & Suffitus 46.), ex ritibus Veteris Testamenti ad nostras Ecclesias traductus est 47.).

§. 119. Libri pro usu Ecclesiæ necessarii sunt I. Sacra Scriptura Fidelibus prælegenda. In Ecclesiis nostrarum regionum, Evangelia & Epistolæ, quæ per Dominicas & Festa *Libri.*

metu ante lucem conventus agerent, & in cryptis sacrificarent; postea etiam in Ecclesiis valde obscuris, quales etiamnum extant: unde PRUDENTIUS supra allegatus: AUROque nocturnis sacris &c. Demum servatus fuit iste mos majestatis causa, ad gaudii significationem, & ad lætitiam testandam: ad quos fines cunctæ fere gentes accendebant faces. Vid. JOAN. BAPT. LE BRUN in not. ad LACTANT. Divin. Instit. lib. VI. c. 2.

46.) Morem adolendi Altaria commemorat S. AMBROSIUS Com. in Luc. I. v. 11. Aurei Thuribuli a CHOSROE Ecclesiæ Constantinopolitanæ donati, meminit EVAGRIUS lib. VI. c. 20.

47.) Varii miri eventus circa luminaria passim referuntur. Candelæ in Templo S. VERENÆ sæpe vento extinctæ, sponte accenduntur. Act. SS. die 1. Septembr. pag. 172. Idem bis accidit ante Corpus B. REMACLI. ibid. pag. 707. Valido vento non extinguuntur luminaria in Translatione S. CRODOGANGI. ibid. pag. 770. Similia reperiuntur in aliis Tomis eorundem Actorum.

totius anni occurrunt, lingua vernacula legi solitæ, asservantur in Ecclesia; reliqua Biblia juxta vulgatam Editionem Clerici in suis ædibus tenent, eaque, quæ populum scire oportet, in Concionibus & Catechesibus proponunt. II. Statuta Synodalia. III. Libri Rituales; qui scilicet comprehendunt Exorcismos, Benedictiones, Ceremonias & Ritus administrandi Sacramenta, aliasque functiones Sacerdotales obeundi: item qui continent Missas, Horas Canonicas, Lytanias &c. IV. Libri, in quibus notantur nomina Baptizatorum, Confirmatorum (horum saltem numerus notatur, si nimia sit copia) matrimonio junctorum, Defunctorum: item Status Parochiæ 48.). Eliminandi autem sunt ab Ecclesiæ adytis, & Parochorum ædibus libri, qui continent varias Benedictiones aut Exorcismos nunquam ab Ecclesia approbatos, & superstitionem potius redolentes.

Hæc asservantur in Sacristia:

§. 120. Ejusmodi supellectili custodiendæ aptari debet *Sacristia*, vel locus vicinus: *Sacrarium* autem seu

Piscina

48.) Formulæ inscribendi reperiuntur in Rituali bus Diœcesium.

Piſcina vocari ſolet locus, ubi effunduntur, aut reponuntur ea, quæ ex ſacris uſibus ſunt reſidua, e. g. aqua lavandis Calicibus vel Corporalibus adhibita, Cineres ex combuſto goſſypio, quo tergitur Sacrum Oleum vel Chriſma &c.

§. 121. Univerſim circa Eccleſiarum Ornatum & ſupellectilem merito reprehenduntur Clerici 49.), *Qui non ſolum Eccleſias dimittunt incultas, verum etiam vaſa Miniſterii, & veſtimenta miniſtrorum, ac pallas altaris, nec non ipſa Corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus ſunt horrori.* Unde præcipitur, ut *Oratoria* 50.), *Vaſa, Corporalia, & veſtimenta munda & nitida conſerventur: nimis enim videtur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.* *Et ſint nitida:*

49.) C. 2. de Cuſtod. Euchar. Pretioſitatem rerum ſacrarum tanquam incitamentum magnificationis DEI, inter Proteſtantes ſummopere commendat WOLFIUS Jur. natur. part. 8. §. 521. & 522.

50.) Forte melius legitur *Oraria*, quam vocem explicat Card. BONA Rer. Liturg. l. 1. c. XXIV. n. 6. BEVEREGIUS Annot. in can. 22. Concil. LAODICENI, pag. 195.

Nec adhibeantur ad usus profanos:

§. 122. Porro *indignum valde est, ut Sacra Domini Vasa, quæcunque sint, humanis usibus serviant* 51.): similiter ad profanos usus, aut *ad nuptiarum* (vel Theatrorum) *ornatum divina ministeria non præstentur; ne dum improborum contactu, pompaque sæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia Sacri mysterii videantur indigna* 52.).

§. 123.

51.) Can. 41. Dist. 1. de Consecr.

52.) Can. 43. ibid. arguit inde Glossa quod ex vestibus profanis cujusdam domi- minæ non debeat fieri Casula, vel alius quis ornatus Ecclesiæ. ABBAS *Panormit.* in c. ad hæc. 4. n. 5. de Relig. Domib. ait, contrarium observari, & male. Sed argumentum hoc nihil probare, patet ex iis, quæ annotantur ibidem ad Abbatem Lit. d. item in Glossa marginali ad di- ctam Glossam. Certe MELANIA Junior sanctissima fœmina laudatur a PALLADIO in Histor. Lausiaca, quod omnia sua serica superhumeralia tegumenta (ἡμιφόρια) dederit Altaribus, reliqua autem serica indumenta cum conscidisset, res diversas fecerit Ecclesiasticas. Græca editio Meursii addit piissimam OLYMPIADEM idem feciſſe. Econtra NICEPHORUS CALLISTUS libr. 8. Hist. Eccl. c. 32. narrat fluxum unguenti ex corpore S. GLYCERIÆ M. manantis stitisse, quando suppo- sita fuit argentea pelvis, quæ antea ad- hibita fuerat ad usus magicos.

§. 123. Sicut autem supellex Templi propria, ad manus esse, & nitide conservari debet: ita vicissim supellex aliena & profana Templis inferenda non est, *ut potius domus Laicæ, quam DEI Basilicæ videantur: nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium, sic tamen, ut necessitate cessante res in loca pristina reportentur* 53.). *Nec profana infe-rantur in Templum.*

§. 124. Totam supellectilem Ecclesiæ exacte describit, & singularum rerum figuras oculis exhibet *Ornatus Ecclesiasticus*, Latino & Germanico idiomate conscriptus a JACOBO MYLLERO Vicario Ratisbonensi. Plurima ad hanc rem tradit ANDREAS DU SAUSSAY in *Panoplia Episcopali*, *Sacerdotali*, & *Clericali*. *Scriptores.*

TITULUS IX.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 36. ex Sext. tit. 17. ex Clement. tit. 11.

§. 125.

A Locis Sacris transimus ad recensenda quædam Loca *Religiosa*, *Inter Loca Religiosa*,

53.) C. 2. de Custod. Euch.

giosa & *Pia*, scilicet Monasteria, Academias, Seminaria Clericorum & Hospitalia.

Censentur Monasteria

§. 126. Monasterii nomine hic intelligimus ædificia habitationi & usui Regularium aptata. In his bene oportet distinguere inter ædes interiores, officinas & receptacula, quæ ipsi Religiosi per Clausuram ab omnibus Sæcularibus separati inhabitant, & propriissime per Monasterii vocabulum intelligimus: & inter alia huic Monasterio annexa ædificia, uti sunt Templa, officinæ, in quibus Sæculares operam suam pro salario præstant, stabula, horrea, plerumque etiam horti; quæ tamen omnia cum interiori Monasterio, simul uno muro claudi solent. In dispositionibus odiosis, quibus aliquid prohibetur, stricta appellatione per *Monasterium* intelligimus solas ædes interiores, quas ipsi Regulares etiam noctu inhabitant. E. g. quando agitur de prohibitione ingressus intra Clausuram Monasterii, non intelligitur prohibitus ingressus fœminarum æque ac virorum in Templum, aliaque ædificia Monasterio conjuncta: econtra quando concessio est favorabilis, e. g. dum conceditur Monaste-

nasterio Jus Asyli, eo gaudere censentur omnia ædificia, quæ intra septa laxiora continentur.

Hodierna.

§. 127. Antiquissimæ habitationes Monachorum non censebantur inter Loca Religiosa, cum primi Monachi non distinguerentur ab aliis Laicis, nisi quod in Ecclesia locum primum, ut nobilior Dominici gregis portio, occuparent 54.). Singularem eorum curam, monente MARCIANO Imperarore 55.), Patres Concilii CHALCEDONENSIS commendarunt Episcopis 56.), prohibentes, ne ullus usquam ædificare, nec construere possit Monasterium, vel Oratoriam domum, præter sententiam ipsius Civitatis Episcopi: *Civitatis autem Episcopum oportet eam, quam par est Monasteriorum curam gerere.* Hanc definitionem plurima alia Concilia 57.), & Im-

54.) Joan. Morinus De Discipl. in Administrat. Sacram. Pœnitentiæ lib. II. c. 17. n. 12.

55.) Concil. Chalcedon. action. 6.

56.) Act. 15. Can. 4. videatur Christianus Lupus in scholio ad hunc Canonem.

57.) Agathense ann. 506. Can. 27. & 58.

Epao-

peratores 58.) innovarunt, adeo u
eo etiam tempore, quo Exemptio-
nes Monasteriorum jam invaluerant,
BONIFACIUS VIII. 59.) statuat Re-
gulam, quod Ordinariorum inten-
tio quoad Jurisdictionem in Mona-
steria de Jure communi sit fundata
donec Religiosi Exemptionem suam
per exhibitum Privilegium, vel Ca-
nonicam quadraginta annorum pra-
scriptionem comprobent 60.).

Exempta ab Episcoporum

§. 128. Multi quidem Episcop
emolumentum Ecclesiæ ex Monaste-
riis proveniens bene perpendentes,
singulari favore ea cumularunt, ad-
eo ut eorum liberalitas cohiberi de-
buerit, & decerni, ut pro Mona-
sterio

Epaonense anno 517. Can. 10. &
plurima alia. Vid. Van Espen in Repe-
gulo Canon. c. 1. Regul. 1.

58.) Justinianus Nov. 67. c. 1. Nov.
123. c. 21. pr. L. 40. C. de Episc. & Cler.

59.) C. 7. de Privileg. in 6.

60.) Hæc regula restringitur ad legem Ju-
risdictionis, quia plures Canones eximun
expresse Monasteria quoad quædam capi-
ta, a lege Diœcesana, ideoque cum te
lis exemptio sit Jure communi concessa,
nullum Monasterium tenetur illam proba-
re, ut illa gaudeat. vid. Gibert. Corp.
Jur. Can. tom. 2. fol. 98. & 436.

sterio construendo de Rebus Ecclesiæ suæ non amplius, quam quinquagesimam partem tribuere possint 61.). Alii tamen ex Bonis potius Monasteriorum se ditare quærebant: imo etiam Episcopi aliqui, qui de suis Ecclesiis contribuerunt ad Monasteria ædificanda, non semper habuerunt sinceram Religionis promovendæ intentionem, sed potius reditus Ecclesiarum suarum, quarum administratio aliorum oculis erat exposita, in Monasteria contulerunt, ut liberius sibi appropriare possent 62.). Unde exemptionum primordia fluxerunt.

§. 129. Exemptionis non plenæ *Lege Diœ-*
species fuit, qua Episcoporum po- *cesana;*

61.) C. 74. XII. q. 2.

62.) Notavit hoc & prohibuit Synodus Constantinopolitana anno 861. in Templo SS. Apostolorum habita Can. 7. quæ quidem legitima non est, utpote a Photio contra S. Ignatium Patriarcham celebrata; multos tamen utiles Canones pro disciplina Monastica continet, quos refert Beveregius cum scholiis Balsamonis & Zonaræ. Synodic. tom. 1. pag. 331. & seqq. additis suis annotationibus in altero tomo fol. 170. seqq. Harduin. tom. 5. Col. 1198. seqq.

testas in Monasteria ita limitabat qua
ut Fundatoribus reservaretur cu sed
& conservatio eorundem, ac no Epi
minatio Præsidum 63.): accedeba rata
tractu temporis alia insuper Privil §
gia adversum Episcoporum excessu ciu
quæ potissimum eo spectabant, pti
Monasteria liberarentur ab exactio qua
nibus & gravaminibus: ut conser EN
varentur bona donata a Fundato tio
bus, aut oblata a Fidelibus: ut con &
sultum esset quieti Monachorum pti
ut libera relinqueretur Monachi cor
electio Abbatis 64.). tis

Vel etiam Jurisdictione.

§. 130. Ex his initiis secuta de- tur
mum est plena & totalis Exemptio cili
plurimorum Monasteriorum, & in- mi
tegrorum Ordinum, qua concessa TI
fuit *Libertas illimitata a potestate &* vil
Jurisdictione Ordinarii cum immediata Sy
subjectione Sedi Apostolicæ: adeo ut
non tantum a Lege Diœcesana, a

qua

63.) Conc. TOLET. IX. Can. 2. ann. 655.
64.) Concil. CARTHAG. sub Bonifacio an- 65.
no 525. S. GREGOR. M. lib. IV. Epist. 42.
& 43. lib. VI. Epist. 12. lib. VII. Epist.
18. & 33. Indict. 1. item Epist. 15. & 117.
Ind. 2. ex quibus Epistolis concinnati sunt
Canones 5. & 6. XVIII. q. 2. Add. For- 66.
mular. MARCULFI lib. 1. c. 1. & not. BIG-
NONII ibid. 67.

qua eximebant prædicta Privilegia; sed etiam a Lege Jurisdictionis Episcopalis Monasteria essent liberata 65.).

§. 131. Invaluerant in præjudicium Ordinariorum nimiæ Exemptiones tempore magni Schismatis, quas Patres Concilii CONSTANTIENSIS pro concipiendis Reformationis articulis deputati revocandas & annullandas censuerunt, exceptis Ecclesiis vel locis noviter & sub conditione Exemptionis fundatis 66.), quibus consonat Decretum MARTINI V. in eodem Concilio publicatum 67.). Cum nihilominus postea Concilio TRIDENTINO graves Exemptionum & Privilegiorum excessus proponerentur, Synodus has Exemptiones ad justam mo- *Exemptio*,

65.) Si in hac materia BRUNO CHASSAING tract. de Privileg. Regularium. plusculum indulget affectui pro Religiosis Ordinibus: nimio viciſſim æstu contra Exemptiones se abripi patitur JOAN. LAUNOIUS tom. 3. vol. 1. & 2. recent. edit.

66.) Apud VON DER HARDT Concil. CONSTANT. tom. 1. part. 10. c. 20. pag. 620.

67.) Sess. 43.

moderationem, certosque limi
per varia Decreta reduxit 68.).

Et numerus Monaſteriorum

§. 132. Si Monaſteria juxta Co
ciliorum & Pontificum Decreta in
tuantur, & juxta primævum Inſtit
ti ſui ſpiritum conſerventur, dubi
non eſt, quin ſummum decus
emolumentum afferant Chriſtia
Reipublicæ, non Eccleſiaſticæ
lum, ſed etiam Politicæ. Nihil
minus cum ea quoque, quæ ad
ligionem pertinent, *raritate vige
numeroſitate vileſcant 69.)*; hinc cu
vit ſemper Eccleſia, ne Monaſter
rum numerus nimium excreſc
Nova Monaſteria ſine conſenſu O
dinarii nequaquam ædificanda eſſe
ſtatuerat ſupra laudatum Concilium
CHALCEDONENSE. Multiplicat
Ordinum Religioſorum diverſita
ſtatu-

68.) Vid. ERASMUS A CHOKIER tr. D
Jurisdict. Ordinarii in Exemptos tom.
JOAN. FRID. KARG Pax Religioſa. L
DOV. ENGEL De Privileg. Monaſteric
VAN ESPEN Jur. Eccl. part. 3. tit. 12. C
BERT Corp. Jur. Can. tom. 2. fol. 94.
THOMASSIN. vet. & nov. Eccleſ. diſci
p. 1. l. 3. c. 40.

69.) IVO CARNOTENS. Epiſt. 25. ad Go
fred. Abbatem Vindocinenſ.

statutum fuit 70.), ut Religiosi Mendicantes, nec nova recipiant, nec priora Domicilia mutent, aut in alios transferant, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Sed Concilium TRIDENTINUM 71.) hanc Constitutionem ad Jus commune antiquum reduxit, statuens, ne similia loca de cætero erigantur sine Episcopi Diœcesani licentia prius obtenta: hanc ex Decreto CLEMENTIS VIII. 72.) impertiri non possunt, *nisi vocatis & auditis aliorum in iisdem civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus* (inter quos præcipue censendus est Princeps seu Magistratus loci, ac Parochialium Ecclesiarum Rectores) *& causa servatis servandis cognita constiterit, in iisdem civitatibus & locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commode sustentari posse.* Addit GREGORIUS XV. 73.), ut Domus Regularium quorumcunque

70.) C. un. de Excess. Prælat. in 6. & Clem. 3. de Pœnis.
71.) Sess. 25. de Regular. c. 3.
72.) Const. *quoniam ad institutam.* 99.
73.) Const. *cum alias.* 31.

cunque non erigantur, nisi in saltem duodecim Religiosi inhabitare, ac ex reditibus & consuetis eleemosynis sustentari valeant, consentientibus loci incolis, & Procuratoribus aliarum Religiosarum Domuum non solum in iisdem, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis 74.).

Restringitur :

§. 133. Hanc autem formam a Concilio TRIDENTINO, CLEMENTE VIII. & GREGORIO XV. præscriptam in erigendis novis Conventibus observari, districte præcipit URBANUS VIII. 75.) : insuper præ-

---

74.) Sub nomine Conventus vel Monasterii numerum duodenarium requirentis, non venit *Hospitium* proprie dictum & simplex, scilicet quod non habet Ecclesiam, sed tantum Oratorium privatum. Nec pulsat Campanam : nec habet continuam habitationem Religiosorum, nec sepulturam, & ubi non possunt ministrari Sacramenta. PASSERIN. in c. un. de Excess. Prælat. in 6. n. 38. seq. HYACINTH. DONAT. Prax. Regular. tom. 1. p. 2. tr. 1. q. 22. cavendum ne sub nudo nomine Hospitii illudatur Constitutionibus Pontificiis : nam revera Hospitia non sunt, quæ passim hoc nomine vocantur.

75.) Const. *Romanus.* 25. anno 1624. tom. 4. Bullar.

præcipiens, ut numerus Religiosorum juxta quantitatem redituum seu consuetarum eleemosynarum determinetur, nec postea augeatur: illa autem loca, in quibus duodecim Religiosi sustentari non poterunt, & actu non inhabitaverint, Jurisdictioni Ordinarii subjacere intelligantur 76.). Demum INNOCENTIUS X. 77.) suppressit multos Conventus intra fines Italiæ & Insularum adjacentium existentes, in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina juxta peculiaria cujusque Ordinis instituta servari non poterat: multos tamen sub certis conditionibns Religioni restituit. Nuntius Pontificius Colonienſis, accepta notitia totius rei gestæ, Romam rescripsit, Germaniam in hoc invidere felicitati Italiæ 78.). Concilium TRIDENTINUM 79.) curam im-

76.) Const. *cum sæpe.* 43. §. 13. & 14. ann. 1625.
77.) Const. *Instaurandæ.* ann. 1652.
78.) De toto hoc negotio videri potest Benedictus XIV. de Synod. Diœcesſ. lib. 3. c. 2. Fagnanus in C. Relatum. Ne Cler. vel Monach. n. 41. seqq.
79.) Sess. 25. c. 5. de Regular.

imponit Episcopis & aliis Superio bus, ut Sanctimoniales ex Monast riis extra mœnia Urbis vel Oppi constitutis, & malorum hominu prædæ aliisque facinoribus sine ul sæpe custodia expositis, ad Mon steria intra Urbes vel Oppida fr quentia reducantur. Curandum et am, ut Monasteria Puellarum longi a Monasteriis Monachorum coll centur 80.).

Nec nova ædificantur intra cannas.

§. 134. Quando de novo Co ventu erigendo agitur, vicini Rel gioſi urgere ſolent illas trecenta vel centum quadraginta Cannas, n merando pro ſingulis octo palmo intra quas Religioſi Mendicantes, quidam alii ex Privilegio Pontifici non patiuntur ædificari aliud Mona ſterium 81.), niſi quis habeat ſpeci le

80.) C. 23. XVIII. q. 2.

81.) De hoc Privilegio videri poſſunt Pa SERINUS in C. un. de Exceſs. Præl. in n. 82. ſeqq. PIGNATELL. tom. 10. Co ſult. 12. Card. PETRA tom. 3. ad Co 7. Clementis IV. aliique paſſim, qui rebus Regularium ſcribunt. HIERON. SORBO Compend. privileg. v. *ædificat* putat, hoc Privilegium in multis Civ tatibus non eſſe in uſu.

le Privilegium, quo eximatur ab observatione Cannarum 82.).

§. 135. Monasteria juxta præscriptam formam ædificata, haud dubie fiunt *Loca Religiosa*, utpote autoritate Ecclesiastica Divino Cultui ac piis usibus destinata: quod, ut supra notavimus, non solum intelligitur de interiore ædificio, continente cellas Religiosorum, id est, *loca secreta & solitaria, quæ ab hominum separata convictu sunt, ad contemplandum & DEO vacandum specialiter deputata* 83.): sed etiam de toto ambitu continente ædificia & officinas ad usum Monasterii a sæcularibus habitatas. Consequenter tota hæc area gaudet omnibus privilegiis & Immunitatibus, quas sacri Canones & Leges Civiles Locis Sacris & Religiosis concedunt, cum Claustra & alia Loca Religiosa Ecclesiis quoad favorabilia æquiparentur 84.). Intra hæc igitur sepia Jurisdictionem ordina-

Gaudent privilegiis Ecclesiarum.

82.) Tale Privilegium Patribus Societatis JESU concessit Pius IV. Const. *etsi ex debito.* ann. 1561. & Gregorius XIII. Const. *Salvatoris.* ann. 1576.

83.) C. 4. de V. S. in 6.

84.) C. 2. de Consuetud.

riam habent Monasteria, seu eorum Prælati & Abbatissæ 85.). Monasteria hæc non ultra possunt transferri ad usus Laicorum 86.), nec etiam Clericorum 87.); quamdiu per Regulares remanere potuerint ordinati 88.). De his Monasteriis debent intelligi, quæ de Ecclesiis passim traduntur, quod non debeat una eademque Ecclesia diverso Jure censeri 89.): quod delictum Personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debeat 90.): quod gaudeant Jure Minorum, & Restitutione in integrum 91.): & universim omnia Privilegia Ecclesiarum ad Monasteria extenduntur 92.).

Strictissima debet

§. 136. Quamvis ea omnia, quæ septis etiam exterioribus Monasterii con-

85.) C. 15. 18. de Præscript. c. 13. de Sent. & Re Judic. c. 12. de Majorit.
86.) Conc. Chalced. Can. 24. & inde desumptus C. 4. XIX. q. 3. item c. 40. XVI. q. 7.
87.) C. 26. XVIII. q. 2.
88.) C. 5. de Relig. Domib.
89.) C. 30. de Decimis.
90.) C. 6. de Except. c. 76. de R. J. in 6. C. 3. XVI. q. 6.
91.) C. 1. 2. & seqq. de in integr. Restit.
92.) L. 35. C. de Episc. & Cler.

continentur, ſpirare debeant Religioſam modeſtiam: nihilominus præcipua ſemper cura Eccleſiæ fuit, ut firmiſſimis repagulis cuſtodiatur interioris ædificii *Clauſura*, quo nomine intelligimus locum clauſum habitationi Regularium deputatum. Severior hæc diſciplina nunquam non fuit circa Moniales, quam circa Viros Religioſos, cum ſexus ille majoribus periculis ſit expoſitus 93.). Prohibetur autem Monialium egreſſus ex Clauſura, & aliorum hominum ingreſſus. Hujus clauſuræ termini ſunt muri exteriores, tantæ altitudinis, ut e vicinorum domibus interiora Monaſteriorum inſpici non poſſint, habentes januam, ſi fieri poſſit, unicam, vel etiam plures, ferro bene munitas & de die quidem una, de nocte vero duplici clave clauſas. Intra clauſuram ſunt dormitoria, cellæ, officinæ, cubicula, plerumque etiam hortus: quidquid autem eſt extra hos muros aut januam, uti eſt Eccleſia exterior, lo-

eſſe Clauſura Monialium:

93.) Elegantem exhortationem ad Moniales ſcribit Ivo *Carnotenſis* Epiſcopus, Epiſt. 10. jubetque eam ſingulis hebdomadis ſemel in Conventu legi.

cus colloquio cum externis destinatus &c. quæ loca patere solent secularibus, extra clausuram censeri debent, etiam pro tempore, quo clausa sunt. 94).

Tam quoad egressum earum,

§. 137. Egressus quidem Monialium ex Constitutione BONIFACII VIII. 95.) non permittitur, *nisi forte tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari.* Concilium TRIDENTINUM 96.) permittit egressum ex *legitima causa ab Episcopo approbanda.* S. PIUS V. 97.) determinat causam *magni incendii* 98.) *vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ.* Sicut autem in tali casu egressus non permittitur, si incendium absque egressu Monialium extingui, vel leprosa in separato Monasterii loco absque periculo infe-

94.) Gregorius XIII. Const. *DEO Sacris.* §. 6. ann. 1572.

95.) C. un. pr. de stat. Regular. in 6.

96.) Sess. XXV. c. 5. de Regular.

97.) Const. *Decori.* ann. 1570. qua declaratur Const. *Circa pastoralis.* ann. 1566.

98.) Sperandum non semper est, ut insigni miraculo, quale narrat Petrus *Cluniac.* lib. 1. de miracul. c. 22. ignis fugiat a Monialibus, si ipsæ nolint fugere ab igne.

infectionis aliarum curari possit: sic etiam ex paritate rationis egredi Moniales permittuntur ob omne periculum impendens, quod communem cohabitationem reddit moraliter impossibilem, qualis est inundatio aquarum, imminens ruina ædificii, incursus hostium, maxime hæreticorum & infidelium: item gravis violentia externa, & necessitas defendendi vitam aut pudicitiam. Si Monialis eligatur Abbatissa alterius Monasterii, vel Novitiarum Magistra: si opus sit, ut reformet aliud Monasterium, vel pro suo reformando disciplinam Ordinis alibi discat; conceditur egressus, cum ex alio ejusdem Ordinis Monasterio eligi Præpositam permittat TRIDENTINUM 99.). Idem permittitur, si Abbatissa ex pacto infeudationis sibi factæ a Principe seu Domino temporali, teneatur ad præstandum personaliter juramentum Fidelitatis 100.): item si paupertas cogat, ut quædam Conversæ conquirant eleemosynas 1.).

99.) Loc. cit. c. 7.
100.) Cit. c. un. §. verum.
1.) Pro hoc casu multa disponit GREGORIUS XIII. cit. Const. *DEO Sacris.*

Ex justis causis

§. 138. Controvertunt Doctores an ad egressum sufficiat causa privatam Monialis personam respiciens, e. g. morbus non quidem Contagiosus, sed tamen periculosus, vel saltem perpetuo duraturus, a quo Monialis judicio Medicorum intra clausuram, forte absque usu thermarum, non liberabitur 2.). BENEDICTUS XIV. hanc causam non videtur approbare 3.): Episcopi Germaniæ non infrequenter concedunt egressum ex hujusmodi causa.

Ab Episcopo approbatis:

§. 139. Causa egrediendi ab Episcopo cognosci & approbari, ac licentia

2.) Egressum pro tali casu negat GUTIERREZ. Canon. Quæst. lib. 1. c. 14. n. 7. seqq. EMAN. RODERICUS Quæst. Regul. tom. 1. q. 49. art. 3. THOM. SANCHEZ lib. 6. Moral. c. 15. n. 39. PASSERINUS ad Cap. Periculoso. de Stat. Regul. in 6. n. 57. seqq. Egressum permittit NAVARRUS de Regular. Comment. 4. in C. statuimus. n. 49. ASCAN. TAMBURIN de Jure Abbatissar. Disput. 20. quæst. 3. REIFFENSTUEL ad tit. de Stat. Monach. & Regul. n. 33.

3.) Bullar. tom. 1. Const. 21. ubi Moniales Portugalliæ extra claustra, quacunque infirmitatis causa, quacunque autoritate & indulto commorantes, ad Monasteria redire jubet.

centia in scriptis dari debet ab eodem, si res moram patiatur. In Monasteriis Prælato Religioso subjectis requiritur licentia Episcopi & Superioris Regularis simul 4.). Egredientes autem sine justa causa excommunicantur, uti & dantes licentiam, comitantes, recipientes: privantur etiam dignitatibus, officiis &c.

§. 140. Ingressus in Monasteria Monialium non solum ex mente antiquorum Conciliorum prohibetur viris 5.), sed etiam mulieribus, *nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia* 6.). *Ingredi intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis* *quam quoad ingressum mulierum,*

4.) Desumitur hoc ex cit. Const. *Decori* §. 2. Quid incumbat Episcopo circa Monasteria Monialium Regularibus subjecta, breviter colligit BENEDICTUS XIV. Inst. Eccles. 29.

5.) Concil. MATISCON. I. ann. 581. c. 2. HISPAL. II. ann. 619. c. 11. CABILON. II. ann. 813. c. 63. item c. 21. seq. XVIII. q. 2.

6.) C. un. de Stat. Reg. in 6.

pœna, ipso facto incurrenda 7.): qua prohibitione videtur etiam comprehendi ingressus infantium, ut propterea peccent, qui illos admittunt 8.). Finis severæ prohibitionis est, ne pax Monialium turbetur, nec præbeantur incitamenta ad peccandum: ob periculum autem universale viget prohibitio, etsi periculum in casu particulari cesset.

Aut virorum.

§. 141. Licentiam ingrediendi dat Episcopus in Monasteriis sibi subiectis potestate Ordinaria: in illis quæ immediate Sedi Apostolicæ subiecta sunt, utitur Episcopus autoritate Delegata: pro Monasteriis, quæ subduntur Regularibus, etiam requiri consensum Episcopi, S. Congregatio Concilii sæpius declarasse dicitur: communior usus hanc facultatem solis Prælatis Regularibus concedit. Pro casibus frequenter occurrentibus dele-

7.) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 5. de Regular.

8.) Sic statuerat Bononiæ Prosper Lambertinus, dein Summus Pontifex Instit. Eccl. 29. edit. lat. Rom. pag. 140. Peccatum etiam agnoscit Pontas Dictionar. Cas. Consc. tom. 2. V. Monasterium Cas. 9. n. 1.

delegatur hæc potestas Abbatissæ vel Confessario. Causa autem legitima concedendi licentiam ingrediendi, est necessitas: ad hanc requiritur I. ut opus sit necessarium. II. Ut illud non possit fieri per Moniales. III. Ut per alium fieri non possit extra Monasterium. Sic ex causa spirituali datur necessitas ministrandi Sacramenta infirmis: ex necessitate corporali ingredi possunt Medici, Chirurgi, Architecti, Fabri, Artifices &c. Superiores, & Episcopi quidem etiam in Monasteria Regularibus subjecta, ingredi possunt causa visitandi Clausuram; vel ex alia necessitate, ex qua ipsi concedere possunt licentiam ingrediendi 9.). Singulari Constitutione Episcopo ingressus conceditur ad impertiendam Benedictionem Apostolicam & Indulgentias plenarias moribundæ 10.). Permittuntur etiam in-

9.) Alexander VII. Const. *felici* 156. concedit Prælato Regulari semel duntaxat in anno occasione visitationis ingredi: si necessitas urgeat sæpius ingrediendi, id fiat cum præsentia Episcopi, aut deputati ab Episcopo.

10.) Benedictus XIV. Bullar. tom. 2. Const. 34. pag. 283.

gredi puellæ, majores ſeptennio, minores viginti quinque annis, ibi honeſte educandæ, quando Inſtitutum Monialium non repugnat, & Monaſterium alioqui tales recipere conſuevit: admittuntur alicubi etiam famulæ fæculares 11.). Alias licentias ingrediendi, quacunque auctoritate obtentas revocarunt plures Pontifices 12.), ingreſſum ſub prætextu talis licentiæ prohibentes ſub pœna excommunicationis Sedi Apoſtoli-

---

11.) Circa has ſeverum Decretum miſit Benedictus XIV. Bullar. tom. 2. Conſt. 26. ad Epiſcopos Portugalliæ, voluitque, ut prævium examen ſuper moribus, fama, habilitate & neceſſitate ipſarum educandarum puellarum vel famularum per Antiſtites locorum Ordinarios tantummodo habeatur, & admiſſio a Sede Apoſtolica impetretur.

12.) Gregorius XIII. Conſt. *Ubi gratia.* 28. Paulus V. Conſt. *Moniatium.* 10. Julii ann. 1612. Benedictus XIV. Bullar. tom. 1. Conſt. 40. qui eod. tom. Conſt. 95. §. 37. 38. permittit ut major Pœnitentiarius in caſu occulto violatæ clauſuræ Monialibus Confeſſarium cum opportunis facultatibus concedat. In caſibus vero publicis delinquentes non abſolvat, niſi pro ipſis Ordinarii ſupplicaverint, & caſus ad S. Congregationem deducti non fuerint.

stolicæ reservatæ: voluntque potestatem concedendi licentiam competere *duntaxat locorum Ordinariis iisque omnibus Superioribus, quibus tanquam Ordinariis, & Ordinaria Jurisdictione utentibus Monialium Monasteria subiecta & addicta sunt, in casibus tamen necessariis, & servatis aliis de jure servandis.*

§. 142. In Germania nostra Fundatores, Protectores, & Principes Imperii, non credunt se his legibus omnino stricte obligari; nec Episcopi difficiles sunt in illis admittendis cum decenti comitatu. Similiter Abbatissæ aut Præfectæ Monasteriorum non adeo difficiles in his regionibus sunt in permittendo alloquio suarum Monialium, licet Constitutiones Pontificiæ ferme eadem severitate prohibeant *accessum*, qua prohibent ingressum, ad alloquendum Moniales sine causa & licentia legitima, ab eo accepta, qui potest dare licentiam ingrediendi. *Laxior disciplina in Germania.*

§. 143. Ingressus fœminarum in Virorum Monasteria, vel vi Statutorum, vel ratione publicæ honestatis & decentiæ interdictus est 13.): *Prohibetur quoque ingressus fœminarum om-*

13.) C. pervenit. 20. XVIII. q. 2. Prus V. Const.

in Virorum Monaſteria.

omnia autem Privilegia & Licentias circa hunc ingreſſum revocarunt plures Pontifices 14.), ſupponentes, jam a Prædeceſſoribus ſuis etiam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, fæminis quibuscunque aditum ingreſſumque intra Religioſorum Virorum clauſuram interdictum fuiſſe. Multi tamen Doctores non reperiunt Cenſuras latas, niſi in faminas ingredientes ſub prætextu dictarum licentiarum. BENEDICTUS XIV. revocando omnes facultates, non intendit derogare in conceſſionibus, quæ nobilibus fæminis de familia Fundatorum, aut Dominorum territorialium, per Literas Apoſtolicas factæ fuerunt. In noſtra tamen Germania fæminæ ex fami-

---

Conſt. *Regularium perſonarum.* 20. ann. 1566. & ejusd. Declarat. *Decet.* anno 1570. omnino ſingulare olim fuit, quod Sanctæ Liobæ conceſſus fuerit ingreſſus in Fuldenſe Monaſterium, prout narratur in vita apud Surium ad diem 28. Septembr.

14.) Gregorius XIII. loc. cit. Benedictus XIV. tom. 1. Conſt. 39. ubi morem, quo fæminæ in aliquibus Monaſteriis virorum admittuntur ad certas Proceſſiones, vel ſacra ſolemnia, tanquam abuſum damnat.

familia Principum Imperii passim utuntur hoc favore absque Literis Apostolicis. Porro sub nomine Monasterii veniunt etiam horti conjuncti Monasterio, in quibus Religiosi deambulantes, non censentur esse extra Clausuram. Quoad egressum autem Religiosorum, potest Prælatus designare Clausuræ terminos, extra quos Religiosi non possint sine licentia exire.

§. 144. De Clausura Monasteriorum fuse agunt, & minutissimos casus examinant THOMAS SANCHEZ Oper. Moral. Lib. 6. c. 15. seqq. EMAN. RODERICUS Quæst. Regul. Tom. 1. Quæst. 44- 50. THOMAS DELBENE de Immunit. Eccl. p. 2. c. 19. dub. 25. seqq. PASSERINUS ad C. periculoso. de Stat. Regular. in 6. ASCANIUS TAMBURINUS de Jure Abbatissarum disp. 18. & seqq. MIRANDA Manual. Prælat. Regular. Tom. 1. quæst. 32. item de Monialib. quæst. 1. & seqq. HYACINTH. DONATUS Prax. Regular. Tract. 3. & 4. REIFFENSTUEL aliique ad Tit. de Statu Monachor. & Regular. EMAN. GONZALEZ ad c. 8. de Vit. & honest. Cler. VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 1. tit. 30. c. 2. seqq. TIT- *Scriptores.*

TITULUS X.
DE ACADEMIIS.

Conf. Decretal. lib. 5. tit. 5. E Clement. Tit. 1.

§. 145.

Inter Loca pia sunt

INTER *Loca Pia*, quæ maxime Cultum Divinum promovent, primum locum damus Academiis, ubi omnigena scientia imbuuntur tam Clerici, quam Laici. Ut utrique huic hominum Classi Literæ tradantur, vera Pietas & Religionis amor suadet. Licet enim *Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda sit, qui docendi Officium in populis susceperunt* 15.): nihilominus pessime Consultum est Reipublicæ, in qua per Laicorum ignorantiam Justitia corrumpitur, Religio in superstitionem transit, Regiminis politia in tyrannidem degenerat.

Academiæ

§. 146. Huic malo remedium ferunt Academiæ 16.), seu studiorum Uni-

15.) C. 1. dist. 38. ex Concil. Tolet. IV.
16.) *Academia* nomen habet a loco nemo-
rulo

Universitates 17.). Scholas etiam publicas jam vidit primæva Ecclesia, Templis contiguas, vel saltem in ædibus ad Templa pertinentibus erectas 18.): non tantum sacris Dogmatibus explicandis, iisque tum adversus Gentiles, tum adversus Hæreticos vindicandis; sed etiam politioribus Literis tradendis destinatas. In his nomen singulare obtinuit Schola Catechetica Alexandriæ, præcipue pro instruendis Catechumenis

&

---

roso extra urbem Athenienſem ſito, pertinente ad *Hecademum*, ſeu ACADEMUM, Civem Athenienſem, ubi PLATO docebat. Vid. DIOG. LAERT. de Vitis Philoſoph. lib. 3. PAUSANIAS in Atticis. Academi meminit PLUTARCHUS in Theſeo. Unde poſtea tum alia locá, in quibus ſcientiæ traduntur, tum Societates Eruditorum *Academiæ* nomen ſortitæ ſunt. Videri meretur Lexicon Trivult. V. Academie.

17.) Nomen hoc datur Scholis, in quibus *univerſæ* ſcientiæ, ſaltem pro Republica tam ſæculari, quam Eccleſiaſtica magis neceſſariæ, traduntur, quas alioqui in diverſis locis conquirere oporteret.

18.) SOCRATES Hiſt. Eccl. l. III. c. 1. dicit, Julianum Apoſtatam Conſtantinopoli liberalibus diſciplinis fuiſſe inſtitutum *in Baſilica, ubi tunc Scholæ fuerunt.*

& Clericis erecta, quæ S. MA
CUM, Fundatorem 19.): sæcul
II. & III. autem Rectores habu
ATHENAGORAM, PANTÆNU
Indiarum Apostolum, CLEMEN
TEM *Alexandrinum*, ORIGENEM
aliosque Viros in omni Literatur
præstantissimos 20.); a RHODO
NE postea, qui Didymo Cæco i
regenda hac Schola successerat, tem
pore THEODOSII M. in Siden Pam
philiæ Urbem translata 21.). Nec
minore Fama claruit Schola *Cæsare
ensis*, ubi idem ORIGENES 22.)
cum Philosophia aliisque profani
disciplinis, multorum animos suis
erroribus imbuebat: *Ediſſena*, ubi
Eusebius Emissenus Sacris & politio-
ribus

19.) S. HIERONYMUS de Vir. Illustr. de Pantæno scribens, testatur, Alexandriæ a MARCO Evangelista semper Ecclesiasticos fuisse Doctores.

20.) EUSEBIUS Hist. Eccl. l. V. c. 10. Add. WALCHIUS Miscell. sacr. lib. III. Exerc. 2. c. 1. sect. 1. §. 5. & 6.

21.) Aut potius alia ad imitationem Schol. Alexandrinæ erecta, ut observat CAVE Hist. Lit. in Athenagora. ad ann. 177 & in Philippo ad annum 418.

22.) EUSEBIUS l. 6. c. 13. P. DOUCIN Hi-stoire de l'Origenisme lib. 1. & 2.

ribus Literis, Operam dedit 23.): aliæque plures.

§. 147. Non tantum Romæ 24.), & in celebrioribus Civitatibus; sed in aliis quoque locis per Italiam, passim Parochialibus Ecclesiis præpositi, juniores Clericos ad competentem eruditionem instruebant, quos imitari conabantur Galli 25.): hos autem Angli 26.). Post irruptio-

Variis in locis aperta

M nem

23.) Sozomenus lib. III. c. 5.

24.) Quod Romæ, præsertim sub Gregorio M. omnes scientiæ floruerint, videre licet apud Joannem *Diaconum* in vita Gregorii l. 2. c. 12. 13.

25.) Concilium Vasense II. ann. 529. Can. 1. statuit, *ut omnes Presbyteri, qui sunt in Parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores Lectores secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant: & eos quomodo boni patres, spiritaliter nutrientes, in lege Domini erudire contendant.* Riculfus Episcopus Suessionensis ann. 889. Constit. c. 16. addit, ut Presbyteri *puellas ad discendum cum Scholariis suis in schola sua nequaquam recipiant.*

26.) De Sigeberto Rege, qui in Gallia Baptismum suscepit, scribit Beda lib. 3. Hist. c. 18. quod *in patriam regressus, ubi regno potitus est, mox ea, quæ in Galliis bene*

nem barbararum Gentium a Sæculo VI. Scholis fere ad Ecclesias Cathedrales & Monasteria restrictis 27.), apud solos Ecclesiasticos & Monachos aliquid literaturæ reperiebatur; Deo tamen semper Ecclesiam suam conservante, non tam per eruditionem Pastorum, quam per fidelem observantiam antiquarum Traditionum 28.). Certe etiam CASSIODORUS *propter bella ferventia, & turbulenta nimis in Italico regno certamina* cum AGAPITO Pontifice non potuit implere desiderium suum erigendi in Romana Urbe publicas Scholas pro tradendis Sacris Literis 29.).

§. 148.

---

bene disposita vidit, imitari cupiens, instituerit scholam, in qua pueri literis erudirentur.

27.) Quid hac in re præstiterint Monasteria S. Benedicti, per quatuor Tomos recensetur in *Historia Rei Literariæ Ord. S. Benedicti*, recens edita.

28.) AGATHO Romanus Pontifex sæculo VII. in Epistola ad Constantinum Pogonatum data, & in Concilio Oecumenico VI. Act. 4. recitata, id candide fatetur.

29.) CASSIODORUS in Præfatione Divinarum Lectionum.

§. 148. Sacras autem Literas absque subsidio Literarum humanio- *Præsertim a Carolo M.*
rum satis excoli non posse, optime sentiebat CAROLUS M. Imperator, insignis scientiarum fautor & instaurator. Unde cum ex variis Monasteriis & Ecclesiis epistolas acciperet, quibus Sacra & Preces ipsi offerebantur, *inculto sermone* scriptas, encyclicas dedit literas ad Episcopos & Abbates, quibus Scholarum erectionem & curam in Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis vehementer commendabat 30.): & indefessa opera in aliis etiam locis promovebat, præcipue cum post tertium iter Romanum Anno Christi 787. plures Grammaticos secum in Gallias ad-

 duxis-

30.) Exemplar harum literarum ad BAUGULFUM Abbatem Fuldensem, datum habetur in Collect. Concil. Harduini tom. 3. col. 2024. &c. ibi: *quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque & multo minor esset, quam recte esse debuisset, in sanctarum scripturarum ad intelligendum sapientia &c. &c.*

duxiſſet 31.), annitentibus etiam Zeloſis Epiſcopis 32.). Imo non ſolum publicas Scholas & ſtudiorum Univerſitates variis in locis erigere conabatur 33.): ſed etiam in Aula Regia, Eruditorum Scholam, ſeu Academiam fovebat 34.).

§. 149.

31.) Vid. Conc. CABILONENSE ann. 81[illegible] c. 3. PARISIENSE ann. 829. lib. III. c. 1[illegible]

32.) Lectu digni ſunt duo Articuli, ſcili[illegible] cet 19. & 20. ex Capitulari THEODULFI Epiſcopi Aurelianenſis ad Parochos, apud Harduin. Conc. tom. 4. col. 916. ad ann. 797. qui Articuli cum aliis ſeptem, in quibusdam Editionibus Conciliorum falſo adſcribuntur Patribus Synodi Trullanæ.

33.) De his agit LAUNOJUS in libro *de ſcholis celebrioribus*. Operum tom. 4. vol. 1. CONRINGIUS De Antiquitatibus Academicis Diſſert. 1. Operum tom. 5. MIDDENDORPIUS aliique.

34.) P. DANIEL Hiſt. Franc. ad ann. 789. ſuſpicatur, a Carolo inſtitutam Societatem, ſeu Academiam Eruditorum, quæ nomen aſſumpſiſſent antiqui cujusdam Autoris, aut Herois, ſibi præprimis æſtimati, ita ut ALCUINUS *Flaccum*, quod agnomen eſt Horatii; ANGILBERTUS *Homerum*; ADELARDUS Abbas Corbejenſis *Auguſtinum*; RICULFUS Epiſcopus Moguntinus *Damætam*; ipſe Rex *Davidem* ſe nominaret, prout hodie Societas Arcadum & Naturæ Curioſorum ſuis membris

§. 149. Carolum imitati sunt varii alii Imperatores & Reges, præcipue in Germania OTTONES & FRIDERICI, sub quibus Scholæ publicæ diversa fata & vicissitudines subierunt, promoventibus & Privilegia ampliſſima concedentibus Romanis Pontificibus & Conciliis 35.), adeo ut Concilium Ravennatense quibuslibet diebus Mercurii vel Jovis spe- *& aliis:*

membris varia nomina imponit. Hanc conjecturam, quam P. DANIEL ex Epistolis Alcuini, ubi ista nomina dictis viris passim tribuuntur, desumpsit, improbat recens Editor Operum LAUNOII in *Præfat. ad Tom. 4. vol. 1.* Turpius erravit ipse LAUNOIUS, dum loc. cit. c. 5. Epistolam Alcuini *Davidi* Regi inscriptam, putat datam esse *ad Davidem Angliæ Regem;* cum Alcuinus aperte plurimis in locis CAROLUM nomine *Davidis* insigniat.

35.) Consulantur Autores, qui historiam Universitatum conscripserunt. Concilium CONSTANTIENSE Sess. 8. damnavit Wicleffi errorem 29. *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ, sicut diabolus.* Econtra quando de tollendis Exemptionibus actum fuit, præservatæ fuerunt Exemptiones, Universitatibus studiorum concessiæ. Vid. VON DER HARDT Conc. Const. tom. 1. part. 10. c. 20. pag. 620. & tom. 4. col. 1536.

cialem Collectam in Missa pro stu dentibus dici præceperit 36.). U tamen singularum Facultatum, qu hodie in Academiis florent, Profe sores in eodem loco publice Schol aperirent, ante sæculum decimu quartum vix reperiemus: nam olim nec Bononiæ Theologia, nec Parisi Juris Romani Prudentia publice tra debatur, quæ tamen ambæ Schol primatum in Occidente obtinebant.

Demum insigniter restauratæ.

§. 150. Postquam autem scientia rum splendor rursus in Occident vix non penitus extinctus fuisset, nova lumina submisit Oriens, præ sertim capta a Saracenis Constanti nopoli, ubi eruditionis & literarum studium sub MICHAELE *Porphyrogenneta*, cura & solicitudine BAR DÆ Cæsaris Sæculo IX. restaura tum 37.), eo usque perduraverat 38.). Hoc

36.) Conc. RAVENNAT. ann. 1314. c. 13. Collecta autem præscribitur vel de Spiritu Sancto, vel *DEUS qui per coæternam &c.* desumpta ex Missa votiva *de Sapientia*, quæ in antiquis Missalibus assignatur pro Feria secunda.

37.) De hac instauratione legi potest THOMASSINUS vet. & nov. Eccl. Disciplp. 2. l. 1. c. 100. n. 4. CONRING. tom. 5 De Antiq. Acad. Differt. 1. pag. 418.

38.) ÆNEAS SYLVIUS *Piccolomineus*, p

Hoc ab exulibus Græcis in noſtris regionibus excitatum, adeo dociles animos reperit, ut plurimæ tum in aliis Provinciis, tum præcipue in noſtra Germania Academiæ, & veræ ſtudiorum Univerſitates, ferme a ſingulis Imperii Germanici Principibus fuerint excitatæ. Inter has magnum nomen obtinuit Academia INGOLSTADIENSIS, circa medium Sæculi decimi quinti a LUDOVICO *Divite* Bavariæ Duce fundata, & a PIO II. Pontifice *ad laudem Divini nominis & Catholicæ Fidei propagationem* ann. 1459. confirmata, adeo ſtrenue exſpectationem Pontificis in propugnanda Catholica fide implevit, ut implacabile Martini Lutheri odium incurrerit, millenis convitiis ab eodem proſciſſa 39.).

ſtea Pius II. Pontifex, Epiſt. 155. ad Epiſc. Brixienſ. ſcribit: *Manſit uſque in hunc diem vetuſtæ ſapientiæ apud Conſtantinopolim monumentum, ac velut ibi domicilium literarum eſſet, nemo Latinorum ſatis videri doctus poterat, niſi per tempus Conſtantinopoli ſtuduiſſet &c.*

39.) Occaſionem & cauſam genuinam hujus odii detegit JACOBUS GRETSERUS in Oratione inaugurali habita 14. Novembr. 1606.

Statuta Canonum pro Academiis.

§. 151. Verum historia Academi rum aliis relicta, paucis annotamu quid varii Canones de publicis h studiis statuerint.

I. Nemo qui sit *idoneus*, a docen do impediatur, quoniam cum donu Dei sit scientia Literarum, liberu debet esse cuique talentum gratis cu voluerit erogare 40.), scilicet cum consensu Principis & Episcopi *Idonei* dicuntur, qui sunt *fideliter & veraciter intelligentes* 41.).

II. Statuit Sancta Synodus TRI DENTINA, *neminem ad Sacræ Scri pturæ Lectionis officium tam publicæ quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus & scientia examinatus & approbatus non fuerit* 42.).

III. Singulorum Professorum vita diligenter est inquirenda: ne forte ii sint, qui pravo morum, vitæque exemplo plus officere, quam doctri næ raritate prodesse possint 43.).

IV.

40.) Alexander III. apud Harduin. Concil. tom. 6. p. 2. col. 1459.

41.) Synodus Lingonensis ann. 859 can. 10.

42.) Sess. V. c. 1. de Reform.

43.) Concil. Tolosan. ann. 1590.

IV. „Omnes ii, ad quos Univer„sitatum & Studiorum generalium „cura, visitatio & reformatio perti„net, diligenter curent, ut ab eis„dem Universitatibus Canones & „Decreta Sanctæ Tridentinæ Syno„di integre recipiantur, ad eorum„que normam Magistri, Doctores, „& alii in eisdem Universitatibus ea, „quæ Catholicæ Fidei sunt, doceant, „& interpretentur; seque ad hoc in„stitutum initio cujuslibet anni so„lemni juramento obstringant: sed „& si aliqua alia in prædictis Uni„versitatibus correctione & refor„matione digna fuerint, ab eisdem, „ad quos spectat, pro Religionis & „Disciplinæ Ecclesiasticæ augmento „emendentur, & statuantur.„ 44.).

V. Pro concedenda licentia docendi nihil exigatur 45.).

VI. In Ecclesiis Cathedralibus Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ

44.) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 2. de Reform.

45.) C. 3. de Magistris &c. ex Conc. Lateran. III. ann. 1179. c. 18. Excepit tamen Alexander III. Magistrum Petrum Cancellarium Parisiensem apud Harduin. t. 6. p. 2. col. 1478.

fiæ & Scholares pauperes gratis
ceat, competens aliquod Benefici
assignetur, quo docentis necessi
sublevetur, & discentibus via pa
ad doctrinam 46.). Aliis Profe
ribus, qui præbendam non habe
salaria congrua sunt assignanda.

VII. Canonici vel Præbendati,
ab Episcopis ad Theologiam leg
dam, vel discendam destinantur,
centes quidem toto tempore, d
in Scholis docuerint; studentes a
tem in ipsa per quinque annos in
gre percipiant in absentia proven
præbendarum & beneficiorum su
rum 47.).

VIII. Libri boni & utiles præ
gantur: prohibentur autem Lib
Hæreticorum, qui de Religione e
professo tractant, libri lascivi &c. 48.)

IX.

46.) Idem Concil. LATERAN. relatum i
C. 4. de Magistris &c. EMAN. GONZ
LEZ ibid. Hanc Constitutionem circa E
clesias Cathedrales & Collegiatas fusi
declarat Conc. TRID. Sess. V. c. 1.
Reform.

47.) C. fin. de Magistr. Conc. TRID. lo
cit.

48.) Decret. de Libris prohibit. reg. 2. &
Libros emendatos, scilicet non tam
em

IX. Etiam Principes sæculares solliciti sint, ut sacræ scientiæ cum profanis Literis rite tradantur 49.).

X. Promovendi in Academiis ad Gradus Literarios, vel ad Licentiam docendi, publicam & solemnem Catholicæ Fidei Professionem ex Formula Tridentina edere, & Juramento confirmare tenentur 50.).

XI. Qui in quavis scientia ad Doctoratus vel Magisterii assumuntur honorem, *juramento prius adstringantur, ne ultra tria millia Turonensium argenteorum in solemnitate, circa hujusmodi Do-*

---

erroribus Amanuensium, quam a perversa doctrina, requiruntCapitulaHERARDIArchiepiscopiTuronensis ann. 858.c.17.apud Harduin. tom. 5. col. 451.

49.) *Coërceantur & exerceantur in Scholis pueri ad dilectionem sacræ scientiæ: ut per hoc bene eruditi inveniri possint adomnimodam Ecclesiæ DEI utilitatem: nec sint Rectores terrenæ tam avidi operationis, ut domus DEI desolatione spiritalis ornaturæ vilescat.* Synod. CUTHBERTI Archiep. in Anglia ann. 747. Can. 7. apud Harduin. tom. 3. col. 1954.

50.) PIUS IV. Const. *in Sacrosancta.* ann. 1564. Vid. Præcogn. Jur. Canon. tit. 6. §. 66. seqq.

Doctoratum aut Magisterium quomodo bet adhibenda, expendant 51.).

Alia ex singularum Academiarum propriis Statutis haurienda sunt. Multa suppeditat JACOBUS MIDDENDORPIUS de Academiis. Item de Officiis Scholasticis. ANDREAS MENDO de Jure Academico.

TITULUS XI.

DE SEMINARIIS CLERICORUM

§. 152.

Seminaria Ex iis, quæ superiori Titulo allata sunt, facile concludimus, fundamenta Scholarum publicarum jacta esse ab Episcopis; & Literarum profanarum Studia, destinata olim fuisse ad profectum in Sacris scientiis,

51.) Clement. 2. de Magistris &c. Valorem 3000. Turonensium argenteorum, si cum nostra moneta conferatur, curiose indagat JACOBUS GRETSERUS Præfat. in Disputationem Vespertinam, pridie Inaugurationis Doctoralis ann. 1606. creditque juxta maximam Turonensium ad nostras monetas collatorum æstimationem, præscriptam summam ascendere ad quadringentos sexdecim florenos nostros Rhenanos.

tiis, & ornamentum Ecclesiæ: unde etiam Academiæ, tanquam Seminaria Clericorum, potissimum ditatæ erant Privilegiis Pontificiis, & Immunitate Clericali gaudebant; cum non solum totum Corpus jura Clericalis Communitatis sibi sumeret, sed etiam singuli Scholares multis in locis passim nomine Clericorum venirent 52.). Adjunctis dein Juris profani, Medicinæ & similium Artium Facultatibus, magna quidem Episcoporum autoritas ibidem permansit, ita ut Academici Gradus non absque eorum annutu dispensentur: nihilominus ut verum fateamur, feliciora fuerunt incrementa Studiorum, quam pietatis & Clericalis disciplinæ. Hinc Concilium TRIDENTINUM, ut æquis passibus Literarum stadia pietas sequeretur, *Seminaria* in singulis Episcopatibus pro Clericis restitui voluit.

§. 153. Nomine Seminarii hic intelligimus locum Ecclesiastica autorita- *Clericorum*:

52.) Unde in Academia Ingolstadiensi Dignitas Rectoris olim non nisi Clericis deferebatur: ne scilicet Laicus videretur Jurisdictionem exercere in Communitatem Clericalem.

ritate constitutum, ad illos sub dis- bus
plina vitæ communis educandos, q man
animum præseferunt, vel amp- folic
ctendi Statum Clericalem, vel in- jito
suscepto ad obeundas functio- min
Clericales se perficiendi. Finis ig- puer
tur horum Seminariorum est, ut e- coro
rum Alumni separati a commerc- caut
Sæculi, agnoscant vocationem s- qui
am; exerceantur in omnibus virt- cere
tibus Christianis & Clericalibus; d- rum
sponantur ad Sacros Ordines susc- fing
piendos, vel perficiantur in ill- unde
jam susceptis. nis,

Sunt necessaria: §. 154. Præviam institutionem a- Nec
munera Pastoralia rite obeunda, om- hæc
nino esse necessariam, eleganter o- bus
stendit S. GREGORIUS M. 53) S
nulla ars, inquiens, *doceri præsumitur, lita*
nisi intenta prius meditatione discatur; vel
ab imperitis ergo magisterium pastoralis nia
suscipitur in magna temeritate: quoniam Ser
ars est artium, regimen animarum &c. Di
Hanc institutionem non ad virilem era
usque ætatem differri, sed a prima
jam juventute rite formari oportet
futuros Ministros summi DEI, &
Pastores animarum tantis functio-
bus

53.) Pastoralis p. I. c. 1.

bus pares. Nabuchodonosor de formandis idoneis Ministris aulæ suæ solicitus præcipiebat *Asphenez Præposito Eunuchorum, ut* in Palatii sui Seminarium *introduceret de filiis Israel pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in Palatio Regis, ut doceret eos Literas, & linguam Chaldæorum. Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu Regis* 54.). Nec necesse, nec hujus loci est, ut hæc ad Seminaria Episcopalia pluribus verbis transferantur.

§. 155. Pro varia ætate, & habilitate eorum, qui vel ad Clericaturn, vel eo suscepto ad Ecclesiastica munia aspirant, varia deprehendimus Seminariorum genera. Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, quorum nulli erat quidquam proprium, sed omnibus *Quam formam*

54.) Daniel. I. 3. seqq. Talia Pædagogia passim in Principum aulis erecta videmus. Et a Græca voce παις derivari existimatur nomen *Pages*, quo vocari solent nobiles adolescentes in aulis Principum educati.

bus omnia communia, colligeba
tur olim ad Collegium Clericorum
in ædibus S. Auguſtini erectum, cu
jus modum & inſtitutum idem S. Epi
ſcopus populo Hipponenſi diluci
expoſuit 55.). Juniorum aute
adoleſcentum curam præcipuam ha
buit Concilium TOLETANUM IV
56.): hanc plerisque in locis ne
glectam reſtaurare ſtuduit CARO
LUS M. aliique ſummi Viri Sæcul
VIII. & IX. adeo ut quæcunque de
Scholis publicis Eccleſiarum Cathe
dralium aut Parochialium ſupra tra
didimus, ad Seminaria Clericorum
referenda ſint. Majorum Eccleſia
rum Clericos ſingulari induſtria con
gregavit CRODOGANGUS Meten
ſis Epiſcopus 57.). Erectis dein pu
blicis Academiis, negligi cœperunt
Collegia Epiſcopalia, plurimumque
paſſa eſt diſciplina Clericorum, alia
rum facultatum Scholaribus immix
torum. Deberent quidem Clerici in
Aca-

55.) Serm. 355. & 356. olim de diverſ. 49
& 50.

56.) Anno 633. Can. 24. relatum apud
GRATIANUM c. 1. XII. q. 1.

57.) De Regula CRODOGANGI dictum eſt
Hierarch. Eccl. tit. 28. §. 325.

Academiis versantes idem de se prædicare, quod S. GREGORIUS *Nazianzenus* 58.) de se & S. Basilio in Athenienſi Academia verſantibus dicit: *Peſtiferæ quidem aliis, quod ad animæ ſalutem attinet, Athenæ ſunt: nobis autem nihil detrimenti ab iis allatum eſt, utpote animo communitis & obſeptis.* Cum vero non de omnibus tanta morum conſtantia ſperanda ſit; malo huic remedium ponere laborabant Patres Concilii TRIDENTINI, dum exactam formam tradunt Seminarii Clericorum in Eccleſiis Cathedralibus erigendi 59.).

§. 156. Statuit igitur S. Synodus I. ut ſingulæ Eccleſiæ Cathedrales pro modo facultatum, & amplitudine Diœceſeos, certum puerorum numerum in Collegio alere & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. II. Recipiantur pueri duodecim ad minimum annorum, & legitimorum natalium, qui legere ac ſcribere competenter noverint, ac ſpem præbeant Clericalis vitæ conſtanter retinendæ. III. Præcipue

Tradit Synodus Tridentina:

58.) Orat. 20.
59.) Seſs. 23. c. 18. de Reform.

eligantur pauperum filii: ditiore non excludantur, ſuo tamen ſumptu alendi. IV. Dividantur Alumni in plures claſſes juxta eorum ætatem ac progreſſum, applicandi demum Eccleſiarum miniſterio, aliis mox in eorum locum ſubſtitutis. V. Omnes Tonſura atque habitu Clericali utantur. VI. Grammatices, Cantus, Computi Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam, Sacram Scripturam, Libros Eccleſiaſticos, Homilias Sanctorum; Sacramentorum tradendorum, Confeſſionum audiendarum, Rituum ac ceremoniarum formas ediſcent. VII. Singulis diebus Miſſæ Sacrificio interſint: ſingulis ſaltem menſibus confiteantur, & Euchariſtiam ſumant: Cathedrali & aliis Eccleſiis, diebus feſtis inſerviant. VIII. Omnia ad hanc rem neceſſaria Epiſcopus cum Conſilio duorum Canonicorum conſtituet. IX. Diſcolos & incorrigibiles acriter puniet, vel expellat. X. Pro neceſſariis ſumptibus applicentur inprimis huic Collegio, quæ forte ad inſtituendos vel alendos pueros ſunt deſtinata: dein ex fructibus integris Menſæ Epiſcopalis & Capituli, quarumcunque Dignitatum, & Benefi-

cio-

ciorum quorumcunque, etiam Regularium & Exemptorum; item ex quibuscunque aliis Ecclesiasticis proventibus aliorum Collegiorum (in quibus tamen Seminaria discentium vel docentium non habentur) & Monasteriorum, non tamen Mendicantium, partem aliquam vel portionem, dotato sufficienter Seminario remittendam detrahent; nec non Beneficia aliquot simplicia huic Collegio incorporabunt. XI. Rationes redituum Episcopus singulis annis accipiat, præsentibus duobus a Capitulo, & totidem a Clero Civitatis deputatis. XII. Qui Scholasterias, non nisi Doctoribus vel Magistris, aut Licentiatis in Sacra Pagina aut in Jure Canonico conferendas, obtinent, vel docendi munus annexum habent, compellendi sunt, ut per seipsos, vel per idoneos substitutos in his Collegiis doceant, quæ videbuntur Episcopo expedire. XIII. Si in singulis Episcopatibus ob paupertatem Ecclesiarum Seminarium erigi non possit, erigatur unum ex facultatibus duarum aut plurium Diœcesium. XIV. In amplis Diœcesibus possunt plura Seminaria haberi, quæ tamen ab illo, quod in

Civitate constitutum fuerit, in om-
nibus dependeant.

Cujus mentem executæ sunt

§. 157. Per hæc sapientissima Con-
cilii Decreta DEUS idem in Eccles
sua effeciſſe videtur, quod olim
præstitit in mundo recens condit
per fœcundum suum imperium: *ger-
minet terra herbam virentem, & facien-
tem semen, & lignum pomiferum, cu-
jus semen in semetipso sit super terram* 60.)
Ubique enim surgebant Collegia
Clericorum ita sapienter instituta,
ut non tantum uberrimos fructus
proferrent, sed perpetuæ etiam pro-
paginis fœcunditatem promitterent.
In omnibus Synodis Provincialibus,
quæ finito Concilio Tridentino fue-
runt habitæ, mirum elucet studium,
Decreta Tridentina suis Provinciis
aptata, in usum deducendi. Lectu
& imitatu digniſſima sunt quæ hac
de re statuit Concilium Provinciale
CAMERACENSE 61.): SALISBUR-
GENSE 62.): MEDIOLANENSE

V.

60.) Genes. I. 11.

61.) Anno 1565.

62.) Ann. 1569. Ibi Constit. 60. decernitur
ut Seminaria erigantur Salisburgi, & in
quatuor Provinciæ primariis Civitatibus,
Frisin-

V. 63.): ROTHOMAGENSE 64.): RHEMENSE, TURONENSE & BURDIGALENSE 65.): AQUENSE 66.): TOLOSANUM 67.): MECHLINIENSE 68.). Item singularum Diœceſium Synodi, AUGUSTANA 69.): PLACENTINA 70.): OSNABRUGENSIS 71.).

Friſingenſi, Patavienſi, Ratisbonenſi & Brixinenſi: cæteri Epiſcopatus, ſcilicet Gurcenſis, Chiemenſis, Seccovienſis & Lavantinus quosdam juvenes ſuis impenſis alant in Seminario Archiepiſcopali Salisburgenſi.

63.) Conſtit. part. 3. ann. 1579.

64.) Ann. 1581.

65.) Tria hæc Concilia habita ſunt Ann. 1583. & quidem ad finem Concilii Burdigalenſis fuſiores leges pro Seminariis ſubjiciuntur. Apud Harduin. tom. 10. col. 1382. ſeqq.

66.) Ann. 1585. Ibi ſub Rubrica *de Proceſſionibus* declaratur, Clericos Seminarii eſſe de gremio Eccleſiæ Cathedralis, & propterea in Proceſſionibus ac aliis actibus publicis cum Clero Eccleſiæ Cathedralis incedere debere.

67.) Ann. 1590.

68.) Ann. 1607.

69.) Ann. 1567. Ibi part. 3. c. 23. fuſe agitur de Seminario Dilingæ erigendo.

70.) Ann. 1589. pag. 211.

71.) Ann. 1628.

Variæ Diœceſes,

§. 158. In noſtra Germania non nulli Epiſcopi ſatisfactum credebant Decretis Tridentinis, erigendo in ſuis Civitatibus publicas Scholas ubi præter Literas humaniores, gratis docerentur ea, quæ ad eruditionem & inſtructionem Clericorum ſunt neceſſaria, quamvis eodem contubernio non congregentur aut alantur Scholares. Alicubi etiam Princeps ſæcularis defectum Epiſcopi ſupplebat. Præterea in illis locis ubi Univerſitates ſtudiorum erectæ ſunt, conſtituta ſimul viſuntur Seminaria, Clericorum præcipue uſibus deſtinata, & ad diſciplinæ Clericalis normam formata 72.).

Ad probandos, & formandos Clericos,

§. 159. Præterea conſtituta ſunt quædam Seminaria, in quibus eorum, qui ad Sacros ordines aſpirant, vocatio piis exercitationibus probatur: & animus aſceticis præcipue doctrinis ante ſingulorum Ordinum ſuſceptionem imbuitur. Ulterius ſe extendit nonnullorum ſollicitudo ad excitanda Collegia, in qui-

72.) Tale Collegium apud Academiam Duacenſem communibus plurium Epiſcoporum impenſis erigendum ſtatuit Concilium CAMERACENSE Ann. 1586. tit. 21.

quibus absoluto jam studiorum curriculo, & suscepto Presbyteratu, novi Sacerdotes informentur & exerceantur in functionibus Clericalibus ac Pastoralibus rite obeundis, & vita ex præscripto Sacrorum Canonum honestissime ducenda.

§. 160. Silentio præterire non possum Seminaria quædam Clericorum in gratiam Germanicæ Nationis tum Romæ, tum in quibusdam Germaniæ Provinciis erecta, quorum Alumni ex Germania oriundi, impensis Pontificiis sustentantur. Censuerunt aliqui, frustra profundi has pecunias in opus hoc tempore minus necessarium, cum Diœceses propriis Clericis abundent. Alii tamen existimarunt, glorioſum esse Sedi Apostolicæ, & utilissimum Reipublicæ Catholicæ, modicis hisce sumptibus devincire Sedi Romanæ multos animarum Pastores in Germania, juramento etiam adstrictos ad operam suam pro nutu Pontificio ubique præstandam 73.). *etiam sumptibus Pontificiis.*

73.) De variis Seminariis Clericorum Romæ & alibi erectorum, agit Hippolytus Helyot in volumine octavo sui Operis de Ordinibus Religiosis.

Clericorum in commune viventium,

§. 161. Aliud Seminarii genus in stituit, & hac via antiquam Clerica lis vitæ formam restituit Vir sancti tatis fama illustris, BARTHOLO MÆUS HOLZHAUSER, quod so lemus vocare *Institutum Clericorum sæ cularium in commune viventium.* To tam ejus rationem typis impressam & pro Directione juventutis, pro Directione Sacerdotum in officiis & beneficiis existentium, nec non pro Directione senum & inhabilium in tres partes divisam, laudavit atque approbavit Summus Pontifex IN NOCENTIUS XI. Anno 1684. ma gisque approbat publica utilitas in plures Diœceses ex hoc Instituto promanans. Substantialia autem ejusdem sunt Communitas bono rum, Cohabitatio fraterna, separa tio mulierum, & Obedientia erga Superiores Instituti.

& alia Collegia sunt utilissima,

§. 162. Si Collegia Clericorum a prioribus Episcopis instituta, solicite & accommoda disciplina regantur; aut nova prudenter sine sinistro æmulationis affectu, pro locorum opportunitate, absque antiquorum detrimento erigantur; Alumnique pauperes, quod juxta plerorumque Episcopatuum & Capitulorum Ger-

maniæ

maniæ opulentiam difficile non erit, gratis alantur; si nemo, nisi cujus eximiæ dotes spem optimam præbent, in hæc Collegia suscipiatur; nec facile Sacri Ordines aut Beneficia conferantur aliis, quam horum Collegiorum Alumnis: fieri non potest, quin ex iis prodituri sint Viri ad animarum Curam aptissimi, Patronique Ecclesiarum suaviter adducantur ad eosdem pro Cura Pastorali præsentandos, cum maximo Ecclesiæ emolumento, & summa Episcoporum gloria, quam consequentur ob insignes Viros liberaliter nutritos, solicite formatos, & pro merito suo Ecclesiis præfectos: sicuti THEODORICUS Rex sibi applaudebat, quod integerrimos Prætores & Judices ex Aula sua in Provincias mitteret: *Judicii nostri culmen excelsum est, cum qui a nobis provehitur, plenus meritis æstimatur* 74.). Magno sane solatio Præsules perfundentur, si lustrata ingenti aulæ suæ turba, saltem hos Seminariorum Alumnos reperiant Christianæ genti emolumento futuros, quos tanquam volucres cœli in ramis arboris illius

74.) Cassiodorus lib. 1. variar. Epist. 3.

mysticæ 75.) collocent, dum an
malia & bestiæ terræ subtus hab
tant; ne locus detur querelis Ri
CHARDI *a S. Victore* 76.): qu
quæso hoc monstri est, quod nostri tempo
ris arbores ursos & leones vel alias hujus
modi bestiales mentes portant in ramis
volucres vero cœli, & quælibet volati
lia pennata premunt in imis.... Conver
sentur volucres cœli in ramis, locumque
teneant in summis, quos sublevat penna
sanctitatis: bestiæ sub ramis locum teneant
in imis 77.).

& urgentur a Sede Apostolica.

§. 163. Solicitudo Romanorum Pontificum circa hæc Seminaria abunde ex eo colligitur, quod etiamnum inter eos articulos, super quibus statum Ecclesiarum suarum Episcopi exponere solent sacræ Congregationi Concilii, occasione Visitationis Sacrorum Liminum, respondendum sit ad istud quæsitum: An adsit in Diœcesi Seminarium Clericorum:

quot

75.) DANIEL. IV. 9. *Subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli.*

76.) Lib. 2. de Erudit. hominis interior. c. 17.

77.) Plura hanc in rem vid. apud JOAN. PAULUM OLIVA Conc. I.

quot Clerici in eodem alantur: an in Ecclesiastica disciplina recte instituantur: quibusnam studiis vacent & quo profectu: an Cathedrali & aliis locis Ecclesiæ diebus festis inserviant: an fuerit statuta taxa, & in qua quantitate: & an aliqui sint morosi in ejus solutione: & an aliqua Beneficia fuerint eidem unita, & in universum quinam, & quot sint reditus prædicti Seminarii: an Episcopus cum Consilio duorum Canonicorum Seniorum necessaria pro recto regimine statuerit: an Seminarium ipse aliquando visitet, & operam det, ut Constitutiones adimpleantur 78.)?

§. 164. De Seminariis Clericorum *Scriptores.* videri possunt ZERULA prax. Episc. p. 1. v. Seminarium. BARBOSA in Collect. ad Conc. Trid. Sess. 23. c. 18. Item in Summa Apost. Decis. v. Seminarium. Item de Offic. & pot. Episc. p. 3. alleg. 77. GONZALEZ ad Reg. 8. Cancel. gloss. 5. §. 7. PIASEC. prax. Episc. p. 2. c. 2. art. 1. n. 11, 12. THOMASSINUS p. 1. l. 3. c. 4. 5. 6. item p. 2. l. 1. c. 102. VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 11.

TITU-

78.) In Appendice Concilii Romani sub Benedicto XIII. fol. 197. & 201.

TITULUS XII.

DE HOSPITALIBUS.

§. 165.

Diversa nomina: OMNIS locus pauperibus, ægrotis aut peregrinis excipiendis destinatus solet nonnunquam generali significatione appellari *Hospitale*. Habent tamen ejusmodi domus peculiaria quoque nomina pro diversitate personarum, quæ ibi recipiuntur. *Xenodochia* dicuntur, ubi peregrini; *Orphanotrophia*, ubi parentibus orbati; *Nosocomia*, ubi ægri; *Leprodochia*, ubi infecti lepra; *Ptochotrophia*, ubi pauperes debiles, & ad laborandum inhabiles; *Gerontocomia*, ubi pauperes senes; *Brephotrophia*, ubi infantes expositi aluntur 79.).

Et qualitates Hospitalium. §. 166. Quædam ex his locis eriguntur & dotantur ex pietate privata, absque interventu autoritatis Ecclesiasticæ & hæc dicuntur Loca *Pia*; manent tamen mere profana, & in pote-

79.) Diversæ piarum ædium species recensentur in Regum Francorum Capitularib. lib. II. c. 29.

potestate suorum autorum, qui possent eadem ad usus profanos reducere 80.), sicut de Oratoriis privatis loquimur. Nihilominus Fundatore mortuo, Hospitale ad alium usum converti non debet 81.). Ad aliorum fundationem sæpe accedit autoritas Episcopi, & deputatio ritu publico & Ecclesiastico facta ad usum pium, cultumque Divinum augendum per opera charitatis: & hæc proprie sunt Loca *Religiosa* 82.). Quædam sunt Hospitalia in Titulum Ecclesiasticum erecta, quæ proin solis Clericis tanquam vera Beneficia Ecclesiastica conferuntur: talia dari, videtur supponere Concilium VIENNENSE 83.). Passim videmus Hospitalia, quæ intra muros suos habent Sacella consecrata, & Cæmeteria, simulque Sacerdotem ad cu-

80.) Redoanus de reb. Eccl. non alienand. Rubr. 27. & 31. utrinque n. 7. seqq.

81.) Sic arguit Abbas *Panormit.* ad c. 4. n. 4. de Relig. domib. ex Novell. 131. c. 10. de Eccles. Titul.

82.) De his agunt Canonistæ ad Tit. de Relig. domib.

83.) Relatum in Clement. 2. de Relig. dom. item Conc. Trid. Sess. XXV. c. 8. de reform.

curam animarum inſtitutum: ho ſolo tamen Hoſpitalia non aſſumu qualitatem loci Religioſi; ſicut P latium Principis non fit locus Re gioſus ob Sacellum in eo conſecra tum: neque per inſtitutionem Be neficiati ab Epiſcopo factam, ce ſetur ipſum Hoſpitale datum in T tulum; ſed ſolummodo Sacellum ſacris uſibus deſtinatum. Conſide rata igitur qualitate Hoſpitalis, ſen tiendum & loquendum de eo e juxta principia alibi tradi ſolita circa diverſitatem Loci Pii, aut Religioſi, aut Sacri, aut Beneficii Eccleſiaſtici.

Suprema Cura

§. 167. Apoſtolorum exemplo 84.) & ſecundum Sanctorum Patrum tra ditionem 85.), Epiſcopo incumbit cura pauperum, non quidem ut ipſe adminiſtrationis onus in ſe ſuſcipiat, ſed ut adminiſtratores conſtituat, iſ que ſedulo invigilet 86.). Apoſtoli commiſerunt curam pauperum Dia conis 87.), uti & Romani Pontifi ces.

84.) Act. IV. 35.

85.) Vid. LAUNOIUS Tom. 2. vol. 2 De Cura Eccleſiæ pro pauperibus.

86.) L. 42. §. 9. l. 46. §. 3. C. de Epiſc & Cler.

87.) Act. VI.

ces. Unde quamvis primis poſt Chriſtum ſæculis, paſſim Chriſtiani pauperibus, ægrotis, peregrinis omnia charitatis obſequia privatim exhiberent 88.); tamen quamprimum licuit, per diverſas Romanæ Urbis regiones erecta ſunt loca, *Diaconiæ* dicta, in quibus per Diaconos regionarios, pauperes viduæ, pupilli, ſenes propriæ regionis alebantur, publicæ quodammodo hoſpitales domus, quæ Oratoria & Sacella adjuncta habebant, in quibus a Diacono egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur: ipſis autem dirutis aut collapſis ædibus, Diaconiæ nomen Sacellis & Oratoriis manſit, a quibus eorum Præfecti, *Diaconi Cardinales Urbis Romæ poſtea dicti ſunt* 89.).

§. 168. Admonitionem Apoſtoli, qui Epiſcopos Hoſpitales eſſe volebat, adeo ad literam ſecuti ſunt aliqui cum S. AUGUSTINO, ut hoſpites & peregrinos etiam ſuæ menſæ ad- *incumbit Epiſcopis:*

88.) Vid. MAMACHI Orig. Chriſt. tom. 3. lib. III. part. 3. c. 1. §. 4.

89.) De variis Diaconiis mentionem facit ANASTASIUS *Bibliothecarius* de Vitis Rom. Pontif. STEPHANI III. & HADRIANI I. quarum nomina colligit Du CANGE in Gloſſar. V. *Diaconia.*

adhiberent. S. CHRYSOSTOMU
autem, obtrectatorum cavillatio
bus parum motus, ſolus quidem
mebat cibum, ſolicitam tamen pa
perum & peregrinorum curam geſſ
quam vivendi rationem PALLADIU
contemporaneus ejus vitæ Script
tam gravibus rationibus commend
ut alii Epiſcopi paſſim CHRYSO
STOMUM æmulati ſint 90.). S
GREGORIUS *Nazianzenus* 91.) mi
extollit ſtudium S. BASILII erg
pauperes, & Hoſpitale ab ipſo er
ctum civitati comparat, & ſeptem
mundi miraculis præfert: *Paulo*
extra civitatem pedem effer, ac nova
civitatem conſpice &c. &c. Ad han
curam reſpicit Concilium CHALCE
DONENSE 92.), jubens, ut paupe
ribus alio peregrinantibus Epiſtolæ
Pacificæ ab Epiſcopo concedantur.
Concilium quoque AQUISGRA
NENSE 93.) vult, ut Epiſcopu
Hoſpitale commodo loco erigat, e
que

90.) Vid. THOMASSIN. vet. & nov. Ecc
diſcipl. p. 1. lib. II. c. 89. Acta Sanctor
rum. 14. Septembr. in vita S. Joan
Chryſoſt. §. 37. pag. 514. ſeqq.
91.) Orat. 20.
92.) Can. 11. ibique ZONARAS.
93.) Ann. 816. can. 141.

que unum ex Fratribus, id eſt Canonicis, non tamen beneficiario jure præficiat. Acceſſerunt recentiorum Conciliorum 94.) Conſtitutiones graviſſimis verbis hanc curam Epiſcopo inculcantes. Unde plurima ubique erecta ſunt Hoſpitalia, adnitentibus Epiſcopis, Laicorum potiſſimum munificentia: nihilque frequentius occurrit, quam quod oblationes Fidelium ſint patrimonia pauperum.

§. 169. Sicuti autem hæc Epiſcoporum autoritas, quam Concilium TRIDENTINUM circa Hoſpitalia, aliaque loca pia reſtitutam cupit, non excludit Principes, tanquam ſpeciales pauperum & miſerabilium Patronos ac Protectores: ita etiam ſunt quædam Xenodochia, piaque loca *ſub ſpeciali & immediata* Protectione Regum & Principum conſtituta, quorum viſitationem Epiſcopus ſuſcipere non poteſt abſque Principis annutu, ipſo Concilio TRIDENTINO ſic limitan- *vel Principibus:*

94.) Concil. VIENNENSE in Clement. de Relig. Domib. & TRIDENTINUM Seſs. VII. c. 15. Seſs. XXII. c. 8. & 9. Seſs. XXV. c. 8. de Reform.

te decretum ſuum 95.). Poſuerun autem multi Fundatores Xenodochi ſub defenſione Principum, quod e a nullo melius, quam a ſumm Poteſtatibus protegenda credide rint 96.). Poſſet etiam Hoſpital ſub expreſſa clauſula fundari, ut E piſcopus a rationibus exigendis ex cludatur, quod agnovit Synodus TRIDENTINA 97.), jubens admi niſtratores Hoſpitalis ſingulis annis rationem adminiſtrationis Ordinario reddere, *niſi ſecus forte in inſtitutione & ordinatione talis fabricæ expreſſe cau tum eſſet.*

§. 170.

95.) Cit. Seſs. XXII. c. 8. *Epiſcopi habeant jus viſitandi hoſpitalia... non tamen quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eo rum licentia.* Quod autem hic de Reg bus dicitur, intelligi etiam debet de Pri cipibus immediatis Imperii Germaniæ utpote qui Juribus Regalibus in Provin ciis ſuis gaudent.

96.) De Cura Principum erga Hoſpital agit Synodus REGIATICINA, hoc eſt in Urbe *Regia Ticino* celebrata ann. 85 c. 16. item Concilium TULLENSE I. an 859. inter decreta Synodi LINGONEN SIS eidem Tullenſi Concilio exhibita C 14. apud Harduin. tom. 5. col. 500.

97.) Seſs. XXII. c. 9. de Reform.

§. 170. Porro Hospitalia profana, absque autoritate Episcopi erecta, sicut non efficiuntur Religiosa vel Ecclesiastica, ita nec subsunt Jurisdictioni Episcopi Diœcesani, nisi eatenus, ut nihil contra decentiam & cultum Divinum ibi contingat 98.). Certe Concilium TRIDENTINUM 99.), dum jus visitandi Hospitalia Episcopo tribuit *in casibus a Jure concessis:* item *juxta Sacrorum Canonum statuta;* his ipsis verbis jus visitandi restringit ad limites Juris communis, quo loca profana, licet pia, non subsunt visitationi Episcoporum. Similis tamen limitatio non adjicitur, quando Synodus TRIDENTINA loquitur de autoritate Episcopi in exigendis rationibus ab Administratoribus Hospitalium: hæc proin circa omnia Hospitalia, in quorum fundatione aliud cautum non est, competere videtur Episcopo Jure Concilii Tridentini. Si tamen in quibusdam Provinciis aliud observetur, id contingit *non ad contraveniendum* *vel utrisque simul.*

98.) Fagnanus in c. ad hæc. n. 51. de Relig. Domib.

99.) Sess. XXII. c. 8. de Reform.

Concilio Tridentino, sed ut executio accommodetur naturæ cujusque Provinciæ 100.). Multi tamen Principes, non obstante antiqua consuetudine, juribus suis nequaquam præjudicari credunt, si Episcopi locorum Piorum, etiam profanorum, curam aliquam gerant; eorumque Commissarii reddditioni rationum interfint, absque impensis tamen loci Pii 1.).

Administratorum, §. 171. Qui supremam Hospitalium curam gerunt, Administratores constituere debent juxta voluntatem primorum Fundatorum, cui si non satisfiat, ipsi Principes vel Episcopi *impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerant* 2.). Prohibet Synodus VIENNENSIS, ne Hospitalia sæcularia-

---

100.) Verba hæc ex aliquo Mandato Belgico decerpit ZYPÆUS Jur.nov. lib. I. de Constit. n. 6.

1.) Sic in Belgio ordinatum esse refert VAN ESPEN Jur. Eccl. p. II. tit. 37. c. 2. n. 47. seqq. In Concordatis Bavariæ de ann. 1583. cap. 1. æque Principi ac Episcopis datur jus exigendi rationes ab Administratoribus Hospitalium de bonorum temporalium dissipatione accusatis: sub quibus conditionibus id intelligi debeat, usus docebit.

2.) Synodus REGIATICINA cit. loc.

laribus Clericis in Beneficium conferantur, ne ſcilicet multa, ad uſum pauperum vel ægrotorum deputata, in uſum Clericorum transferantur 3.), non obſtante contraria conſuetudine, niſi in illorum fundatione ſecus conſtitutum fuerit; *ſed eorum gubernatio* per modum ſimplicis adminiſtrationis, *viris providis, idoneis & boni teſtimonii committatur, qui ſciant, velint & valeant loca ipſa, bona eorum, ac jura utiliter regere, & eorum proventus & reditus in perſonarum uſum miſerabilium fideliter diſpenſare* 4.). Multa Hoſpitalia ex mente Fundatorum ſubſunt gubernationi Religioſorum, Militarium Ordinum S. JOANNIS *Hieroſolymitani*, S. LAZARI, & S. MARIÆ *Teutonicorum;* item S. ANTONII *Viennenſis*, S. SPIRITUS *in*

3.) HINCMARUS Archiepiſcopus Rhemenſis *Canonicis ſuæ Eccleſiæ Hoſpitale conſtituit ad ſuſceptionem peregrinorum vel pauperum, congruis ad id rebus deputatis... ea conditione, ut nullo unquam tempore quilibet Epiſcopus, vel quælibet perſona easdem res cuiquam in beneficium dare præſumat.* FLODOARD. Hiſt. Rhemenſ. l. 3. c. 10.

4.) Clem. 2. de Relig. Domib.

Saxia, *Fratrum Misericordiæ*, aliorumque utriusque sexus 5.).

Extra Monasteria,

§. 172. In Monasteriis Hospitalitatem jam pridem viguisse, notorium est, claro argumento suprad. ctæ regulæ Canonicæ, quod oblationes Fidelium sint patrimonia pauperum 6.). Alludunt aliqui ad nomen Monasterii *Stabulensis*, illudque merito sic vocari dicunt, utpote quod sit Stabulum quorumvis peregrinorum 7.). Ob hanc causam videmus multa Monasteria constructa in locis aviis & periculosis. Solent autem extra claustra Monasterii ædes aliquæ recipiendis pauperibus & peregrinis deputari, ne disciplina claustralis nimium perturbetur. CLEMENS VIII. Pontifex vehementer solicitus de reditibus Monasteriorum

5.) Vid. HIPPOLYTUS HELYOT Histoire des Ordres Religieux Vol. 2. 3. & 4. passim. item VAN ESPEN Jur. Eccl. p. I. tit. 37. c. 3.

6.) Concil. AQUISGRANENSE ann. 8[illegible] lib. II. can. 28. loquitur de Monasteriis Monialium: sicuti in lib. I. c. 141. locutum fuerat de Ecclesiis Canonicorum ut scilicet sua Hospitalia habeant pro pauperibus & peregrinis.

7.) CHRISTIANUS LUPUS in Scholiis ad Can. 11. Concil. Chalced.

rum bene impendendis 8.), laudat hanc Hospitalitatem, modo verorum pauperum ratio habeatur. Quanta autem Hospitalitatis ratio habenda sit in iis locis, ubi Hospitalia, vel Monasteria Hospitalitatis onus habentia, alteri Capitulo aut Collegio incorporantur, desumendum est ex ipsis Literis Incorporationis vel suppressionis, aut in earum defectu, ex Concilio TRIDENTINO 9.).

§. 173. Hospitalium, quæ extra Monasteria sunt, Administratores Juramentum præstare debent: Inventaria conficere: rationes annuas reddere 10.). Bona alienari non possunt, nisi ex causa necessitatis aut evidentis utilitatis, adhibitis solemnitatibus ad alienationem rerum Ecclesiasticarum adhiberi solitis; aut in Hospitalibus profanis absque consensu eorum, quibus ex mente Fundatorum suprema cura incumbit. Reditus non ad quemcunque usum pium; sed ad illum determi-

Officium, quoad temporalia:

8.) In Constit. *de largitione munerum Regularibus interdicta.*

9.) Sess. XXV. c. 8. de Reform.

10.) Clement. 2. cit.

natum impendantur, ad quem Fundator destinavit: si destinati sint pro personis certo morbi genere infectis, & tales non adsint; jubet Concilium TRIDENTINUM 11.), ut fructus illorum *ad alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur.* Permittitur hoc ibidem Episcopo cum duobus de Capitulo: ubi autem Laica est administratio, haud dubie etiam consensus Principis intervenire debebit. Ministris Hospitalium taxata sint salaria, quæ non excedantur. Uterque sexus solicite separetur, non tantum ubi versantur maturæ ætatis homines; sed præcipue etiam in Orphanotrophiis & Brephotrophiis id observetur. In his singuli mox a prima pueritia applicentur laboribus, quorum ope se aliquando sustentare possint, ne vagæ mendicitati assuescant.

Et Spiritualia. §. 174. Non solum circa temporalia, sed circa spiritualia quoque, debet esse provisum Hospitalibus: proin constituendi etiam sunt, qui ægro-

11.) Loc. cit.

ægrotis ac pauperibus Sacramenta administrent, & solatio sint. Hinc si committitur cura Hospitalium certis Religiosis aut Clericis, ex hoc solo inferri non potest, commissam illis simul esse curam temporalium, cum sine hac possint procurare salutem animarum. Nonnunquam cura Spiritualis Hospitalium pertinet ad Parochum loci, in quo situm est Hospitale, conformiter Juri communi: nonnunquam Hospitale habet Parochum proprium 12.).

§. 175. In recipiendis ad Hospitalia, non tantum egestatis ac inopiæ, sed etiam morum ac probitatis vitæ ratio habenda est. Observentur sedulo qualitates a Fundatoribus præscriptæ. Administratores non recipiant pro solo suo affectu, vel etiam commodo privato personas, quæ non ex egestate, sed pro commodiore vita & otio recipi petunt: vel quarum admissione nonnullæ Administratoris obligationes extinguantur. Neque recipiantur mendici validi, qui labore manuum victum possunt quærere. Si ejusmo- *Recipiendorum conditiones.*

12.) Clement. 2. cit.

di hominibus nec publice mendica
di facultas concedi debeat 13.
multo minus eorum inertia fove
debet reditibus Hospitalium 14.
Adhibeantur potius isti homin
ad opera publica, & officinas f
bricandis mercibus destinatas.



SEC-

13.) L. un. C. de Mendicantibus validis.
14.) Novell. 80. c. 5. Capitular. V.
806. c. 10. Concil. Colon. ann. 15
part. II. c. 5. Van Espen p. 2. tit.
c. 5. n. 4. seqq. Reformat. Polit. Aug
stæ ann. 1548. tit. 26. Petrus Greg
rius *Tholosanus* Syntagm. Jur. lib.
c. 28. n. 13. & lib. 39. c. 6. n. 13. seq

SECTIO II.

DE IIS QUÆ PERAGUNTUR IN ECCLESIIS.

§. 176.

Materia hujus Sectionis.

IN ECCLESIIS, quas hucusque descripsimus, administrantur Sacramenta; celebrantur Divina Officia: instruuntur & sepeliuntur Fideles. Unde etiam ablegatis omnibus, quæ Sacras has functiones turbare vel dedecere possent, Ecclesiis debetur singularis Reverentia. De singulis nunc dicendum.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS IN GENERE.

Conf. Decretal. Lib. 1. tit. 16.

§. 177.

Sacramenti

SACRAMENTUM apud profanos Autores plerumque dicitur, quid-

quidquid jurejurando interpositogeritur. Unde *Sacramentum militare* quo se milites fidelem operam Republicæ præstituros pollicentur 15.) Apud Ecclesiasticos Autores voxistignificat externum & sensibile rSacræ signum. Plura quidem sunexterna Religionis signa, & nutriendæ profitendæque Fidei adminicula, quibus humana infirmitas ad Spiritualium rerum perceptionem manuducitur: inter hæc autem eminent *Sacramenta*, de quibus tractant omnes Theologi, Dogmatici, Scholastici, Polemici, Morales. In horum messem ne falcem immittamus, paucis pro instituto nostro insinuanda sunt, quæ ex Sacris Canonibus ad Sacramenta referuntur: de solo Matrimonio fusiores erimus, quod Ecclesiastica Fora frequentissime fatigat.

Novæ Legis §. 178. Varia fuerunt Sacramenta sub veteri Lege Mosaica, sed *infirma & egena elementa* 16.), futuram aliquando per Christum cœlestium do-

15.) L. 8. C. de Legat. L. fin. C. de Veteran.

16.) Galat. IV. 9.

donorum abundantiam præsignantia: quæ cum Christus suo adventu impleviſſet, ablata sunt; & *alia instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora* 17.); quibus Christus *societatem novi populi colligat* 18.); Passionisque suæ & Mortis merita digne suscipientibus applicat, ac gratiam confert, ita ut per ea, utpote non nuda signa, sed efficacia, *omnis vera justitia vel incipiat, vel cœpta augeatur, vel amissa reparetur* 19.).

Definitio:

§. 179. Sacramentum igitur novæ Legis est *invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem a Christo institutum.* Talia sunt septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium 20.): non tamen omnia æqualis dignitatis aut necessitatis. *Dignitate* præcipuum est adorandum Eucharistiæ Sacramentum, totius gratiæ fontem in

---

17.) S. Augustinus lib. XIX. contra Faustum. c. 13.
18.) Idem Epist. 54. olim 118.
19.) Conc. Trid. Sess. VII. Procem.
20.) Conc. Florent. in Decreto pro Armenis. Conc. Trid. Sess. VII. can. 1.

in se continens: *Necessitate* primum est Baptismus, dein Pœnitentiæ Ordo & Matrimonium Ecclesiæ gubernandæ propagandæque sunt necessaria, at non singulis Fidelium.

Materia & Forma: §. 180. Constat Sacramentum duabus partibus, *Verbo* & *Elemento* 21.). Per Elementum intelliguntur res externæ, quæ *Materiam* præbent Sacramentis, ut aqua, oleum, panis, vinum. Per Verbum intelliguntur certa quædam, & determinata verba, in quibus Sacramentorum *Forma* consistit, non *Concionatoria*, sive instructiva circumstantium; sed *Consecratoria* elementi, quæ effectum, aut actionem Sacramentalem exprimant. Præterea ad validam Sacramenti *collationem*, requiritur *Minister* idoneus, ejusque recta *Intentio* 22.): ad dignam ejusdem *susceptionem*, Fides suscipientis cum *Dispositione*, quam singula Sacramenta exigunt.

Minister, §. 181. Episcopis & Presbyteris divinitus potestas data est, ut Sacramenta conficiant, dispensent, & ea officio

21.) C. 5. de Baptism. & ejus effect.
22.) Conc. Trid. Sess. VII. can. 10. & 11. de Sacram.

officio administrent. Requiritur in illis intentio saltem *aliqua*, faciendi quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia, eaque interna, ita ut non sufficiat externa actio cum voluntate contraria 23.). Neque sufficit intentio *interpretativa*, nec *habitualis*: commendanda est quidem *actualis*: sufficit tamen *virtualis*. Ex vita & probitate Ministri non dependet Sacramentorum vis & efficacia, cum omnium Minister principalis sit ipse eorum Institutor Christus JEsus: unde digne accedens, effectum Sacramenti consequitur, non modo *ex opere operantis*, id est ob solam Ministri aut suscipientis fidem ac devotionem; verum *ex opere operato*, id est, vi operis, quod a Ministro exercetur. *Omnia* enim *Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus* 24.). Indigne autem tractat, quisquis sibi conscius peccati mortalis, Sacramentum aliquod ex officio administrat. Extra casum necessitatis non licet vel accipere, vel po-

23.) Propos. 28. inter damnat. ab ALEXANDRO VIII. ann. 1690.
24.) C. 78. I. q. 1.

postulare a Sacerdote impio, c
id officii non incumbit: licet aute
accipere a Parocho vel alio, qui
officio Sacramenta dispensat, mo
ille sit toleratus, & absit scandalu

cui non licet mutatio substantialis:

§. 182. Ministri non possunt mu
tare materiam aut formam Sacra
mentorum: & quidem si esset mu
tatio substantialis, tolleret etiam ve
ritatem Sacramenti: si sit *accidenta
lis*, saltem peccatur contra legem.
Nec possunt adhibere *materiam du
biam*, cum potest haberi *certa*: nequa
licet sequi *opinionem probabilem* de
valore Sacramenti, relicta *tutiore* 25.)
Urgente tamen necessitate extrema,
in Baptismo & Pœnitentia adhiberi
potest materia *dubia*, si certa obti
neri non possit, ne defectu Sacra
menti quis pereat. Nihilominus
Materia & Forma non ita in omni
bus Sacramentis a Christo determi
nata fuisse censenda est, ut non
multa in nonnullis eorum relicta
fuerint (salva semper significatione
principali) ex judicio Ecclesiæ de
terminanda.

§. 183.

25.) Propos. 1. inter damnatas ab Innoc.
XI.

§. 183. Pro dispositione, ut non sit *irritum* Sacramentum, requiritur in suscipiente adulto rationis capace, aliqua intentio suscipiendi sacramenti, non tamen semper actualis, aut etiam virtualis, cum sufficiat nonnunquam habitualis vel interpretativa, præcipue in Baptismo & Extrema Unctione. *Ut digne* suscipiatur Sacramentum, requiritur *status gratiæ* in Sacramentis *vivorum*: sincera peccati detestatio in Sacramentis *mortuorum*. Sicuti autem Sacramenta deneganda non sunt peccatori occulto publice petenti: ita peccatoribus publicis, sive publice, sive occulte petentibus neganda sunt, nullo obstante metu. Grave enim præceptum est: *nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* 26.): neque licet simulare Sacramentorum administrationem, etiam urgente gravi metu 27.). *Dispositio suscipientis:*

§. 184. Communis Sacramentorum omnium effectus est *Gratia sanctificans.* Baptismi & Pœnitentiæ *Effectus:*

26.) Matth. VII. 6.
27.) Prop. 29. damnata ab Innoc. XI.

ſingularis effectus eſt *Juſtificatio*, qui homo a morte ad vitam ſpiritualem adducitur: ideoque hæc duo Sacramenta *mortuorum* dici ſolent; cætera *vivorum*, quod ab iis, qui ſpirituale vitam, id eſt, ſanctificantem gratiam jam adepti ſunt, ſuſcipi debeant. Baptiſmi quoque, Confirmationis & Ordinis effectus proprius eſt *Character*, id eſt, ſpirituale quoddam, & indelebile ſignum, animæ ſuſcipientis impreſſum, quo a cæteris eo Sacramento non initiatis perpetuo ſecernatur, & peculiari quadam ratione Divino cultui conſecretur: quæ quidem cauſa eſt, cur ea Sacramenta ſine Sacrilegio ſcienter iterari non poſſint. Si tamen occurrat prudens dubium de valore horum Sacramentorum, præſertim Baptiſmi vel SS. Ordinum, debent iterum ſub conditione conferri, *quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum* 28.). Proprium denique

28.) C. 3. de Presbyt. non baptiz. Cenſent tamen Scriptores, primis Eccleſiæ ſæculis non inveniri veſtigium conditionatæ formulæ in adminiſtratione Sacramentorum, quæ proin ſtante prudente dubio, absque

nique effectum habent Sacramenta singula, ut suo quæque tempore multiplicia auxilia conferant, idonea ad assequendum finem, ad quem sunt instituta: quæ auxilia *gratiæ Sacramentales* dici solent 29.).

§. 185. Quamvis Sacramenta omnia Christus ipse instituerit, declarat tamen Synodus TRIDENTINA 30.), hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret. Quocirca in adjungendis vel mutan- *Ritus.*

absque conditione fuerunt iterata. Videtur hoc desumi ex Conc. CARTHAG. V. can. 6. ann. 401. item c. 112. dist. 4. de Consecr. S. GREGOR. M. lib. 12. epist. 32. ad Felicem Episc. GREGORIUS II. epist. ad Bonifacium, quæ est 126. inter Bonifacianas. Formulæ conditionalis mentio fit in Capitularibus Regum Francorum lib. VI. c. 184. & in Decretis ALEXANDRI III. prout refertur c. 2. de Baptism.

29.) S. THOM. 3. p. q. 62. art. 2.

30.) Sess. 21. c. 2.

dis Ceremoniis & ritibus liberrime semper usa fuit Ecclesia potestate. Isti igitur ritus ab Ecclesia Catholica recepti & approbati, ac in solemni Sacramentorum administratione adhiberi soliti, magno studio retineri & observari debent: nec sine peccato a Ministris pro libitu omitti, nec in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem, mutari possunt. 31.). Nam præterquam quod decorem istæ Ceremoniæ Sacramentis afferunt, & reverentiam quandam conciliant; singulari quoque antiquitatis commendatione & mysteriorum, quam habent fœcunditate nobis sunt venerandæ.

TITULUS II.

DE BAPTISMO.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 42. & 43. lib. 5. tit. 9. ex Clement. lib. 3. tit. 15.

§. 186.

Baptismus BAPTISMUS græcum nomen est, quod frequenter in Sacris Litteris omne ablutionis genus significat. Hoc

31.) Conc. Trid. Sess. 7. can. 13.

Hoc loco definitur esse *Sacramentum regenerationis per aquam in Verbo* 32.).

§. 187. Est *Sacramentum;* nam ex S. Scriptura habemus Baptismi Ritum externum constantem materia & forma 33.): Institutionem & Mandatum Christi 34.): denique Promissionem gratiæ ipsi annexam 35.): quæ ad rationem Sacramenti requiruntur & sufficiunt. *Est Sacramentum*

§. 188. Est Sacramentum *Regenerationis*, scilicet spiritualis; quia dat *primam* vitam spiritualem ac supernaturalem iis, qui naturalem acceperunt 36.). *Regenerationis*

§. 189. Regeneratio hæc fit *per aquam*, tanquam materiam remotam: debet autem esse aqua vera naturalis, seu elementaris 37.): unde salivæ *Per aquam*

32.) Catechism. Conc. Trid. lib. 2.

33.) *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ephes. V. 26.

34.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. III. 5.

35.) *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. ult. 16.

36.) *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* ad Tit. III. 5.

37.) Græci utuntur calida; Latini plerumque

aſperſio non ſufficit ad Baptiſmum 38.). Exterior corporis ablutio, ſeu applicatio hujus aquæ ſucceſſiva & immediata ad corpus hominis baptizandi, dicitur *materia proxima* Baptiſmi: ſive hæc fiat per *immerſionem* in aquam, ſive per *aſperſionem*, ſive per *infuſionem* aquæ. Servandus eſt Eccleſiæ ritus, juxta quem hodie in Eccleſia latina ablutio fit per *infuſionem*; cum vix alii præter infantes ad Sacrum Baptiſma deducantur, qui ob tene-

---

que frigida; hyemali tempore etiam calida: hæc enim diverſitas non attenditur, niſi quis ſuperſtitioſe alterutri uſui, contra morem ſuæ Eccleſiæ inhæreat. Lixivium & juſculum carnium poteſt eſſe apta Baptiſmi materia, ſicut aqua turbida, aut marina. Aqua gelu concreta in glaciem aut grandinem, eſt quidem phyſice eadem ſubſtantialiter: theologice tamen ſubſtantialem mutationem affert reſpectu Baptiſmi, cum inepta ſit ad uſum abluendi. Cereviſia non eſt materia Baptiſmi, ut reſcribit GREGORIUS IX. in Norwegiam apud RAYNALDUM Annal. Eccl. ad ann. 1241. n. 42. ſolida principia de hac re ſtatuit S. THOM. p. 3. q. 66. art. 4.

38.) C. 5. de Baptiſ. Reſponſum SIRICII & STEPHANI Papæ de Baptiſmo in Vino cenſetur ſuppoſititium. Vid. HARDUIN. Diſſert. de Baptiſmo in Vino. inter Opera ſelecta fol. 223.

teneritudinem sine aliquo periculo non possunt in aquam nudato corpore demergi.

§. 190. Per vocem *In verbo*, intel- *in Verbo.*
liguntur verba constituentia *Formam* Baptismi, scilicet: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* 39.). Græci utuntur eadem forma, sed verbo passivo: *Baptizatur servus* (serva) *Christi N. in nomine Patris &c.* 40.). Nec unquam alia Baptismi forma e.c. *in nomine JEsu*, fuit usitata in Ecclesia 41.). Unde desumitur, ad va-

39.) C. 1. de Baptism.

40.) Græci non exprimunt personam baptizantis, ne occasio detur schismati, quod jam primis Ecclesiæ sæculis cœperat apud Corinthios, ubi dicebant: *ego sum Cephæ; ego sum Pauli.* 1. Corinth. I. & III. De ipsorum formula vid. Morinus de Pœnit. lib. 8. c. 16. a n. 16.

41.) Contrariam opinionem P. Orsi fuse impugnat Autor Operis de Re Sacramentaria. tom. 1. in Append. ad lib. 2. P. Daniel Concina Theol. Moral. tom. 8. lib. 2. Dissert. 1. c. 6. n. 13. dicit, quod P. Augustinus Orsi solummodo *probabilitatem* suæ sententiæ voluerit asserere: & tamen ejus Adversario vehementer indignatur, ac ex sua mente nihil pronuntiandum existimat, quamvis alias esset hostis infensissimus probabilistarum.

lorem requiri & sufficere, si exprima
tur actus baptizantis, seu ablut
actualis: persona baptizandi: & di
stincta invocatio Personarum Trini
tatis in una essentia.

Ejus Unitas: §. 191. *Unus* est Baptismus tam *spe*
cie, cum una eademque sit in omn
Baptismo materia, forma & signifi
catio; quam *numero*, ita ut iterari ca
ca eandem personam non possit, sicut
unica est generatio carnalis.

Necessitas: §. 192. Est omnibus ad salute
necessarius, non tantum necessitate *pr*
cepti; sed etiam necessitate *medii* 42.)
saltem *in Voto*: per quod intelligitu
desiderium Baptismi juxta multos sal
tem implicitum vel virtuale, conten
tum in actu contritionis perfectæ, vel
in actu amoris Dei super omnia pro
pter se: juxta alios etiam explici
tum; cum alias post prædicationem
Evangelii, non major Baptismi, quam
cujusque alterius Christianæ legis
præcepti necessitas ad salutem foret.
Uterque hic dicitur Baptismus *Flam*
nis 43.): Martyrium vero vocatu
Baptis-

42.) *Natura filii iræ.* Ephes. II. 3. C.
137. 142. dist. 4. de Consecr.

43.) Libellus, qui docet, prodesse infan
bus votum Baptismi alienum, scilicet p
rentum, Romæ proscriptus fuit.

Baptismus *Sanguinis*, qui Baptismi *Fluminis* seu aquæ vices supplet in ordine ad remissionem peccatorum 44.). Ad Baptismum Sanguinis in adulto requiritur mortis ob fidei aut alterius virtutis Christianæ 45.) defensionem seu exercitium illatæ acceptatio ex motivo supernaturali, & prævia pœnitentia de peccatis commissis: in parvulis autem requiritur Mors seu tormentum ex se mortis illativum, & causa motiva mortis, nempe odium Fidei, Religionis, aut virtutis alicujus Christianæ. Non obstante tamen hac necessitate Baptismi, infantes infidelium, qui sub potestate parentum adolescere creduntur, ipsis invitis non sunt baptizandi; nisi parentes sint mera mancipia Dominorum Christianorum 46.).

44.) *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* MATTH. X. 39. C. 3. XV. q. 1.

45.) Exempla Martyrum propter alicujus virtutis officium recenset BENEDICTUS XIV. de Canonizat. lib. 3. c. 19.

46.) De Baptismo infantibus Judæorum, vel infidelium conferendo accurate disputat BENEDICTUS XIV. in Literis ann. 1747. datis ad Vicesgerentem Urbis. Bullar. tom. 2. Const. 28.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Minister: §. 193. *Minister* ordinarius Baptismi est Episcopus; post hunc Sacerdos 47.) & ex commissione Diaconus: quilibet tamen homo rationis utens valide baptizat; & in casu necessitatis licite 48.): etiam fœmina 49.). Ubi tamen tempus & occasio permittit, Clericus præferendus est Laico, vir fœminæ, nisi quando pudor potius fœminæ operam præferri suadet. Parentes non debent baptizare proprios liberos, si alius ad manum sit 50.). Nemo autem potest seipsum baptizare 51.). Erronee senserunt aliqui antiqui Patres de Baptismo Hæreticorum, antequam mens Ecclesiæ & vera doctri-

na

47.) Per hunc intelligitur proprius Parochus.

48.) Conc. Lateran. IV. c. 1. Conc. Florent. in Decret. pro Armenis. C. 23. & 24. dist. 4. de Consecr.

49.) C. 4. XXX. q. 3. In quantam errorum confusionem etiam circa mysteria summæ necessitatis, quale est Baptismus, inciderant illi, qui ab unitate Ecclesiæ Catholicæ discedunt, desumi potest ex Josephi Bingham Dissertationibus de Baptismo Laicorum.

50.) Arg. c. 2. de cognat. spirit.

51.) C. 4. de Baptism.

na sufficienter fuit manifestata; ex qua habemus, baptizatos ab Hæreticis non esse rebaptizandos, modo legitima materia & forma fuerit adhibita, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vel Christus instituit 52.). Si tamen dubium sit de Baptismo valide collato ab hæreticis 53.), vel mulieribus in difficili partu turbatis, repetitur Baptismus sub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Infantes expositi, quorum parentes latent, *absque scrupulo*

sunt

52.) An Stephani Papæ, an vero Cypriani, utriusque Martyris, major fuerit celebritas, parum facit ad rem: fuse de hoc argumento disputat Launoius tom. 5. vol. 2. lib. VIII. epist. 15. Certe doctrina Stephani est doctrina Ecclesiæ de non iterando Baptismo hæreticorum: rebaptizandi tamen erant Paulianistæ, cum isti non baptizarent in nomine Sanctissimæ Trinitatis. C. 52. I. q. 1. Beveregius in Can. 19. Conc. Nicæn. I.

53.) Concilium Mechliniense celebratum ann. 1607. Tit. 3. cap. 6. vult, ut ab hæreticis baptizati, sub conditione baptizentur, *quia frequens experientia docet, eos sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem & antiquissimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam pronuntiante.*

sunt baptizandi, ne ista trepidatio [illegible] faciat Sacramentorum purgatione priv[illegible]ri 54.). Idem dicendum de ali[illegible] de quorum Baptismo nullo mod[illegible] constat. De illo autem, *qui natus [illegible] Christianis parentibus, & inter Christi[illegible]nos est fideliter conversatus, tam violen[illegible]ter præsumitur, quod fuerit baptizat[illegible] ut hæc præsumptio pro certitudine sit h[illegible]benda, donec evidentissimis forsitan a[illegible]gumentis contrarium probaretur* 55.).

Subjectum: §. 194. Non solum adulti sed etiam infantes baptizantur valide & licite 56.): hi enim possunt salvari, etiamsi moriantur ante usum rationis 57.): sed juxta verba Christi, nisi

54.) Conc. CARTHAG. V. c. 6. Cod. Can. African. c. 72. item c. 110. seqq. dist. 4 de Consecr.

55.) C. 3. in fin. de Presbyt. non baptiz.

56.) Catholici in hoc dogmate consentiunt, Acatholici inter se pugnant. Variorum errores de Baptismo infantium ex Scriptoribus primorum sæculorum confutat Jos. BINGHAM Orig. Eccl. lib. XI. c. 4. Hunc impugnat Autor *der unschuldigen Warheiten* Colloq. 9. & 10. Contra istum, uti etiam contra ANT. VAN DALE alioque, scribit JOAN. GEORG. WALCHIUS Miscell. Sacror. lib. 3. Exercit. 1. de Histor. Pædobaptismi &c.

57.) *Absit enim, ut universi parvuli percant, qui*

nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI. 58.). Nec monstrum, nec fœtus mortuus, Baptismi capax est: in dubio adhiberi potest conditio 59.). Infans baptizandus, jam debet esse natus: nec in utero censetur baptizatus, si baptizatur mater prægnans 60.). In adultis requiritur propria voluntas: unde *dormientes & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti: secus autem, si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi: unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare* 61.).

Si-

---

quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem. C. 3. de Baptism.

58.) Joann. III. 5.

59.) Si alicubi infantes sine vita nati, post aliquas ceremonias adhibitas, passim redeuntis vitæ indicia ad conferendum Baptismum sufficientia dare dicantur, magna cautela obviandum est illusionibus.

60.) C. 114. seqq. dist. 4. de Consecr.

61.) C. 3. in fin. de Baptism.

Siquis autem amens a nativitate esset, omni lucido intervallo destitutus, hic baptizandus esset instar infantis in fide Ecclesiæ.

Effectus: §. 195. Effectus Baptismi sunt. I. Remittit peccatum Originale & omnia peccata personalia 62.), tum quoad culpam, tum quoad pœnam omnem, etiam temporalem: remanentibus tamen pœnalitatibus, ut vocant, & concupiscentia, ad agonem & victoriæ coronam. II. Confert gratiam habitualem, virtutes infusas & alia dona supernaturalia, quibus homo sanctificatur & interius renovatur. III. Dat jus quoddam ad gratias actuales, ad finem sibi proprium assequendum, nempe ad sancte & Christiane vivendum. IV. Imprimit characterem indelebilem: unde repeti non potest in eadem persona. V. Efficit membrum Ecclesiæ, ejusque potestati subjicit. VI. Tribuit capacitatem suscipiendi alia Sacramenta, & jus ad illa, cæteraque Ecclesiæ bona communia; nam Baptismus est *Sacramentorum fundamentum*.

62.) C. 16. I. q. 1. Conc. Trid. Sess. 14. c. 2. de Pœnit.

damentum, *& janua reliquorum* 63.): unde Clerici invalide baptizati, rebaptizantur & iterum ordinantur 64.). Ex his effectibus dignoscitur, quo sensu Baptismus dicatur Circumcisioni successisse 65.). Circumcisio enim, sicut quodlibet aliud opus Legis veteris, vi suæ institutionis, nec remittebat peccatum Originale, nec conferebat gratiam: cum tamen præter notam populi ad fœdus antiquum pertinentis, esset testimonium Fidei in Christum venturum; cedebat in remedium salutis, sicut alia ejusmodi signa apud cæteras gentes. Baptismus autem longe nobiliores, & nobiliori modo suos effectus producit.

§. 196. Dispositiones ad effectus Baptismi percipiendos in adultis requiruntur istæ. I. Ad obtinendum Characterem sufficit voluntas recipiendi Baptismum (§. 194.). II. Ut adultus per actum Charitatis perfectæ jam justificatus recipiat in Baptismo augmentum gratiæ, & jus ad gratias actuales Sacramentales, requiri- *Dispositio:*

63.) C. 2. de Cognat. Spirit. in 6.
64.) Conc. Nicæn. I. can. 19. C. 3. de Presbyt. non baptiz.
65.) C. 3. de Baptism.

quiritur voluntas ſuſcipiendi Baptiſ
mum ex motivo aliquo ſupernatu
rali. III. Ut adultus habens ſolu
originale peccatum, conſequatu
juſtificationem, requiritur α) Fide
explicita de exiſtentia unius DEI Re
muneratoris; de Myſterio Trinitat
& Incarnationis; & generatim d
Veritate divinitus revelatorum
promiſſorum, præſertim circa juſti
ficationem impii per gratiam DE
ex meritis Chriſti Redemptoris. β)
Spes juſtificationis & vitæ æterna
conſequendæ. γ) Dilectio, qu
DEUM tanquam omnis juſtitiæ fon
tem diligere incipiat. δ) Propoſi
tum efficax ſervandi omnia præce
pta, & Chriſtiane vivendi. ε) Vo
luntas ſuſcipiendi Baptiſmi 66.)
IV. Ut adultus habens præter pec
catum Originale, alia perſonalia
mortalia, juſtificationem conſequa
tur in Baptiſmo, præter actus me
moratos requiritur pœnitentia, ſe
dolor de peccatis ſupernaturalis, ab
ſolutus, univerſalis, efficax, ap
pretiative ſummus, & incompoſſi
bilis cum ullo affectu ad mortal
pecca-

66.) Conc. Trid. Seſs. 6. c. 6.

peccatum 67.) : *omnis enim, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi rum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare* 68.). Si hæc deessent, aut pravæ voluntatis obex poneretur, Baptismus valide quidem, sed sine fructu susceptus, *revivisere* poterit, obice postea per veram pœnitentiam sublato 69.). Ex hac doctrina intelliguntur Canones, qui dicunt, Baptismum susceptum extra Ecclesiam, non prodesse ad salutem: loquuntur scilicet de adultis, qui hæresi vel schismati adhærent; quorum tamen Baptismus est validus,& potest revivisere post pœnitentiam 70.).

§. 197. Cum hæ, & quæcunque aliæ dispositiones humanæ se solis nequaquam sufficientes sint ad producendos nobilissimos Baptismatis effectus; hinc acceptum tanti Sa- *Gratuita Dei Misericordia.*

67.) *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Act. II. 38. Conc. Trid. loc. cit.

68.) C. 81. dist. 1. de Pœnit. c. 96. dist. 4. de Consecr.

69.) C. 42. dist. 4. de Consecr.

70.) C. 48. 49. 50. I. q. 1. C. 29. 45. dist. 4. de Consecr.

cramenti beneficium a nobis requirit assiduam animi gratitudinem erga eum, qui *secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ* 71.). Ex quo ulterius admonemur, ut quisque Christianus agnoscat dignitatem suam, & *Divinæ consors factus naturæ* caveat *in veterem vilitatem degenere conversatione redire* 72.): at e contrario totam vitam illi consacret, cujus munere ab infelicissimo damnationis statu eductus, & in spem cœlestis hæreditatis adductus est.

Ceremoniæ §. 198. Ceremoniæ in administratione Baptismi adhiberi solitæ, sunt antiquissimæ, & a primis Ecclesiæ sæculis derivatæ 73.). Olim adultis, dum Catechumeni erant, diversis successive diebus applicabantur, ut in Vigilia Paschatis aut Pentecostes ablui

71.) Ad Titum III. 5. 6. 7.
72.) S. Leo serm. 1. de Nativ.
73.) Vid. Jos. Vicecomes observat. Ecclesiast. vol. 1. in quo de antiquis Baptismi Ritibus, ac Ceremoniis agitur.

ablui possent. Hodie infantibus recens natis quovis die, continua serie applicantur.

§. 199. *Ante Baptismum*, Baptizandus sistitur ad fores Ecclesiæ, utpote illius ingressu indignus, quamdiu sub jugo dæmonis constituitur: Sacerdos insufflat in eum, Satanamque adjurat, ut ab hac creatura Dei recedat 74.): signum Crucis fronti imponit & pectori, ut significetur, Christianos gloriari debere in Cruce Domini Nostri JEsu Christi, omnemque Baptismi vim a Cruce Christi derivari. Sal benedictus baptizando degustandus datur, tanquam incorruptionis & sapientiæ symbolum, ut regenerati, vitiorum putredine ablata, Sapientiæ sale conditi, Divina probent, atque cœlestia, incorruptamque deinceps vitam ducant 75.). Saliva oris sui, baptizandi nares auresque Sacerdos linit, ut pateant aures Verbo DEI, animoque percipiat suavissimum odorem veritatis. *Ante Baptismum:*

74.) C. 53. & 62. dist. 4. de Consecr.
75.) C. 65. ibid.

Recitatur Oratio Dominica & Symbolum: jubetque ter Sacerdos, eum in Ecclesiam inducens, abrenuntiare Satanæ & omnibus pompis & operibus ejus; credere etiam in JEsum Christum, eique soli fideliter adhærere. Adultus hæc propriis verbis præstat: infans autem ore Patrinorum. Pectus & Scapulæ inunguntur oleo Catechumenorum, ad significandum robur baptizatis additum adversus tentationes & diaboli impugnationes 76.).

In Baptismo: §. 200. *In ipso Baptismo* Ceremoniæ adhiberi solitæ, præcipue sunt, ut adhibeatur, extra casum necessitatis, aqua solemni ritu consecrata in vigiliis Paschæ & Pentecostes, quibus diebus olim ipse Baptismus solemniter conferebatur 77.): Patrinus & Matrina, quos susceptores aut etiam sponsores vocamus, Catechumenum ad Baptismum offerant, spondeantque servaturum eum, quæcunque aut proprio, aut susceptorum ore promisit; unde etiam illius institutionem, quatenus necesse fuerit, singulari studio curare, & in Spiri-

76.) C. 73. ibid.
77.) Can. 15. ibid.

Spiritualibus parentum loco esse debent 78.): Nomen alicujus Sancti imponatur, ut eum Patronum habeat apud DEUM, morumque exemplar: repetita Professione Fidei 79.) & voluntate suscipiendi Baptismum, Baptismus conferatur, hodie trina aquæ infusione cum expressa SS. Trinitatis invocatione, ita ut ab eodem pronuntietur forma, a quo infunditur aqua, Patrino infantem tenente.

§. 201. *Post Baptismum*, Baptizatus ungitur sacro Chrismate in vertice 80.); ut ostendatur, eum esse unctionis illius spiritualis participem, a qua *Christi* & *Christiani* nomen deductum est, & consortem Regalis Sacerdotii 81.). Veste candida Neophytus induitur, ut sciat, acceptam gratiam ad mortem usque retinendam, candidamque vitæ innocentiam perpetuo conservandam esse 82.). Traditur Cereus accensus, cum *Post Baptismum:*

78.) De Cognatione spirituali ex Baptismo orta, dicetur infra, ubi de impedimentis Matrimonii.

79.) C. 73. d. 4. de Consecr.

80.) C. un. §. quia vero. de Sacra Unct.

81.) 1. Petr. II. 9.

82.) C. 91. 92. d. 4. de Consecr.

Christianus jugiter esse debeat lucer
na ardens & lucens, semperque pa
ratus, Christo sponso occurrere cum
Virginibus prudentibus 83.). Si con
suetæ ceremoniæ in casu necessita
tis omissæ sunt, eædem commod
tempore supplebuntur a Parocho
nam alius Sacerdos in casu neces
tatis baptizans nullas debet adhibe
re ceremonias, quas etiam tempo
permitteret, nisi volente Parocho
ceremoniæ enim pertinent ad Bapti
mum solemnem, cujus proprius
Minister est Parochus. Hic tamen
postea si supplet ceremonias, non
debet adhibere exorcismos, pro ex
pellendo dæmone, qui per baptis
mum jam est fugatus. Si vero ad
ultus, cui ab hæreticis in infantia
ceremoniæ non sunt adhibitæ, ad
Ecclesiam revertatur, piis & sedulis
admonitionibus inducendus est, ne
etiam illa omittat, quæ non sine gra
vissimis causis, nec sine maxima inde
consequente utilitate, tanquam va
va quædam Fidei & pietatis incita
menta, huic Sacramento ab initio
Ecclesiæ annexa sunt. Demum in
scriben-

83.) Matth. XXV.

scribendum matriculæ nomen baptizantis, Baptizati, Parentum, & Patrinorum, dies collati Baptismi &c.

Sæpius recolendæ.

§. 202. Notitia harum ceremoniarum ad id serviat, ut perpetuo quisque sit memor, & identidem renovet illam suam sponsionem, seu Christianam professionem, quam in sacro lavacro, sive per seipsum, sive per sponsores edidit: vitamque suam illi conformem reddat. Unde Sacerdos baptizans *fideles præsentes pie, religiose, omnique animi attentione adesse sæpe moneat, memoria tacite studioseque repetentes, quæ DEO, cum Baptismum ipsi susceperunt, sancte spoponderunt* 84.).

Cautiones circa Baptismum.

§. 203. Denique utiliter aliqua annotantur, a Parochis circa Baptismum evitanda vel præcavenda.

I. Cavendum, ne rudis plebs abutatur aqua Baptismali ad superstitiones: oleum autem Catechumenorum aut Chrisma pro Baptizandis destinatum, ad nullos alios usus ulli concedendum est.

II. Si obvii pauperes sumantur in Patrinos, non obtinetur finis Eccle-

84.) Conc. Mediolan. V. ann. 1579. part. 1. Const. 7.

siæ: imo istud nonnunquam fit ex superstitione. Non adhibendi sunt plures Patrini; sed unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una 85.). Non adhibendi sunt hæretici, perditæ famæ homines, impuberes, non baptizati &c. prohibentur etiam hoc munus suscipere Regulares, nisi sint Episcopi 86.).

III. Infantes non debent cum magna pompa sæculari portari ad Baptismum, ne in ipso vitæ Christianæ ingressu statim iis rebus studeant, quibus potissimum solemni sponsione renuntiatur, scilicet diabolo & pompis ejus 87.).

IV. Caveatur omnis superstitio in imponendo nomine 88.), dum ali-

qui

85.) C. 101. d. 4. de Consecr. C. 3. de Cognat. Spirit. in 6. Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Reform. matrim.

86.) C. 20. XVIII. q. 2. C. 103. 104. d. 4. de Consecrat.

87.) Conc. Mediolan. V. ann. 1579. part. 1. Const. VII. Provinciale Aquense ann. 1585. tit. de Baptism. Sacram. Tolosanum ann. 1590. p. 2. c. 2. n. 7.

88.) *Accensis lucernis, & eis nomina imponentes, efficiunt, ut ea quæ diutissime durave-*

runt,

qui superstitiose horrent, alii affectant certa nomina: nec imitatione digna videtur pietas quarundam Provinciarum erga B. Virginem, ubi nulli fœminæ imponitur nomen Mariæ. Multis displicet mos tribuendi fœminis nomina Angelorum, vel Virorum Sanctorum: nec masculis imponendum nomen *Uriel*, cum hoc & alia similia censeantur nomina diaboli 89.). Non imponantur nomina profana, ridicula, fabulosa, aut inanium Deorum: neque etiam Festorum Sacrorum, ut Pentecostes, omnium Sanctorum.

V. Antiquitus dabatur Eucharistia infantibus sub specie vini mox post Baptismum, non tantum apud Græcos, sed etiam Latinos. Viget adhuc alicubi consuetudo instillandi baptizato infanti aliquas guttas vini ex purificatione Calicis ad finem Missæ, quæ prima legitur post collatum Baptismum. Forte populus

verit, eodem nomine appelletur quo infans: hinc conjicientes futurum, ut diu vivat. S. Chrysostom. in epist. 1. ad Corinth. homil. 12. prope fin.

89.) Conc. Romanum sub Zachariæ Pontifice ann. 745. Action. 3.

hac ratione deluſus fuit, cum noll abrogari conſuetudinem dandi Eu chariſtiam: deberent Parochi ſe con formare communi uſui Eccleſiæ, omi ſa hac ſimulatione.

VI. Concilium MEDIOLANEN SE I. 90.) damnat *deteſtabilem con ſuetudinem baptizandos infantes in Altar collocandi, ut muneribus compatrum inde redimantur.*

VII. Convivia, aliosque nimios ſumptus occaſione Baptiſmi, a Prin cipe vel Magiſtratu loci reſtringen dos eſſe, jubent Conſtitutiones Im perii 91.).

VIII. Optime factum, quod in quibusdam locis abrogatus ſit mos exigendi pinguius jus ſtolæ pro eo baptizando, qui primus Sacramen tum hoc ſuſcipit ex aqua recens con ſecrata in Vigilia Paſchatis vel Pen tecoſtes: pro cæteris etiam bapti zandis non plus exigendum, quam laudabilis & ab Epiſcopo approbata conſuetudo permittit 92.).

Ti-

90.) Celebratum ann. 1565. Conſt. p. 2. tit. 2.
91.) Reform. Polit. Auguſtæ 1530. tit. 23 item ann. 1548. tit. 15. Ordinat. Polit. Francofurti ann. 1577. tit. 15.
92.) De pecunia ratione Baptiſmi Sacerdo tibus

TITULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Conf. Decretal. lib. 1. tit. 15. lib. 3. tit. 44.

§. 204.

Sacramenti Confirmationis

PER *Confirmationem* hoc loco intelligitur Sacramentum a Christo institutum, quo baptizati corroborantur ad Fidem firmiter tenendam & fortiter profitendam. Quod sit verum novæ Legis Sacramentum, constat ex Sacra Scriptura 93.); ex Traditione: ex perpetua praxi Ecclesiæ: ex Conciliis & SS. Patribus; prout fuse deducunt Theologi Dogmatici & Polemici.

§. 205.

---

tibus dari solita, agit JOSEPHUS VICECOMES observat. Eccles. Vol. 1. lib. 4. c. 2.

93.) Act. VIII. ubi Apostoli per ceremoniam sacram a Baptismo distinctam, quæ vocatur ibi *Impositio manuum*, adjunctis certis verbis sacris, contulerunt baptizatis Spiritum Sanctum, quo nomine potissimum significatur Gratia sanctificans.

Materia §. 205. *Materia* Confirmationi ut variis Theologorum opinionibu æqualiter satisfiat, potest dici ma *nuum impositio* & *Chrisma*, seu Unguen tum ex oleo olivarum & balsam confectum 94.), & ab Episcopo be nedictum. Siquis per errorem sol oleo fuerit delinitus, nihil itera dum esse dicit Innocentius III. *Se caute supplendum, quod incaute fue prætermissum* 95.). Chrisma auter non benedictum in consideratione Theologica substantialiter a benedi cto differre censetur in ordine ad hoc Sacramentum administrandum: alii tamen existimant, consecrationem præcedere debere, non quidem ne cessitate Sacramenti: sed tamen ne cessitate præcepti Divini.

§. 206.

94.) C. un. de Sacr. Unct.

95.) C. 1. de Sacram. non iter. Ex hoc textu concludunt multi, valide admi strari Confirmationem adhibito solo oleo: aliqui tenent, invalide conferri Sacramentum hoc modo; Innocentium vero voluisse, ut ceremoniæ accidentales non iterentur, sed suppleatur ipsum Sacramentum adhibito Chrismate cum debita forma, privatim tamen ad vitandum scandalum. Vid. P. Antoine Theol. tom. 5. tr. de Sacram. Confir. q. 2. Bosco Theol. Sacram. p. 1. disp. 3. sect. 1.

§. 206. *Proxima Materia* est *Unctio Proxima:* Chrismatis in fronte baptizati, illustriori scilicet parte corporis, ut Christianum nomen ac Religionem coram omnibus præferendam esse moneatur. Fit autem Unctio in modum Crucis 96.), digito pollice Episcopi: & tali ratione fit simul *manus impositio* 97.); dum Episcopus tincto pollice signat frontem confirmandi, extensa superiori manus parte supra illius caput. Sic exprimuntur omnia, quæ tradit TERTULLIANUS 98.): *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.*

§. 207.

96.) *Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive Oleo, quo Chrismate unguntur, sive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* S. AUGUST. tract. 118. in JOAN.

97.) *Per frontis Chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* C. un. de Sacra Unct. Autor operis de Re Sacramentaria lib. 3. quæst. 3. c. 3. §. 1. censet, solam illam manus impositionem, quæ unctioni prævia est, Confirmationis essentiam constituere.

98.) De Resurrect. Carn. c. 8.

Forma : §. 207. *Forma* Confirmationis in Ecclesia Latina hæc est: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Apud Græcos consistit in his verbis: *Signaculum donationis Spiritus Sancti.* Supple, *tibi impenditur.* Mirum non est, si hæ formulæ non inveniantur descriptæ in vetustissimis monumentis: adscribendum id est exactissimæ arcani disciplinæ. Unde etiam INNOCENTIUS I. in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum proferre hanc formam noluit: *Verba vero,* inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere* 99.).

Effectus : §. 208. *Effectus* Confirmationis est I. Characteris impressio 100.). II. Augmentum Gratiæ sanctificantis 1.);

qua

99.) In Epistol. Decretalibus Summor. Pontif. tom. 1. p. 2. Epist. 29. INNOCENTII.

100.) *Unxit nos Deus & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* 2. Cor. I. 21. 22.

1.) Per accidens potest hoc Sacramentum etiam producere primam gratiam, *si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet; vel etiam non perfectus contritus accedat,* juxta S. THOMAM 3. p. q. 77. art. 7. ad 2.

qua homo corroboratur ad Fidem fortiter profitendam, cum jure ad specialia in hunc finem auxilia. Hodie cum persecutiones cruentæ in nostris provinciis cessent, roborari Fideles hoc Sacramento debent ad moralis doctrinæ Christianæ integritatem propugnandam contra respectus humanos, mundi amatores, inanis gloriæ sectatores, nimia corporis oblectamenta & pravas consuetudines, quibus hoc tempore plures ignave cedunt, quam olim cesserint acerbissimis tormentis.

§. 209. Omnes & soli Baptizati sunt capaces Confirmationis. Olim mox post Baptismum impendebatur etiam parvulis, quod in Ecclesia Orientali usque hodie servatur 2.): in *Subjectum:*

2.) Idem servandum esset, si copia Episcopi habeatur, in Ecclesia Occidentali circa pueros periculose ægrotantes, quos sibi denuntiari olim jussit S. Carolus Borromæus part. 2. Act. Eccl. Mediol. pag. 232. & Prosper Lambertinus Archiepiscopus Bononiensis Instit. Eccl. VI. pag. 24. cum ex doctrina S. Thomæ p. 3. q. 72. art. 8. ad 4. *etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequantur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.*

in Occidentali vero exſpectari ſol uſus rationis, ut confirmandi fer ventiori devotione ad illam ſuſcip endam accedant. Unde oportet, u confirmandus præcipua Chriſtian Religionis capita, in Symbolo Apo ſtolorum contenta, & Oration Dominicam jam noverit, gratiam que baptiſmalem vel conſervaver vel per pœnitentiam recuperave rit 3.): ſeſeque ardenticri precu ſtudio ad tantum Sacramentum pra parent exemplo Apoſtolorum, qu dum exſpectabant Spiritum San ctum, perſeverantes erant in Ora tione & jejunio: unde perfectæ ætatis homines jejuni ad Confirmationem veniant 4.).

bene diſpoſitum:

§. 210. Dolendum, quod Fideles ad hoc Sacramentum præ cæteris te mere & irreverenter accedant, vacui que recedant. Sicut Parochi in im buendis & ad devotionem excitan dis Fidelibus, præcipue pueris, ant Epiſco-

3.) Confeſſionem Sacramentalem ab iis qui gravis peccati ſe reos ſciunt, an Confirmationem exigunt allegati a Be NEDICTO XIV. cit. Inſtit. VI. aliisque.

4.) C. 6. d. 5. de Conſecr. Ex Capitulis Herardi Turonenſ. ann. 858. c. 75.

Episcopi adventum omnem solicitudinem impendere debent; ita etiam Episcopus, si ab externis signis interiorem indevoti animi habitum deprehendit, graviter eos objurgabit, vel aliquando præteribit 5.). Qui ex contemptu, aut supina negligentia Sacramentum hoc suscipere omittit, graviter peccat, eoque magis, quo vehementior imminet persecutio adversus Fidem, Religionem Catholicam, & doctrinam Christi; aut propius instat mortis periculum: etiam extra hos casus, in quibus urget præceptum Divinum, datur obligatio Fidelium ad illud vel in re, vel in voto suscipiendum, non quidem necessitate medii, sed tamen necessitate præcepti; quod colligitur ex praxi Apostolorum & Ecclesiæ sensu 6.): cum semper urgeat illud

5.) Ita se fecisse narrat Benedictus XIV. tunc Archiepiscopus Bononiensis cit. Instit. VI.

6.) Vid. Benedictus XIV. cit. Inst. VI. & in Const. 57. de Ritibus Græcorum §. 3. tom. 1. Bullar. Autor Operis de Re Sacrament. lib. 3. quæst. 8. c. 2. Etiam mitioris opinionis patroni agnoscunt cum Layman lib. 5. tr. 3. c. 5. n. 4. *olim* fuisse præceptum suscipiendi Sacramentum Con-

Apostolorum Principis 7.): *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* & Apostoli Pauli 8.): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli &c.*

Minister: §. 211. Solus Episcopus est ordinarius, & ex officio *Minister* Confirmationis: simplex Sacerdos valide & licite administrat ex commissione Summi Pontificis 9.): addi tamen solet clausula, ut utatur Chrismate per Catholicum Antistitem benedicto, quamvis non desint exempla Indulti, quo simplici Sacerdoti commissa fuit a Pontifice facultas benedicendi Chrisma 10.). Episcopus opportunis

Confirmationis. Istud autem præceptum *hodie* abolitum esse, horremus dicere.

7.) Epist. 1. Petri. V. 8. 9.

8.) Ad Ephes. VI. 11.

9.) Exempla talis commissionis sunt obvia. In Bullario Benedicti XIV. concedi-tur tale Indultum Principi & Abbati Campidunensi tom. 3. Const. 6. Præfecto Missionum Ægypti pro Cophtis Catholicis. ibid. Const. 30. & tom. 1. Const. 129. Patri Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minorum. tom. 1. Const. 10.

10.) Exempla refert Benedictus XIV. de Synod. Diœcesi. lib. 7. c. 8. n. 1. Diploma Eugenii IV. concessum Commissa-

nis temporibus in sua Diœcesi Sacramentum Confirmationis non administrans, haud dubie coram Deo culpam contrahit: peragit hanc functionem in Ecclesiis etiam Regularium Exemptorum 11.); non tamen in aliena Diœcesi 12.): subditos autem alienæ Diœceseos passim confirmant nostri Episcopi, cum vicini Episcopi, qui ob vastitatem Diœcesium ad singulos eorum angulos difficillime accedere possunt, id libentissime permittant, & optent. Episcopus administrans hoc Sacramentum, immunis debet esse a culpa: jejunus; nisi periculosa confirmandorum infirmitas moram non patiatur 13.): adhibet Chrisma illius anni, si haberi possit: servat ritus ab Ecclesia in Pontificali præscriptos.

§. 212. Ad ritum pertinet, ut ad- *Ritus.*

sariis Apostolicis in Bosnia refert Lucas Wadingus Annal. Minor. tom. 11. ad ann. 1444. n. 43. Hanc facultatem suis fratribus concessam, ignorasse vel non pro legitima agnovisse videtur Joannes Bosco Theolog. Sacramental. p. 1. disp. 3. sect. 1. concl. 4, n. 97.

11.) Benedictus XIV. Bullar. tom. 1. Const. 109. §. 6.

12.) Conc. Trid. sess. 6. c. 5. de Reform.

13.) C. 7. dist. 5. de Consecr.

hibeatur Patrinus, qui & ipse jam sit confirmatus, & quasi ductor ac institutor existat ad militiam Christianam: non tamen debent mares erga fœminas, nec econtra fœminæ erga mares Patrini officium suscipere. Patrinus vel confirmandum manu tenens ad Episcopum adducit; vel saltem manum dextram super humerum confirmandi pariter dextrum tenens 14.). Episcopus facta unctione, leniter genas confirmati percutit, ac pacem impertit, tum *ut meminerit* confirmatus, *se tanquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda* 15.): tum ut ea percussione infantes memoriam habeant, se fuisse confirmatos, ne iterum confirmentur 16.). Impo-

ni-

14.) Juxta ritum Pontificalis Romani, confirmandus, si jam sit adultior, ponit pedem suum super pedem dextrum Patrini sui.

15.) Catechismus Roman.

16.) De hac consuetudine cædendi leviter in maxilla confirmatum, vix occurrit mentio ante DURANDUM Mimatensem Episcopum Rational. Divin. Offic. l. 6. de Sabbato Paschæ. Rubric. de Confirmat. qui vixit sæculo XIII. LAURENTIUS BERTI Theolog. lib. 32. c. 10. n. 6. testatur, ejus ceremoniæ mentionem fieri in libro manuscripto quingentorum annorum ætatem superante.

nitur nonnunquam nomen novum, vel ex devotionis affectu erga aliquem Sanctum, aut alio honesto titulo; vel si nomen confirmandi sit turpe, ridiculum aut ab avita gentilitate profectum. Patrinus candida fascia frontem obducit: & Episcopus data solemni benedictione concionem dimittit. Olim septem dierum spatio fasciam fronti circumligatam ferebant confirmati, & interea sanctissimis pietatis operibus exercebantur: hodie langueſcente Fidelium virtute curari deberet, ut saltem illa dies, qua Sacramentum hoc suscipitur, pie sancteque transigatur. Dictæ vittæ in profanum usum converti nequeunt: sed potius cremari debent, & cineres in Sacrario poni: debent autem fasciolæ auferri a Sacerdote; & frons confirmati bombyce abstergi, deinde lavari.

TITULUS IV.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 44.

§. 213.

DIvinus Servator noster per Baptismum ad novam vitam rege- *Eucharistiæ*

neratos, & per Confirmationis gratiam militiæ ſuæ adſcriptos, immortali alimonia Corporis ac Sanguinis ſui nutrit ac roborat. Hæc vocari ſolet *Euchariſtia*, latine bona gratia, *Synaxis*, id eſt, collectio, adunatio; *Collecta*; *Communio*; *Viaticum*; *Cœna Domini*; *Sacra Menſa*; *Panis Filiorum*, aut *Angelorum*; *Sacramentum Altaris*; *Sacramentum Pacis & Charitatis*; *Agapa*, id eſt dilectio; *Eulogia*, ſeu benedictio 17.).

Definitio. §. 214. Euchariſtia eſt *Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini realiter contentorum, ad Spiritualem Fidelium alimoniam a Chriſto inſtitutum*, ſcilicet per modum convivii ſpiritualis, conſtantis ex cibo

17.) Nomine Eulogiarum intelliguntur apud Græcos partes panis ex Fidelium oblationibus ſuperſtites, & a Sacerdote benedictæ, quæ peractis myſteriis diſtribuuntur illis, qui ad ſacram menſam non accedunt. Olim etiam, prout multi ſentiunt, particulæ Euchariſtiæ conſecratæ, inſtar Eulogiarum mittebantur Paſchæ tempore ad diſſitas Parochias in mutuæ communionis ſignum. Concilium Laodicenum Can. 14. id fieri prohibuit. Vid. Cabassutius Notit. Eccl. Sæcul. II. Diſſert. 11. & 12.

bo & potu. Unde habetur in Eucharistia ratio signi sensibilis divinitus instituti 18.): annexa gratiæ promissio 19.): mandatum adhibendi hoc signum 20.): consequenter tota ratio Sacramenti.

§. 215. Materia est *panis triticeus*, & *vinum de vite*, moraliter conse- *Materia panis tri-*
cranti præsens, in ea quantitate, *ticeus*,
quam Sacerdos circa vinum suo, circa panem etiam Fidelium usui prudenter agnoverit consentaneam. Cum sit communis Latinorum sententia, Christum comedisse Agnum Paschalem & Eucharistiam instituisse anno, quo mortem sustinuit, luna decima quarta desinente, eodemque die Judæos Pascha celebrasse; consequitur, Christum in Azymo, non in fermentato Eucharistiam instituisse: convenientior

18.) *Accepit JEsus panem* &c. *& accipiens calicem* &c. MATTH. XXVI. 26. 27.

19.) *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* JOANN. VI. 59.

20.) *Hoc facite in meam commemorationem.* LUC. XXII. 19. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* JOANN. VI. 54.

igitur in Eucharistia est azymorum usus, utpote Christi Domini exemplo conformior, qualis est apud Latinos, cum Græci consecrent in fermentato 21.). Unusquisque Sacerdos sequitur ritum suæ Ecclesiæ. Figura panis in Ecclesia non semper fuit eadem: posterioribus sæculis in Ecclesia Occidentali communis fuit usus panis Eucharistici in tenui & rotunda forma consecrati 22.). Sacerdotes celebrantes majorem formam adhibent in Sacrificio: minores formæ dantur communicantibus tam Laicis, quam Clericis. Superstitionis vel arrogantiæ argueretur, qui non aliam vellet Hostiam suscipere, quam majorem 23.).

§. 216.

21.) Qualis fuerit ritus primorum sæculorum in Ecclesia Latina, erudite disputant Doctores. Vid. Epistola Leonis IX. Pontif. ad Michaëlem Cerularium Archiep. Constantinop. apud Harduin. in Collect. Concil. tom. 6. part. 1. col. 955. &c. Le Druin. de Re Sacrament. tom. 1. lib. 4. q. 2. c. 1. Card. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 23.

22.) Vid. Card. Bona loc. cit. a n. 10. ubi n. 12. explicat, qua diligentia olim præparatus sit iste panis.

23.) Nota est pœna Oswaldi Mulser, quæ anno 1384. in Scveld ejus temeritatem

§. 216. Vinum adhiberi potest cujuscunque coloris 24.), potabile 25.), non acetosum. Huic ex præcepto Ecclesiæ modica aqua miscetur: ex præcepto autem Divino una species sine altera consecrari non debet, etiamsi adesset extrema necessitas. *& Vinum de vite:*

§. 217. Formam Sacramenti Eucharistiæ constituunt verba, *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei,* *Forma.*

---

tem castigavit. Monumenta ad hunc diem conservata vidit insignis Theologus Tilmannus Bredenbachius Collat. sacrar. lib. 1. c. 52. cujus fidem immerito suspectam habet Thiers de superstit. p. 2. lib. 3. c. 2.

24.) Vinum rubrum, ubi commode inveniri poterit, adhiberi volunt Statuta Synod. Ecclesiæ Claramont. part. 1. c. 6. ann. 1268. item Ecclesiæ Parisiens. sub Odone Episcopo circa ann. 1198. inter commun. præcepta Synod. n. 28. ubi ratio assignatur *propter similitudinem albi vini cum aqua,* ne scilicet per errorem aqua loco vini infundatur calici. Sed vinum album adhiberi præcipit Concilium Mediol. I. ann. 1565. Const. p. 2. c. 1. ut mundiora conserventur purificatoria & Corporalia.

25.) Vinum congelatum æque non videtur aptum potui, ac humor in uva contentus.

mei, non hiſtorice, ſed aſſertive ſignificative pronuntianda: vi qui rum ſub ſpecie panis Corpus, ſub ſpecie vini Sanguis Chriſti ponitur: concomitantiam autem totus Chriſtus ſub utraque ſpecie: quam hæ ſpecies integræ & incorrup perdurant.

Præſens in Euchariſtia Chriſtus

§. 218. Præſentiam realem & ſtantialem Corporis & Sanguinis Chriſti in hoc Sacramento colligimus ejusdem promiſſione dandi Cor ſuum in cibum, & Sanguinem ſu in potum 26.), quam promiſſione non obſtante multorum diſcipu rum receſſu, absque ulla figurati tellectus declaratione, ſimplici & clariſſimis verbis ſæpius repe tam, atque ex perpetua & conſta ti Patrum & Conciliorum Traditio in literali ſenſu intelligendam, in E chariſtiæ inſtitutione implevit. I tur contra BERENGARIUM 27. ZWINGLIUM & CALVINUM Fi Catholica credendum eſt, non mane-

26.) Joann. VI.

27.) Hic Andegavenſis in Gallia Archidi conus errorem, quo figuratum verborum Chriſti intellectum primus invehere vo luit, ann. 1088. moriens ſerio retracta dicitur.

manere panis & vini substantiam, sed vi quivi consecrationis in substantiam Corporis & Sanguinis Christi converti, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat 28.): accidentia autem seu species Sacramentales corrumpi & nutrire possunt, sicut ante consecrationem; cum Christus suam præsentiam non sensibus, sed Fidei credendam objicere velit. Hinc etiam sola hæc accidentia franguntur & dividuntur: res autem quam continent, eadem semper & incorruptibilis perseverat. In quibus omnibus tota ratio facti, est Omnipotentia facientis. 29.).

§. 219.

28.) C. Firmiter. de Summa Trinit. & Fid. Cathol. ex Concil. LATERAN. IV. sub INNOC. III. ann. 1215. Conc. TRID. sess. 13. cap. 4. & can. 2.

29.) Sicut Capharnaitæ nimis carnaliter intelligebant manducationem Corporis, & & potum Sanguinis Christi: ita etiam famosus PFAFFIUS nimis carnaliter intelligit verba Ecclesiæ, quibus utuntur Sacerdotes post sumptionem Sacramenti: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & Sanguis quem potavi, adhæreat visceribus meis &c.*; quam precationem de hæresi *Ster-*

Adoratur §. 219. Cum præſentia re Chriſti permanens ſit in Euchari conſequens eſt, eum in hoc Sac mento adorandum eſſe cultu Lat etiam externo 30.); ipſamque E chariſtiam diligenter ac religioſe ſervandam, more jam primis Ec ſiæ ſæculis uſitato 31.). Concil NICÆNUM I. 32.) legem antiqu vocat, ut ſiquis egreditur e corpo ultimo & neceſſario viatico, ſcili Euchariſtia, minime privetur: c ſequenter jam tempore Concilii CÆN

Stercoraniſtarum inſimulat in Differ. Stercoraniſtis medii ævi. Non vide carnalia, quibus adhæreat Corpus Chri ſti, intelligi, facile deſumitur ex effat hujus adhæſionis, quem Sacerdos imp trare contendit per verba ſequentia: *præſta, ut in me non remaneat ſcelus macula &c.* Fallitur etiam Pfaffius quando in Epilogo Diſſertationis dic nullum Hæreſiologorum recenſere *Ster coraniſtas.* Certe accurate de iis a Sianda in Lexico Polemico, addens hanc hæreſin eruditis omnino fictitiam deri.

30.) Conc. Trid. ſeſs. 13. cap. 5. & can.
31.) Ibid. cap. 6. & can. 7.
32.) Can. 13. Vid. Bevereg. in hunc C nonem.

CÆNI antiquus mos erat asservandi Eucharistiam.

§. 220. Pro solemni debitæ adorationis significatione, instituta est Festivitas Corporis Christi ab URBANO IV. ann. 1262. 33.); postquam anno 1208. B. JULIANÆ Sanctimoniali percelebri ejus Festivitatis institutio divinitus revelata fuerat 34.): spectacula autem profana & ridicula in templo vel in platea exhiberi vel fieri solita, prohibentur 35.). Eadem pietate exponitur Eu-

Cultu Latriæ.

33.) Bulla refertur in Clement. un. de Reliq. & venerat. Sanctor.

34.) Solemnis Eucharistiæ circumgestatio in Processionibus non memoratur quidem in URBANI Constitutione: nihilominus communiter eidem Pontifici adscribitur: certe a MARTINO V. in Const. *Ineffabile Sacramentum* confirmatur. Vid. JOANNIS CHAPEAVILLI tract. Historicus de prima & vera origine festivitatis SS. Corporis & Sanguinis Domini. Contra hanc Processionem congerit scommata & blasphemias aliorum, HOSPINIANUS de Orig. fest. Christ. Mense Junio. Eadem laudatur a Conc. TRID. sess. 13. can. 6. Excessus si qui interveniant, sunt emendandi.

35.) Concil. COLON. 1549. MEDIOLAN. ann. 1565.

Eucharistia publicæ adorationi, erga tam Augustum Sacrament devotio accendatur, & in publi calamitatibus Divinum auxilium ploretur. Servanda est regula p scripta a Sacra Congregatione C cilii, quæ 36.) censuit non lic Regularibus, etiam in eorum p priis Ecclesiis, Sanctissimum Euch ristiæ Sacramentum publice ador dum exponere, nisi ex causa publi quæ probata sit ab Ordinario; causa autem privata posse, du modo Sanctissimum Sacramentum Tabernaculo non extrahatur, & velatum ita, ut ipsa Sacra Hos videri non possit. Ut rite applic tur hæc regula, præ oculis habea est populi devotio & obsequium e ga Augustissimum Sacramentu hæc per frequentem expositione forte magis promoventur in una pr vincia, quam in altera: magis amplis urbibus, quam in parvis o pidis. Quandocunque exposit fiet, Altare sit decenter ornatum ardeat congruus cereorum numeru adsit continuus adorator, aliæq in-

36.) 17. Augusti 1630.

industriæ adhibeantur, ne veneratio tanti mysterii langueſcat.

§. 221. Ordinarius Minister distribuendæ Eucharistiæ est Episcopus & Sacerdos: extraordinarius priscis sæculis fuit Diaconus, cui proinde ex justa causa hæc facultas etiam hoc tempore committi posset. Quamvis autem olim viris in nuda manu, & mulieribus in linteolo, quod *Dominicale* appellabatur, tradita fuerit Eucharistia, quam aut ibi, aut domi sumerent 37.): hodierna tamen Ecclesiæ disciplina non permittit, ut absen-

Eucharistiæ distribuendæ ministri.

37.) Conc. Autisiodor. ann 578. can. 36. statuit, *non licere mulieri nuda manu Eucharistiam sumere.* Sermo S. Augustini 252. de temp. qui dicit, *mulieres linteamina exhibere, ubi Corpus Domini accipiant*, in recentiori editione rejicitur inter supposititios in Appendicem tomi 5ti n. 229. per *Dominicale*, quo aliqui intelligunt hoc linteamen pro suscipienda Eucharistia adhibitum, alii intelligunt velamen capitis, quo tegi debebant fæminæ ad Eucharistiam accessuræ: sic interpretantur Canonem 42. dicti Concilii Autisiodor. consequenter non habetur textus authenticus dicti Concilii canone 36. antiquior, quo statuatur differentia inter mares & fæminas circa susceptionem Eucharistiæ.

absente Parocho vel Diacono, Clerici minores vel Laici sibi aut alii Communionem porrigant 38.). Praeceptum Divinum sumendi Eucharistiam in articulo mortis obligat, si Minister idoneus adsit, cum Eucharistia non sit tantæ necessitatis, ut Baptismus. Posset tamen simile quid concedi per dispensationem Summi Pontificis 39.). Docent quoque multi, posse Sacerdotem aut Diaconum semetipsum communicare, si alius idoneus Minister desit 40.)

Irruen-

38.) C. pervenit. 29. d. 2. de Consecr. horribile & detestabile dicitur, mittere Eucharistiam ad ægrotos per Laicum vel fœminam. Aliter sensit Concilium Londoniense ann. 1138. can. 2. ibi: *Sancimus, ut ultra octo dies Corpus Christi non reservetur: neque ad infirmos, nisi per Sacerdotem aut per Diaconum, aut necessitate instante per quemlibet, cum summa reverentia deferatur.*

39.) Ex concessione S. Pii V. Maria Stuarta Scotorum Regina apud se in captivitate retinebat hoc Sacramentum, ut in extremo mortis articulo semetipsam eodem reficeret: quod etiam ipsa præstitit, negata assistentia Confessarii. P. Cornel. Hazart Hist. Eccl. Angl. part. 6. c. 13.

40.) S. Thomas Archiepiscopus Cantua-

rien-

Irruentibus forte infidelibus vel hæreticis, quilibet posset eorum ludibriis eripere Eucharistiam, etiam sumendo illam. Porro tenetur Parochus tempore pestis cum vitæ periculo administrare hoc Sacramentum suis Parochianis meliori modo quo potest. In mortis articulo licet Eucharistiam petere a quocunque Sacerdote, etiam hæretico, excommunicato &c. modo non concurrat prohibitio Juris naturalis ob scandalum, contemptum Religionis &c. In administratione autem hujus Sacramenti obligantur Sacerdotes servare ritus ab Ecclesia præscriptos circa tempus, locum, vestes Sacras &c. debent igitur esse induti saltem superpelliceo & stola. Tempus distribuendi Eucharistiam ex antiquo ritu Ecclesiæ est statim post Communionem Sacerdotis, & quidem ex particulis in eodem Sacrificio consecratis: unde Oratio, quæ *Postcommunio* dicitur, denotare solet, omnes adstantes sumpsisse Euchari-

rienſis ſe ſiſtens HENRICO II. Regi Angliæ, portabat ſecreto ſecum Euchariſtiam, volens eam ſumere, ſi immineret periculum mortis.

ſtiam 41.). Cavendum tamen, ne ordo Divinorum Officiorum in Templo interturbetur.

ſumendæ ſubjectum:

§. 222. Circa ſubjectum capax ad ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentum, jam a pluribus ſæculis in Eccleſia Latina abrogata fuit diſciplina adminiſtrandi parvulis baptizatis Euchariſtiam, ob periculum irreverentiæ, aliasque cauſas 42.). De energumenis varia fuit diverſarum Eccleſiarum diſciplina 43.): diſpiciendum eſt, quænam ſit animi diſpoſitio, & an periculum immineat, vel ſcandali, vel irreverentiæ Divini Sacramenti. Qui nunquam habuerunt uſum rationis, non debet iis miniſtrari hoc Sacramentum: qui com-

po-

41.) Walafridus Strabo de Reb. Eccleſ. c. 22. ſic loquitur: *Eſt autem legitimum tempus communicandi, ante ultimam orationem, quæ dicitur ad complendum, quia ejus petitio maxime pro eis eſt, qui communicant.*

42.) Conc. Trid. ſeſs. 21. cap. 4.

43.) Concilii Illiberitani canon 29. ad quem reſpicere videtur Concilium Toletanum XI. ann. 675. cap. 13. videtur excludere energumenos a Sacra Communione: quos tamen admittit in articulo mortis can. 37. Vid. Cabassut. Notit. Eccl. ſæcul. III. ad dict. can. 29.

potes mentis exhibuerunt devotionem hujus Sacramenti, si postea destituantur ratione, Communio ipsis danda est in articulo mortis, nisi timeatur periculum vomitus, vel expuitionis 44.). Morem dandi Eucharistiam mortuis, plura Concilia improbarunt 45.). Plectendis extremo supplicio Eucharistia denegatur in quibusdam Provinciis: laudabilior videtur disciplina Germaniæ & Italiæ, ubi porrigitur illis Eucharistia, modo sint rite dispositi. Nimiæ scrupulositates, & ad superstitionem declinantes in neganda Eucharistia vitari debent 46.): vicissim majori

44.) Ita docet S. Thomas 3. p. q. 80. art. 9. c.

45.) Synod. Trull. c. 83. Codex Can. Eccles. Afric. c. 18. & utrinque Balsamon ac Zonaras. vid. Christian. Lupus ad dict. can. 83.

46.) Græci negabant mulieribus parturientibus, aut tempore menstruorum, etiam in articulo mortis. Nicolaus I. in Respons. ad Consult. Bulgar. c. 65. respondet, non esse negandam Eucharistiam illi, cui sanguis ex ore vel naribus profluxerit: unde arguitur, aliud fuisse alicubi observatum, sicut olim in Livonia con-

severitate publicis peccatoribus, publicitate Juris vel facti, denegandæ est Eucharistia, etiamsi Sacerdos incurrat periculum infamiæ vel mortis. Sunt enim Sacerdotes dispensatores prudentes mysteriorum DEI, quibus dictum est: *nolite Sanctum dare canibus* 47.): *non est bonum sumere panem Filiorum & mittere canibus* 48.). Publico scandalo prius satisfaciendum est: sani quidem publicam satisfactionem exhibere debent: moriturus autem revocare debent scandala & crimina, signaque ferventis doloris præbere. Peccatori occulto publice petenti concedenda est Eucharistia, si sine infamia denegari non potest; prævalet enim præceptum non infamandi: neque licitum est, dare illi hostiam non consecratam, aut simulare porrectionem Eucharistiæ, quin hostia immittatur in os peccatoris 49.). Occulte autem petenti denegan-

est,

---

consuetudo inolevit, ut nulli rusticorum Sacramentum Eucharistiæ detur, teste GERSON. I. part. opuscul. in declaratione defectuum Viror. Eccles.

47.) MATTH. VII. 6.

48.) Ibid. XV. 26.

49.) S. THOM. 3. p. q. 80. art. 6. ad 2.

est, modo id non fiat ob notitiam ex confessione acquisitam.

§. 223. Præceptum sumendæ Eucharistiæ vel est Divinum, vel Ecclesiasticum. Quamvis Eucharistia in re susceptа, non sit necessaria necessitate medii ad salutem 50.); neque detur obligatio sumendi Eucharistiam sub utraque specie præter celebrantes Sacerdotes 51.): certum tamen est, præcepto Divino ad Eucharistiam sumendam obligari omnes adultos 52.); præcipue in mortis articulo, ubi finis præcepti, scilicet conjunctio cum Christo, potis- *Præceptum Divinum,*

 simum

50.) Conc. Trid. sess. 21. can. 4. quomodo aliqui Theologi intelligant necessitatem ejusmodi Sacramenti in voto saltem implicito, videatur apud Tournely de Sacram. Euchar. part. 1. c. 7. art. 2. sect. 1. aliosque.

51.) Vid. Card. Bona Rer. Liturg. lib. 2. c. 18. n. 2. Pallavic. hist. Conc. Trid. lib. 24. c. 12. n. 8. Bartoldus Nihusius in Annotationib. De Communione Orientalium sub unica specie ad Leonis Allatii Dissertat. de Missa Præsanctificatorum.

52.) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.* Joann. VI. 54.

simum necessarius est. Teneturigitur incidens in mortis articulum Viaticum sumere, etiamsi proxime præcedentibus diebus Eucharistiam sumpsisset, quia nondum censetur satisfeciisse præcepto Divino. Aliud forte dici potest de eo, qui eodem die jam sumpserat Eucharistiam; nam præceptum Divinum servandum est juxta communem interpretationem Ecclesiæ: hujus autem praxis non est, ut quis eodem die bis communicet. Huic præcepto Divino primi Fideles satisfacere studuerunt saltem singulis diebus Dominicis, alicubi etiam singulis hebdomadæ diebus 53.): degenerantes Christiani a virtute Majorum, ter quot annis Communionem percipere jubebantur 54.): denique urgendi erant, ut saltem semel in anno Communionem perciperent 55.).

§. 224.

53.) Testimonia veteris hujus consuetudinis agglomerat BINGHAM Orig. Eccl. lib. 15. c. 9. §. 1. seqq.

54.) Concil. AGATHENS. ann. 506. can. 15. relat. in c. 19. d. 2. de Consecr. Conc. TURON. III. ann. 813. c. 50. Capitular. lib. 2. c. 45.

55.) Concil. LATERAN. IV. sub INNOCENTIO III. ann. 1216. relatum in c. omnis 12. de Pœnit. & Remiss.

§. 224. Præceptum igitur Ecclesiasticum superaddit Divino determinationem temporis Paschalis, quo *omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit . . .* Tenetur *suscipere reverenter ad minus in Paschа Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Annos discretionis, quos Concilium TRIDENTINUM & LATERANENSE requirit, apte explorabunt parentes & Sacerdotes per congruas interrogationes post acceptam instructionem: Communio per plures annos dilata, frequenter est indicium neglectæ instructionis 56.). *& Ecclesiasticum:*

56.) P. Concina Theol. moral. tom. 5. de Præcept. Eccles. lib. 4. Dissert. 2. c. 1. n. 7. censet, cum pueri sunt apti ad confessionem peccatorum faciendam, eos quoque esse capaces sacræ Communionis, & ad observantiam utriusque præcepti eodem tempore teneri. Aliter videtur sentire Benedictus XIV. qui in anno Jubilæi concessit, ut pueris Confessarii Commu-

Certe pueri rationis capaces ſuſcipere Euchariſtiam debent in mortis articulo ob præceptum Divinum; extra hunc articulum in dubio potius videtur Euchariſtia præbenda quæ olim adminiſtrata fuit etiam infantibus certe non utentibus ratione. Per tempus Paſchale paſſim intelligitur intervallum quindecim dierum inter Dominicam Palmarum, & Dominicam in Albis incluſive: ſi alicubi legitima conſuetudo hoc tempus ampliat, ſervari poteſt. Ultra hoc tempus Communionem differre licet *de proprii Sacerdotis conſilio*, qui ſimul determinabit tempus implendæ obligationis. Si quis vel legitimo impedimento, vel negligentia aut malitia præceptum hoc debito tempore obſervare omiſit, tenetur ad illud implendum, cum primum poſſit, ſicuti qui a Judice jubetur ſolvere certo die, elapſo hoc die

non

---

munionem commutent in aliud opus, bene gnarus, eos qui admittuntur ad Confeſſionem, non ſemper admittendos eſſe ad Communionem. Bullar. Bened. XIV. tom. 3. Conſt. 21. §. 80. Vid. Theoph. Raynaud. Heteroel. Spirit. piet. terreſt. ſect. 1. punct. 4. n. 38. 39.

non liberatur a debito. Similiter qui prævidet, se Communionem tempore Paschali non posse percipere, tenetur ad illam anticipandam; & sic satisfacit præcepto quoad substantiam: si vero impedimentum prævisum non accideret, deberet idem præceptum etiam implere quoad circumstantiam temporis intra dies Paschales. Huic autem præcepto non satisfit per Sacrilegam Communionem, utpote per quam non obtinetur finis proximus & intrinsecus hujus Sacramenti, scilicet conjunctio cum Christo. Excommunicati & interdicti excusantur a sumptione Eucharistiæ, dummodo ipsi in causa non sint, quo minus a Censuris absolvantur. Sumenda est Communio Paschalis in propria Parochia, aut alibi de licentia sui Pastoris: nec satisfacit, qui in Ecclesia Cathedrali communicat sine licentia Episcopi vel Parochi. Sacerdotes vero Missam celebrantes satisfaciunt in quacunque Ecclesia. Possunt Regulares non invitis multarum Diœcesium Episcopis, in die Resurrectionis Dominicæ Eucharistiam ministrare sæcularibus devotionis causa accedentibus, qui præcep-

tum in propria Parochia jam impl verunt, vel adhuc implebunt; na in privilegio conceſſo Regularibu miniſtrandi Euchariſtiam Fidelibu dies Reſurrectionis Dominicæ ex cepta cenſetur ſolummodo pro ob ſervantia præcepti: ſi tamen in qu busdam Diœceſibus aliud ſit recep tum, Regulares ſe facile conforma bunt 57.). Advenæ autem & pere grini, qui ad proprias Parochias Pa ſchatis tempore redire nequeunt, ſa tisfaciunt præcepto Communioni Paſchalis in quacunque Eccleſia. Pœ na a transgreſſore hujus præcepti non quidem incurritur ipſo facto; ſtatutum tamen eſt, ut *& vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & mortuus Chriſtiana careat ſepultura.*

Diſpoſitio removens impedimenta;

§. 225. Ad dignam tanti Sacra menti ſuſceptionem requiruntur diſ poſitiones, tum removentes impe di-

57.) De Privilegio Regularium miniſtran di Euchariſtiam ſuis familiaribus & fe mulis in ſuis Monaſteriis & locis, a Ju risdictione Parochorum exemptis, vid. Donatus Prax. Reg. tom. 3. tract. 7 q. 7. Lezana p. 2. Summæ. c. 16. Ro deric. tom. 2. q. 67. art. 1. Casarub Comp. Privil. v. familiares.

dimenta, tum conciliantes debitam devotionem. Impedimenta removentur, quando anima mundatur a peccato mortali & deponitur affectus ad peccata venialia. Præceptum præmittendæ Confessionis ab eo, qui est in peccato mortali, Divinum est, enunciatum a PAULO Apostolo 58.), & declaratum Ecclesiastica consuetudine 59.): quod etiam Sacerdotem peccati mortalis sibi conscium, & necessitate urgente, si desit copia Confessarii, absque prævia confessione Sacrificantem, obligat quamprimum confiteri.

§. 226. Præter immunitatem ab omni gravi culpa, & extinctionem affectus ad venialia, requiritur Mens attenta & devota, animata Fide viva, Charitate fervente, memoria & meditatione Passionis Christi: quæ adesse non censetur, si illa ipsa die, aut præcedente nocte actus venereus, aut aliud peccatum, animum vehementer perturbare solitum, perpetra- *Et concilians devotionem:*

58.) 1. Cor. XI. 28. *Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

59.) Conc. Trid. sess. 13. c. 7.

petratum sit, quamvis Confessio Sacramentalis præmittatur. Ex parte Corporis requiritur jejunium naturale, in privatione cujusque cibi potus situm, ita ut quis a mediana cte nihil per modum cibi, aut potu aut medicinæ sumpserit 60.). Hu

præ-

60.) Putarunt aliqui apud SALMERON. tom. 14. disp. 19. Corinthios reprehensos a Pa lo ex eo, quod convivium ab affectu Ch ritatis *Agape* nominatum, præmitter Eucharistiæ. Sed melius alii cul Corinthiorum aliter explicant. Vid. S CHRYSOST. hom. 27. in 1. Epist. ad Co rinth. CALMET & alii ad ejusdem Epi stolæ Cap. XI. Patres CARTHAGINENSES Synodi can. 44. excipiebant diem qua tam majoris hebdomadæ, qua post co nam Sacramenta Altaris peragenda sta tuerunt, exemplo Christi, qui Eucharis stiam præmissa communi cœna instituit. Morem hunc Patres TRULLANI can. 29 excusant, quod forte ob rationes Eccles utiles a Carthaginensibus probatus fu rit: ipsi tamen statuerunt, ut potius Apo stolicas traditiones sequantur Fideles, ne jejunium eo die solvant, & totam qua dragesimam injuria afficiant. Qui quid igitur sit de Agape Eucharistiæ con juncta vel subjuncta, id certum videtur varios abusus irrepsisse, ut merito a Pa tribus prohibita sint convivia in Eccle siis,

præcepto Ecclesiastico prævalet præceptum Divinum, quo infirmus instante periculo mortis sumere Eucharistiam 61.); & Sacerdos Sacrificium suum, vel alterius post consecrationem deficientis perficere 62.); aut Sacramentum contumeliis infidelium vel hæreticorum subtrahere tenetur, etiamsi jejunus non sit. Uti vestis corporis sordida dedecet & irreverentiam redolet: ita nimia va-

---

siis, vel locis Dominicis. Can. TRULL. 74. Conc. CARTHAG. can. 45. ibique BALSAMON, ZONARAS & ARISTENUS. Damnati tamen viciſſim fuerunt, qui ejusmodi pia convivia in fide & propter Dei honorem instituta, universim contemnerent, nec cum convivantibus communicare vellent. Conc. GANGRENS. Can. 11. Præterea ut quis censeatur jejunus, non requiritur dormitio Eucharistiæ sumendæ præmittenda post comestionem, licet id aliqui inferre velint ex c. 12. de Accusat. Vid. EMAN. GONZALEZ. ibid.

61.) Ex pari ratione infertur, posse Sacerdotem non jejunum celebrare, ut viaticum administret morituro; quamvis ob istam causam celebrare non possit sine Altari, sine vestibus sacris &c.

62.) Fragmenta hostiæ a se consecratæ sumere potest Sacerdos post sumptam ablutionem calicis, si tunc primum reperiat.

vanitas & luxus in ornamentis co
poris merito ſuſpectam reddit ani
præparationem debitam : fæmi
autem immodeſte veſtita omnino a
ceri debet.

Frequentia :

§. 227. *Optaret Synodus* TRIDEN
TINA 63.) *ut in ſingulis Miſſis Fide
adſtantes, non ſolum ſpirituali affec
ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ pr
ceptione communicarent, quo ad eos ſa
ctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior pr
veniret :* ſed tamen eos, qui majo
rem diſpoſitionem non habent præ
ter gratiam habitualem, quotidi
communicare non expedit. Appro
bante INNOCENTIO XI. Sacra
Congregatio Concilii celebre edidit
Decretum de quotidiana Commu
nione 12. Febr. 1679. ubi potiſſimum
vigilantiæ & prudentiæ Paſtorum re
linquitur, quid ſingulis permitten
dum videatur. Quantus ardor eſſe
deberet ad frequentem Communio
nem, tanta deberet eſſe contentio
ad dignam diſpoſitionem per mo
rum caſtimoniam, vitæ puritatem,
pœnitentiæ rigorem, & operum ſan
ctitatem. Sicuti ex tali diſpoſitione
major

63.) Seſs. 22. c. 6.

major sequetur Communionis fructus & profectus: ita etiam hoc deprehenso frequentior suadenda est Communio 64.).

§. 228. Effectus præcipui Eucharistiæ sunt I. Augmentum gratiæ. II. Intima cum Christo & cum fratribus conjunctio. III. Spiritus delectatio & interna cordis dulcedo. IV. Spirituale robur adversus dæmonis tentationes, mundi præstigias & peccatorum illecebras. V. Remissio venialium peccatorum. VI. Remissio pœnæ. VII. Sensuum & appetituum compressio. VIII. Immortalitatis & Resurrectionis semen. IX. Perseverantia finalis. X. Pignus vitæ æternæ 65.). *Effectus alii quærendi;*

§. 229.

64.) Walafridus Strabo de Reb. Eccl. c. 22. existimat, non esse culpandos eos, *qui sicut in una, sic in omnibus, quibus affuerint Missis, in die communicare velint*, cum & ipse Sacerdos, quoties in die Missas facit, communicare non omittit. Praxis Ecclesiæ contrarium observare jubet.

65.) His effectibus annumerant aliqui, quod Eucharistiæ sumptio proficiat mortuis ex opere operato: oppositum late defendit Theoph. Raynaud. de Communione pro mortuis.

alii non quærendi.

§. 229. Ope Eucharistiæ non e spectandi sunt miraculosi effectu quos nonnunquam ex singulari i spiratione Divina 66.), vel ex sim plicitate sua 67.) confidebant obt nere alii. Neque adhibenda est Eu charistia ad effectus, ad quos minim est instituta, qualis est purgatio Ca nonica, & probatio innocentiæ 68.); exempla enim non sunt imitanda; Ca-

---

66.) De S. Dominico simile quid narra Pelbart. de Temeswar. in Stellar. Coron. B. V. lib. 4. p. 1. art. 3. de S. Antonio Patavino Antoninus p. 3. Chron. tit. 24. c. 3. §. 2. & in Actis Sanctorum die 13. Junii fol. 725.

67.) Talis erat Sacerdos, qui ad detegendas fraudes hæreticorum Eucharistiam projecit in flumen. Cæsarius Heisterbac. illustr. miracul. lib. 9. c. 12. item mulier, quæ ex Eucharistia fecit catapisma applicandum cæco. S. Augustin. lib. 3. oper. imperf. contra Julian. c. 162.

68.) Vid. Gregor. Turonens. Hist. Francor. lib. 10. c. 8. de Comite Eulalio. Sigebertus in Chronico ad ann. 870. de Lothario. Albertus Krantzius lib. 4. Saxon. c. 43. de Sibicone Episcopo Spirensi. Lambertus Schaffnaburg. ad ann. 1077. de Gregorio VII. & Henrico IV. Trithemius Chron. Hirsaug. ad ann. 1124. de Ruperto Abbate Limpurgensi.

Canones autem qui videntur illis favere 69.) pridem sunt abrogati 70.), utpote ex quibus sumeretur occasio multorum Sacrilegiorum 71.). Non licet imitari morem antiquum sepeliendi Eucharistiam cum homine mortuo 72.), aut miscendi Sanguinem Christi atramento 73.). Imo non

T placet

69.) C. 23. & 26. II. q. 5.

70.) C. 20. Ibid.

71.) Exemplum ANDRONICI apud NICETAM CHONIATEM in fine Histor. Alexii Comneni, filii Manuelis Comneni.

72.) S. GREGOR. lib. 2. Dialog. c. 24. Vita S. Basilii AMPHILOCHIO adscripta circa fin. in Act. Sanctorum 14. Junii pag. 956. AMALARIUS lib. 4. de Divin. Offic. c. 41. Vita S. Cuthberti a Monacho Lindisfarnensi scripta lib. 4. c. 13. in Actis Sanctor. die 20. Martii pag. 123. Iso Magister de Miraculis S. Othmari l. 1. c. 3. *Oblatæ* tamen corpori SS. Cuthberti & Othmari appositæ, possunt intelligi de formulis non consecratis.

73.) Tali scriptura THEODORUS Papa damnavit Pyrrhum, teste THEOPHANE Chronograph. ad ann. 20. Heraclii recent. edit. Venet. fol. 219. BARON. ad ann. 648. n. 15. & Patres Concilii VIII. damnarunt Photium, teste NICETA in vita S. Ignatii Patriarchæ. apud Harduin. Concil. tom. 5. fol. 987. qui Photius adegit Basilium

placet quibusdam consuetudo depo-
nendi Juramenta Judicialia coram
Eucharistia: aut benedicendi tempe-
states cum hoc Sacramento, illudve
opponendi incendiis, inundation-
bus &c. 74.): tali enim modo usur-
pari dicunt Eucharistiam ad bene-
placitos usus juxta cujuslibet phan-
tasiam: unde oritur contemptus Eu-
charistiæ non secuto effectu, præ-
sertim apud hæreticos; & tentatur
DEUS petendo signa visibilia sup
Divinæ præsentiæ. Alii tamen de-
fendunt morem in Germania rece-
ptum 75.). Multo minus usurpandæ
sunt Hostiæ consecratæ vel non con-
secratæ ad usus superstitiosos 76.).

§. 230.

---

filium & Michaëlem, ut Sanguine Chri-
sti scripto chirographo jurarent, se nullo
Bardæ insidias moliri, prout ex Hamma-
tolo notat MATTHÆUS RADERUS in Ad
Concilii VIII. fol. 157. & 195.

74.) THIERS de Superstit. p. 2. l. 3. c. 3
75.) JACOB. SPRENGER Malleus Maleficar.
p. 2. q. 2. c. 7. FRID. NAUSEA Catech.
Cathol. lib. 6. p. 1. c. 40.
76.) Card. DE CUSA operum tom. 2. Exer.
cit. lib. 2. ex serm. *Ibant Magi &c.* GRO-
LANDUS de Sortileg. quæst. 3. n. 16. p.
seq.

§. 230. Pro intelligendis Sacris Canonibus apponenda est significatio *Communionis Laicæ*, & *Communionis peregrinæ*, ad quam Clerici ob gravia crimina sæpe detrusi leguntur. Non satisfaciunt variorum Autorum conjecturæ de hac pœna, quam ita explicant, acsi per *Communionem* sola Eucharistiæ participatio intelligeretur. Plura dicenda sunt, ubi de Pœnis Ecclesiasticis agitur. Nunc breviter notamus, verosimiliorem sensum esse, quod Clerici ad *Communionem Laicam* admissi 77.), plena & perfecta degradatione, & Clericalium officiorum ac privilegiorum ereptione, ad statum & conditionem laicorum redacti fuerint, ita tamen ut communione Ecclesiæ fruerentur: si vero in contumacia & obstinatione mentis persisterent, addebatur depositioni formalis excommunicatio, ut etiam communione Ecclesiæ inter laicos privarentur. Ad *Communionem peregrinam* 78.) reducebantur

Quid Communio Laica,

Et peregrina?

77.) Can. Apost. 14. Concil. SARDICENSE can. 19.

78.) Conc. REGENSE ann. 439. c. 3. AGATHENSE ann. 506. can. 2. & 5. ILERDENSE ann. 524. c. 16.

tur Clerici, qui non inter laicos r
ponebantur, sed instar Clericor
peregrinorum sine literis comme
datitiis ad extraneam Ecclesiam v
nientium, participes quidem fieba
communis beneficentiæ & liberali
tis Ecclesiæ in iis, quæ ad vitam s
stentandam erant necessaria: no
tamen admittebantur ad munera
functiones Clericorum, donec p
legitimam pœnitentiam officium
stationem recuperarent, sicuti Cle
ci peregrini ad ista munera non a
mittebantur, donec ab omni susp
cione se liberarent per literas fo
matas, quæ eorum orthodoxiam
vitæ integritatem testificarentur 79.

TITULUS V.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

*Conf. Decretal. Lib. 3. tit. 41. C
Clement. tit. 14. Extravag. Com
mun. tit. 11.*

§. 231.

Eucharistia habet rationem

EUCHARISTIA non solum Sacra
menti, sed etiam Sacrificii ra
tio-

79.) Can. Apost. 32.

tionem habet. Sacrificium dici solet oblatio externa soli DEO facta, qua in recognitionem supremi ejus dominii a legitimo Ministro res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur & immutatur. In Eucharistia autem JESUS Christus mystice immolatur, & in agnitionem supremæ DEI Potestatis offertur æterno Patri: dum enim panis & vinum Christi nomine & verbis a Sacerdote consecrantur, quantum est ex vi verborum, Corpus seorsum sub specie panis, Sanguisque seorsum sub specie vini præsens constituitur, ita ut violenta illa mors, quam olim DEI Filius pro nostra salute subivit, sub externis hisce symbolis ad vivum repræsentetur: ille interim *semper vivens ad interpellandum pro nobis* 80.), hoc suum Mediatoris munus etiam hic exercet, mortem suam exhibens, ac semetipsum offerens Patri, ut propitius sit peccatis nostris, & reconcilietur nobis.

§. 232. Varia fuerunt in veteri Testamento Sacrificia, respondentia Divinis Perfectionibus. Supremæ *Perfectissimi Sacrificii,*

80.) Hebræ. VII. 25.

mæ ejus Majeſtati Sacrificium *L*
treuticum, & *Holocauſtum*; Immens
erga nos Bonitati *Euchariſticum*; J
ſtitiæ infinitæ *Propitiatorium*; æter
Beatitudini reſpondet Sacrificiu
Impetratorium, quo poſtulamus a
xilia ad hunc finem aſſequendu
Omnia hæc quatuor Sacrificia em
nentiore quodam modo ſplendent
Sacrificio Miſſæ 81.). Neque p
hanc doctrinam injuria infertur cr
ento illi Sacrificio, quod Chriſtus
cruce peregit: *una enim eademque*
Hoſtia, idem nunc Offerens Sacerdo
miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce
tulit, ſola offerendi ratione diverſa: a
jus quidem oblationis, cruentæ inquam
fructus per hanc uberrime percipiantu
tantum abeſt, ut illi per hanc quovis mo
do derogetur 82.).

§. 238.

81.) Quod in Miſſa offeratur verum Sac
ficium, definit Concilium TRIDENT. ſeſ
22. can. 1. 3. 4. Latius oſtendunt Th
logi MELCHIOR CANO de Loc. The
lib. 12. c. 12. BELLARMIN. Tom. 3.
1. de Miſſa. c. 6. P. LE DRUIN De Re S
crament. lib. 5.

82.) Conc. TRID. ſeſs. 22. cap. 2. de Sa
crif. Miſſ.

§. 233. Hoc Sacrificium variis nominibus appellatur, Liturgia, Synaxis, Oblatio, Collecta, Missa. Hujus prima pars usque ad Offertorium vocabatur olim *Missa Catechumenorum*, qua completa isti dimittebantur: altera *Missa Fidelium*, qua finita dimittitur populus per verba Diaconi, *Ite Missa est.* *Missæ* nomen ab antiquis generalius usurpatum est pro quocunque Officio Ecclesiastico: tandem usus invaluit, ut pro Sacrificii celebratione tantum acciperetur: hæc vox enim *Missionem* sonat, prout *Remissa Remissionem.* Cum igitur in singulis Officiis Missa sive Congregationis dimissio solemniter pronuntiaretur, hinc ipsi Officio nomen factum est 83.). *quod appellatur Missa:*

§. 234. Peragitur hoc Sacrificium præcipue Consecratione & sumptione sub utraque specie Panis & Vini. Missa *Præsanctificatorum* dicitur semel per annum in Ecclesia Latina, die Veneris Sancto: in Ecclesia Græca per totam quadragesimam, excepto Sabbato & Dominica 84.), ac *Et peragitur Consecratione ac Sumptione.*

83.) Morinus de Pœnit. lib. 6. c. 10. §. 10. & 11.
84.) Conc. Laodic. can. 49.

die Annuntiationis, si incidat in Quadrageſiman 85.). Miſſa autem *ſicca*, dicta etiam Nautica vel Venatoria, in qua ſine Oblatione, Conſecratione, aut Communione, peraguntur aliæ ceremoniæ, tolerari non deberet: habet enim Originem a ſimplicitate & indiſcreta devotione quorundam, qui ſine fundamento ſibi imaginati ſunt, quod hæc Miſſa ſicca poſſit ſuppliere defectum veri Sacrificii Altaris, cum potius ſit mimica imitatio auguſtiſſimi Myſterii 86.). In navibus & ſimilibus occaſionibus celebratio Miſſæ ſiccæ melius commutatur in alia pietatis exercitia.

Ejus valor. §. 235. Valor Sacrificii unus eſt *ex opere operato*, qui ex ipſo opere immediate a DEO inſtituto proficiſcitur: alter eſt effectus meriti & dignitatis Miniſtri vel ſuſcipientis.

§. 236.

85.) Can. 52. in TRULLO. Legi meretur Diſſertatio LEONIS ALLATII De Miſſis Præſanctificatorum apud Græcos.

86.) Præſertim ubi pueri perſonam Sacerdotum agunt, quod aliquando uſitatum Coloniæ dicitur. De ſublato uſu Miſſæ ſiccæ docte agit GUIL. ESTIUS ord. Theol. 13.

§. 236. Offertur Missæ Sacrificium Soli DEO, pro omnibus hominibus mortalem vitam degentibus: non tamen pro damnatis 87.): neque pro Beatis in cœlo regnantibus 88.): bene tamen *pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis* 89.), prout desumitur ex Sacris Literis 90.), & ex perpetua Ecclesiæ Traditione 91.). *Offertur soli Deo*

87.) Liberatio Trajani ab inferno precibus S. Gregorii, & aliæ similes historiæ, censentur fabulosæ. Vid. NATALIS ALEXANDER Hist. Eccl. sæcul. 2. Diss. 1. LE DRUIN de Re Sacrament. lib. 5. quæst. 7. c. 1. §. 5. Serm. S. JOANNIS DAMASCENI de Suffragiis pro mortuis habetur pro supposititio. Id tamen certum est, quod fama de ejusmodi narrationibus Græciam late pervaserit.

88.) Quando in antiquis Collectis legitur, Sacrificium prodesse Sanctis, intelligitur, vel quod prosit majori eorum glorificationi in terris. c. 6. §. tertio loco. x. de celebr. Miss. vel quod tales Missæ habitæ fuerint mox post eorum obitum, ubi nondum inter Sanctos habebantur. Card. BONA Rer. Liturg. lib. 2. c. 14. n. 4.

89.) Conc. TRID. sess. 22. c. 2. de Sacrif. Miss.

90.) 2. Machabæor. XII. 46.

91.) De Sacrificio, cadavere præsente, TER-

a Sacerdotibus

§. 237. Minister Sacrificii Missæ est solus Sacerdos 92.), utpote ad hoc ministerium ordinatus, offerens in persona Christi; nam primarius offerens est Christus Dominus, qui æternus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: populus autem Fidelis offert desiderio, voluntate & Spirituali conjunctione cum Sacerdote 93.). Valide consecrant etiam Sacer-

---

Tertullian. lib. de anima. c. 51. prout intelligit Pamelius in Annot. ad hunc locum. Eusebius de Vita Constantini lib. 4. c. 70. & 71, S. Augustinus lib. 9. Confess. c. 12. De die tertia, septima & tricesima, Albinus Flaccus lib. de Divin. Offic. in fin. de Anniversariis Tertullianus lib. de corona milit. c. 3. Item de Monogamia cap. 10.

92.) Quod olim Diaconi in quibusdam Ecclesiis Eucharistiam consecrare præsumpserint, colligunt Doctores ex variis Canonibus, quos refert Morinus de Pœnit. lib. 8. c. 24. §. 1. & 2. Beveregius in can. 2. Concilii Ancyrani.

93.) Quia Sacrificium communi nomine Sacerdotis & populi offertur, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis &c.*, dicuntur assistentes singularis meriti participes fieri, si ex particulis in eadem Missa consecratis Communionem suscipiunt, & sic Sacrificium suum cum Sacerdote complent.

Sacerdotes impii, hæretici, Schismatici, suspensi, excommunicati, degradati, quia potestas Ordinis deleri nequit.

§. 238. Tenentur Fideles jure naturali & Divino Sacrificium DEO offerre per publicos Ministros ad recognoscendum ejus supremum dominium, & rependendas gratias pro acceptis beneficiis: aliud autem in Christiana Lege Sacrificium non est, nisi incruentum Missæ. Unde etiam ipsi Sacerdotes, tanquam publici Ministri ad id tenentur, imperante etiam Christo: *hoc facite in meam commemorationem* 94.), & id quidem non tantum, quando tenentur ex cura sibi commissa celebrare populo, sed etiam quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum 95.). INNOCENTIUS *Ex Præcepto,*

94.) Luc. XXII. 19. 1. Corinth. XI. 24.

95.) *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Cor. VI. 1. Vid. S. Thomas 3. p. q. 82. art. 10. Cajetanus in hunc articulum docuit, *venialiter* duntaxat peccare Sacerdotes, qui raro aut nunquam sacris operantur: hanc opinionem, ut nimium laxam & falsam, expungi S. Pius V. mandavit.

TIUS III. in Concilio LATERANEN IV. pœnam ſuſpenſionis minatur Sacerdotibus, qui vix quater celebrant in anno 96.). Aliqui Sancti ob profundam humilitatem abſtinuerunt a celebratione: cum hos Sanctos non imitemur in reliqua ſanctitate & patrandis miraculis; ideo non opus eſt, ut illos in hoc articulo imitemur contra univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem.

Etiam privatim, §. 239. Non tantum Miſſæ publicæ, quæ adſtante populo & ſolemniori ritu, vel etiam populo Communionem ſuſcipiente peraguntur; ſed etiam privatæ, in quibus nec frequens populus aſſiſtit, nec communicat, piæ ſunt & laudandæ, quia etiam per has Sacrificium DEO offertur, quod in omnibus Miſſis præcipue intenditur. Non probant aliqui multitudinem Miſſarum eodem die lectarum; cum credant, foveri exinde multorum celebrantium avaritiam,

96.) *Sunt & alii, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno.... hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus &c.* c. dolentes. 9. de celebr. Miſs. Concil. TRIDENT. ſeſs. 23. c. 14. de Reform.

ritiam, & assistentium socordiam. Verum multitudo Missarum non est culpanda, bene tamen abusus, qui potest irrepere in audientibus, vel etiam celebrantibus 97.). Quamvis olim pluries eodem die celebrare potuerit Sacerdos ob paucitatem celebrantium: hoc tamen tempore duntaxat die Nativitatis Domini concessum est tres Missas celebrare, unam media nocte, reliquas post auroram, cum populus ante auroram non sit admittendus ad S. Communionem 98.).

§. 240.

97.) Epistola, in qua S. Franciscus *Seraphicus* monet, ut in locis, in quibus morantur Fratres & plures Sacerdotes, una tantum celebretur Missa in die, sitque alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius, multas patitur animadversiones: videri potest annotatio Lucæ Waddingi, tum in Commentariis ad Opuscula S. P. Francisci, tum in Annalibus Ordinis ad ann. 1226. §. 11. Item supplementum P. Antonii Melissani ad ann. 1220. §. 8. in nova edit. Annal. de ann. 1731. tom. 1. in fin.

98.) Alicubi in Hispania die Commemorationis Defunctorum celebrantur a quolibet Sacerdote duæ Missæ. Ex concessione Benedicti XIV. eadem die Lusitani

Ab aurora usque ad meridiem,

§. 240. Tempus celebrandi computatur communiter ab aurora usque ad meridiem. Variæ autem sunt causæ tum anticipandi, tum postponendi celebrationem. Superiores Regulares cum subditis suis dispensare quoad hoc possunt ex rationabili causa, cum sint ipsorum Ordinarii. Die Jovis sancto licitum est celebrare cuilibet Sacerdoti, quamvis servari deberet consuetudo Ecclesiæ, ut reliqui Sacerdotes ab uno celebrante Eucharistiam suscipiant, sicut Apostoli susceperunt ex manu Christi. Die Parasceves omnibus vetitum est celebrare. Sabbato Sancto etiam consuetudo est, ut abstineatur a celebratione præter Officium solemne & publicum: hoc tamen ipsum non est Missa Sabbati Sancti, sed refertur ad noctem Resurrectionis Domini.

In loco ad id destinato,

§. 241. Missa celebranda est in Ecclesia vel consecrata, aut saltem benedicta, & ad Altare consecratum 99.). Potest Episcopus facultatem

---

tani Sacerdotes possunt celebrare tres Missas, adjecta tamen conditione, ut pro una sola accipi stipendium possit.

99.) C. 1. 11. 12. d. 1. de Consecr.

tatem impertiri celebrandi extra Ecclesiam in loco honesto ob rationabiles causas, qualis datur in illis Germaniæ nostræ locis, in quibus publicum Religionis Catholicæ exercitium non est permissum. In Oratorio privato, quo nomine intelligitur locus in domo hominis privati ad tempus Cultui Divino deputatus, regulariter non licet celebrare: vult etiam Concilium TRIDENTINUM 100.), ne id Episcopi permittant. Ubi autem id legitima potestate permissum est, unicum solummodo Sacrum eodem die legi potest: & ab hoc etiam legendo excipiuntur plerumque Festa Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis, Apostolorum Petri & Pauli, ac omnium Sanctorum 1.). Aliis Festis diebus, præcepto

---

100.) Sess. 22. Decret. de Celebrat. Miss.

1.) Qui impetrant privilegium celebrandæ Missæ in Oratorio privato, sæpe etiam obtinent, ut durante infirmitate ibidem audire possint Sacrum etiam in festis solemnissimis: quo casu die Nativitatis Domini legi ibidem possunt tres Missæ, uti resolutum fuit apud BENEDICT. XIV. de Sacrif. Missæ, sect. 2. §. 23. seqq.

cepto audiendæ Missæ in his Ora-
riis satisfaciunt solummodo illi, q
continentur in Privilegio, quod
strictæ interpretationis, utpote co
tra jus commune, & reverentia
publicis templis debitam 2.). Ora
toria in Palatiis Episcoporum, &
clausstris Regularium, perpetuo de-
stinata Divino cultui, non comput
tantur inter Oratoria privata, sicu
neque Oratorium, quod habet in
gressum in publica via: nihilomi
nus propter varios abusus, ex de
creto CLEMENTIS XI. 3.) prohi-
bentur etiam Episcopi & Cardinales
extra domum propriæ habitationis
in domibus Laicis, etiam in propria
Diœcesi, erigere Altare ibique Missa
Sacrificium celebrare, sive celebrari
facere: hæc tamen prohibitio juxta
declarationem INNOCENTII XIII.
& BENEDICTI XIII. non est intel-
ligenda de domibus, etiam Laicis, in
quibus ipsi Episcopi forte occasione
visitationis, vel itineris, vel legiti-
mæ

2.) De Missa in Oratorio privato videri po-
test VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 5
c. 8. BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. 3
Const. 48.

3.) 15. Decembr. ann. 1703.

mæ absentiæ a propriis ædibus, moram faciunt, vel hospitio excipiuntur; his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis 4.): proin etiam assistentes satisfacient præcepto audiendi Missam in die Festo.

Observatis Ceremoniis.

§. 242. Ceremoniæ sacræ accurate servandæ sunt, quas Ecclesia adhibet, ut majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur 5.). Huc pertinent mysticæ benedictiones; lumina 6.); vestes tum propriæ Sacerdotis, scilicet talares; tum mysticæ, benedictæ ab habente facultatem, & ad sacra Officia publica celebranda destinatæ 7.); thymiamata;

U

4.) Conc. Rom. sub Benedict. XIII. tit. 15. c. 3. Benedict. XIV. De Sacrif. Missæ.

5.) Conc. Trid. sess. XXII. cap. 5.

6.) Lumina duo requiruntur: necessitate urgente, unum sufficit: deficiente cera, sebum præferri oleo debet.

7.) Mysticas sacrarum vestium significationes

mata; vox nonnunquam submissa, nonnunquam elatior; Minister saltem unus 8.),& mas 9.). Item celebrare Sacerdotes debent nudato capite, nec fictis crinibus tecto; calceatis pedibus; non nimis deproperantes verba; nihil omittentes, nihil addentes 10.).

§. 243.

---

nes recensent varii Rubricarum Interpretes, Albinus Flaccus, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Innocentius III. Guilielmus Durandus, Stephanus Durantus, Cardinalis Bona &c.

8.) Antiqui Canones exigunt, ut saltem duo celebranti inserviant. c. 61. d. 1. de Consecr. Glossa in hunc Can. v. ipse tertius. putat, nullum esse necessarium, si incluſus celebret. Quanta sit indecentia, si luridissimi pueri inserviant Missæ, deplorat P. Le Druin. de Re Sacramentali lib. 5. quæst. 6. c. 2. §. 2.

9.) C. 1. de Cohab. Cler. & mulier.

10.) Olim variæ interpolationes, quas *Tropos* vocabant, adjiciebantur quibusdam Missæ partibus, a privata quorundam devotione originem trahentes. Thiers p. 2. de superstit. lib. 4. c. 8. Card. Bona l. 2. Rer. Liturg. c. 3. & 4. Pamelius Liturg. Eccl. Lat. tom. 2. in fine. In Missali Ratisponensi, impresso anno 1497. ejusmodi Tropos plures reperi-

§. 243. Fructus Sacrificii triplex distingui solet: *generalis*, qui ad universam Ecclesiam, ac præsertim ad populi Rectores pertinet: *specialis*, ad eos spectans, qui corpore animoque assistunt, vel pro quibus singulari Sacerdotis applicatione offertur: denique *specialissimus*, ad ipsum Sacerdotem pertinens, qui *pro suis* primum peccatis offerre debet, deinde *pro populi* 11.), ita ut hanc portionem fructus a se abdicare non possit. Specialem fructum Missæ Parochialis saltem diebus Festis & Dominicis Pastores animarum pro

Pro fructu Missæ applicando

E. g. Kyrie *fons bonitatis, Pater ingenite,* eleyson &c. Ite *brachio protecti dextraque Domini benedicti* Missa est. Ite *Deo dignas simul omnes pangite laudes jam* Missa est. Ite *& custodite, jam pro vobis hostia vitæ* Missa est. Ite *Mariæ servite ut cum ejus prole vobiscum sit, jam* Missa est. In hymno Angelico pro festis B. Virginis hæc interpolantur... Domine Fili unigenite JEsu Christe, *Spiritus & alme Orphanorum Paraclite.* Domine Deus Agnus Dei Filius Patris *Primogenitus Mariæ Virginis Matris*... suscipe deprecationem nostram *ad Mariæ gloriam*... quoniam tu solus sanctus *Mariam sanctificans*: tu solus Dominus *Mariam gubernans*: tu solus Altissimus *Mariam Coronans*...

11.) Ad Hebræ V. 3. & VII. 27.

grege suo, Clerici autem Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum hunc fructum Missæ Conventualis quotidie pro Benefactoribus in genere applicant 12.): alii Fideles pro eo sibi applicando Honoraria offerunt, quæ recentior Ecclesiæ disciplina sensim admisit 13.), tanquam quædam sustentationis Ministrorum suorum stipendia. Introducta hac con-

---

12.) De hac re pro declaratione Concil. Trident. sess. 23. c. 7. de Reform. agit Benedictus XIV. tom. 1. Bullar. Const. 103. edita 19. August. 1744.

13.) Primi Fideles, accedentes ad Missam, singuli panem & vinum consecranda obtulerunt: posteriori ætate licitum erat ad altare offerre, quidquid in Sacerdotum commodum cederet: dein offerebantur etiam pecuniæ in usum totius Cleri: denique invaluit usus offerendi stipendium soli celebranti. Quo tempore hic usus cœperit, ignoratur. meminit ejusdem Chrodegangus Episcopus Metensis Seculo VIII. in Regul. cap. 32. apud Harduin. Collect. Conc. tom. 4. Col. 1196. Hunc usum nimio Zelo improbat Auctor Anonymus Differt. *sur l' Honoraire des Messes.* quem notant Trivultienses mens. ann. 1749. Januar. art. 6. & Febr. art. 12. Vid. Van Espen Jur. Eccl. p. 2. tit. 5. c. 5.

consuetudine, mox invaluerunt plures abusus ex quorundam avaritia, qui plures Missas celebrabant eodem die 14.); aut plures pro numero offerentium Hostias consecrabant, aut legebant Missas *bifaciatas*, vel *trifaciatas*, ut plurium intentioni simul satisfacerent 15.). Abolitis his crassissimis abusibus, novæ identidem pullularunt opiniones avaritiæ quorundam nimium faventes, & merito damnatæ, quibus sequentes opponuntur conclusiones.

§. 244. I. Eleemosyna conferenda Sacerdoti Missam celebranti taxanda est ab Episcopo. II. Consuetudo, non obstantibus quibusdam Canonibus, passim permittit omnibus Sacerdotibus, etiam divitibus, accipere eleemosynam pro Missa celebranda. III. Sacerdotes, qui eleemo-

Permittitur stipendium sub certis cautionibus.

14.) Id prohibetur c. 3. & 12. de Celebr. Miss.

15.) Missas *bifaciatas* vel *trifaciatas* vocabant, quando usque ad Offertorium bis vel ter recitabant, quæ solent in Missa dici: addebant tot Secretas: peracto uno Canone, totidem in fine, quot initio, Collectas subjungebant. Card. Bona l. 1. c. 15.

mosyna deficiente, a celebrando de-
sistunt, oblata autem eleemosyna
etiam quando ægrotant, collecta
omnibus viribus celebrant, Simoniæ
suspicionem præbent. IV. Pacta de
stipendio, & illiberales ejusdem ex-
actiones turpem quæstum redolent.
V. Non licet duplicatum stipendium
pro eadem Missa accipere, appli-
cando petenti non solum fructum
specialem, sed etiam specialissimum,
ipsimet celebranti respondentem.
VI. Sacerdos non potest per alium
celebrare, retenta sibi parte stipen-
dii accepti. VII. Potest tamen Be-
neficiatus, quando per alium cele-
brare cogitur, licite præbere con-
suetam eleemosynam, tametsi ex
Beneficio major percipiatur. VIII.
Qui accipit plura stipendia exigua,
singulis Missam promittens, non
potest unica Missa pro omnibus sa-
tisfacere. IX. Qui tenetur ex ali-
qua fundatione, & fixis reditibus,
certo loco & tempore celebrare,
tamdiu non potest pro applicatione
Missæ stipendium aliud acceptare,
donec luculenter ostendat, Funda-
torem non voluisse applicationem.
X. Nequit Sacerdos accipere stipen-
dium unum pro fructu impetratio-
nis

nis Missæ, alterum pro fructu satisfactionis : aut unum pro applicatione Missæ, alterum pro applicatione Indulgentiarum. XI. Non possunt acceptari plures Missæ, quam quæ *intra modicum tempus* celebrari valeant : quodnam autem sit modicum tempus, plerumque desumi debet ex circumstantiis & voluntate offerentium, spectato fine, ad quem exiguntur Missæ. XII. Qui plura stipendia accipit, quam pro quibus satisfacere se posse sciat, peccat accipiendo : post accepta autem stipendia, debet per se & alios implere onus suum omni meliori modo, quo potest, etiam peragendo alia opera satisfactoria. XIII. Qui ex suscepta obligatione celebrare tenetur omnibus diebus, potest ex præsumpta voluntate Testatoris nonnunquam abstinere reverentiæ causa, vel celebrare pro parentibus suis &c. nunquam tamen celebrare valet pro aliis stipendio accepto. Si vero talis Sacerdos ob quædam flagitia prohibeatur celebrare a Confessario, vel ob impedimentum vitiosum, e. g. ex crapula contractum celebrare nequeat, tenetur per alium satisfacere obligationi suæ ; secus si per breve tem-

pus absque propria culpa ægrotet XIV. Si Fundator Beneficii vel Capellaniæ non expreſſe præſcribit numerum vel intentionem Miſſarum, conſulendus eſt Epiſcopus, qui quantitatem redituum conſiderabit. XV. Suſtineri non poteſt applicatio Miſſæ pro illo, quem DEUS novit proxime daturum ſtipendium. XVI. Qui peccata confitentibus Miſſas celebrandas pro pœnitentia injunxerit, non debet ſtipendia ſibi vel Eccleſiæ ſuæ aut Monaſterio tribuenda accipere pro Miſſis, quibus ipſe, vel alius Sacerdos in eadem Eccleſia aut Monaſterio ſatisfaciat. 16.) XVII. De non reducendis oneribus Miſſarum absque recurſu ad Apoſtolicam Sedem, plura extant Decreta Summorum Pontificum 17.).

Abuſus tollendus. §. 245. Nihil tam Sanctum, quo non abutatur impietas vel ſuperſtitio. Unde etiam Miſſæ nonnunquam

16.) Synod. Eboracens. anno 1195. decret. 3. Odo Epiſc. Pariſ. Conſtit. Synod. ann. 1198. c. 6. n. 12.

17.) De ſtipendiis Miſſarum agit Benedictus XIV. de Synod. Diœceſ. lib. 5. c. 8. 9. 10. item Inſtit. Eccl. 56. & 92. item de Miſſæ ſacrif. ſect. 2. §. 19. 20.

quam ad res magicas sacrandas adhibentur 18.): nam dæmones summopere delectantur Sacrificiis, ut hac ratione Divinos honores aucupentur 19.). Variæ etiam Missæ a privatis hominibus inventæ, & nescio quam superstitionem, vel falsum cultum redolentes, ex vetustis Missalibus expunctæ sunt 20.): variæque Orationes emendatæ 21.).

§. 246. His rejectis quisquiliis, summa debet esse autoritas *Liturgiarum*, quo nomine intelligimus Officia seu Rituales libros, publica Ecclesiarum autoritate conscriptos, earumque usu probatos, quibus preces & ritus ad Eucharistiæ consecrationem, & administrationem adhiberi soliti continentur. Quamvis enim de Liturgiis, quæ SS. MARCI, JA-

Autoritas Liturgiæ veteris.

18.) Wierus de Præstig. dæmon. lib. 2. c. 5. Grillandus de Sortilegiis quæst. 14.

19.) Joan. Filesacus Differt. de Idololatria magica. §. 7.

20.) Thiers de Superstit. p. 2. lib. 4. c. 4. seqq. Missa in Judicio aquæ, vel ferri candentis dici solita, adjicitur a Frid. Lindenbrogo Codici Legum antiquarum.

21.) In Missa de S. Leone, de Rosario &c.

JACOBI, CLEMENTIS &c. nom
nibus inſcribuntur, non videa
omnino certum, ab iis exaratas fuiſ
quorum nomina præferunt: an
quiſſima tamen autoritate pollen
& ritus ab initio in Eccleſia Alexa
drina, & Hieroſolymitana obſerv
ri ſolitos repræſentant. Certios
autores habent Liturgiæ S. BASILI
& CHRYSOSTOMO attributæ22.
In Eccleſia Latina autem primæ
ſunt vetuſtatis Liturgiæ Roman
Mediolanenſis, Gallicana vetu
Mozarabica, aliæque plures 23.
quæ quoad ſubſtantialia omnia
conveniunt, licet quoad aliquas ce
remonias, aut numerum precum in
ter ſe differant, ut merito de illis in
telligantur verba COELESTINI P
pæ 24.): *Obſecrationum Sacerdota*
um Sacramenta reſpiciamus, quæ a
Apo-

22.) Synodus TRULLANA can. 32. aqu
mixtionem cum vino probat ex Liturg
S. Jacobi, Baſilii & Chryſoſtomi.

23.) Antiquas Liturgias varii collegerun
Latinas JACOBUS PAMELIUS, & Colle
ctores Bibliothecæ Patrum. De Liturg
Mozarabica Tractatum Hiſtorico-Chr
nologicum JOANNES PINIUS S. J. præ
xit Actis Sanctorum Julii tom. VI.

24.) Epiſt. 8. ad Epiſcopos Galliæ.

Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.

TITULUS VI.

DE POENITENTIA.

Conf. Decretal. lib. 5. tit. 38. ex Sext. tit. 10. ex Clement. tit. 9. Extravag. Commun. tit. 9.

MEMORES instituti nostri summa tantum capita vastissimæ hujus materiæ attingimus, uberioris doctrinæ fontes indigitasse contenti.

§. 247. Per *Pœnitentiam* hoc loco intelligitur dolor de peccato, quia est offensa DEI. Alia est interior, alia exterior. *Interior* est ipsa virtus, qua peccator movetur ad odium & detestationem sui peccati, ad firmum melioris vitæ propositum, & sui vindictam in compensationem injuriæ DEO illatæ. Hæc enim tria includit vera Pœnitentia, post peccatum necessaria necessitate medii & præcepti Divini 25.). Nam remitti pecca- *Pœnitentia interior:*

25.) *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simili-*

peccata non possunt, nisi DEUS suam amicitiam reconciliet peccatorem: repugnat autem, ut DEUS recipiat peccatorem impœnitentem. Effectus hujus Pœnitentiæ est remissio peccatorum, quantum ad culpam.

Exterior: §. 248. Pœnitentia *exterior* est Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum 26.), quo per Juridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito & confesso remittuntur peccata post Baptismum commissa. Ubi patet Institutio Christi, significatio, productioque gratiæ sanctificantis per symbolum externum & sensibile, scilicet per absolutionem Sacerdotis: in his autem habetur tota ratio Sacramenti novæ Legis. Hæc Pœnitentia exterior alia

---

militer peribitis Luc. XIII. 5. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matth. IV. 17.

26.) *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Matth. XVI. 19. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. XX. 23.

alia est *publica* 27.), alia *privata* & secreta: necessaria autem est ad salutem lapsis post Baptismum, ut nondum regeneratis ipse Baptismus 28.): unde dicitur secunda post naufragium tabula.

§. 249. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata post Baptismum commissa. Docent autem Catholici adversus Montanistas 29.), & Novatianos 30.), nullum reperiri peccatum, quantumvis gravissimum, quod pœnitentia expiari, & ab Ecclesia remitti non possit 31.). *Mortalia* quidem, cum sine hoc Sacramento, re vel voto suscepto non remittantur, præbent materiam necessa- *Ejus Materia remota.*

27.) De publica Pœnitentia agit JOAN. MORINUS de Sacram. Pœnit. lib. 5. seqq.

28.) Conc. TRID. sess. 14. c. 2.

29.) De Montanistis vid. Card. GOTTI Verit. Rel. Christ. c. 23. §. 6.

30.) De Novatianis idem c. 34. §. 3. item NATAL. ALEXANDER Hist. Eccl. tom. 3. sæc. 3. c. 3. art. 4.

31.) Blasphemia in Spiritum Sanctum, quæ nunquam remittitur MATTH. XII. 31. est peccatum impœnitentiæ contra donum Dei, & gratiam regenerationis, vel reconciliationis, quæ fit in Ecclesia in Spiritu Sancto. S. AUGUSTINUS. edit. recent. tom. V. part. 1. serm. 71.

ceſſariam; *venialia* vero, quæ alii quoque remediis expiari poſſunt ſufficientem, ſed liberam ſubminiſtrant.

Proxima, §. 250. Materia proxima ſunt tres pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio 32.). *Contritio*, accedentibus actibus Fidei & Spei, eſt animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Debet eſſe *libera & bona* conſiſtens in actu libero & bono: *ſupernaturalis* tum ratione Divini auxilii, tum ratione motivi, a quo ſpeciem capit: *vera & ſincera* conſiſtens in intima voluntate ab omni peccati affectu aliena: *magna & vehemens*, & ſumma appretiative, quia DEUM cunctis creaturis anteponit.

Conſiſtens in contritione, §. 251. Dividitur Contritio in Perfectam & Imperfectam. *Perfecta* eſt dolor ſummus de peccato patrato, ex amore DEI ſuper omnia conceptus, ſeu charitate perfectus, cum propoſito non peccandi de cætero, & voto ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Hæc hominem DEO re-

32.) Conc. Trid. ſeſs. 14. cap. 3. & can. 4.

reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur. *Imperfecta* seu Attritio est dolor conceptus vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, cum detestatione peccati, quia injuria DEI est, & intentione pro eodem satisfaciendi DEO.

vel attritione;

§. 252. Gravis controversia inter Theologos est, sufficiatne Attritio supernaturalis ex gehennæ & pœnarum metu, aut ex turpitudine peccati concepta; an vero requiratur amor charitatis inchoatæ, ut sit materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ. Certum est, priorem illam Attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, esse bonam, hominemque ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere 33.). Altera Attritio, prout loquuntur Autores, qui eam ad Sacramentum necessariam esse affirmant, oritur ex amore veræ charitatis, non habitualis, non actualis perfectæ & vehementis, sed inchoatæ & remissæ, quæ a charitate habituali & actuali perfecta differt secundum

33.) Ibid. cap. 4.

dum ſtatum & gradum; cum utriusque objectum ſit Divina Bonitas propter ſe dilecta, & erga nos beneficentiſſima; ea tamen, quæ imperfecta & remiſſa eſt, non producit ultimum effectum, ſeu expulſionem maculæ peccati extra Sacramentum. Sicut enim actus imperfecti Fidei Fidem perfectam; & actus Spei languidi Spem robuſtam & conſtantem antecedunt: ſic etiam actus remiſſi Charitatis imperfectæ, ad Charitatem perfectam & ardentem, viam parant, dum Attritio ex Charitate imperfecta prodiens, eſt pars Sacramenti, in quo Charitas perfecta infunditur, ita ut ex Attrito fiat contritus. An ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur hæc Attritio ex Charitate inchoata proveniens, diſputandum relinquitur Theologis 34.). Id notandum, cum agatur de materia ad valorem

34.) Catalogum Autorum, qui ſufficientiam Attritionis ex metu gehennæ defendunt, exhibet Gormaz tr. de Pœnitent. part. 1. n. 446. Contrariæ ſententiæ Auctores & rationes fuſius refert Petrus Lambertus le Drou Differt. de Contrit. & Attrit. P. Daniel Concina Theol. moral. tom. 9. Differt. 2.

lorem Sacramenti neceſſaria, merito omnes excitandos eſſe ad dolorem ex motivo Charitatis eliciendum: quod in Evangelica lege amoris difficile videri non debet, cum etiam extra caſum Pœnitentiæ quilibet teneatur ſæpius elicere actum Charitatis Divinæ; & quilibet Pœnitens debeat habere propoſitum ſervandi omnia mandata, & præcipue primum illud & maximum mandatum dilectionis DEI. Cuicunque Contritioni adjungendum eſt expreſſum propoſitum, ſeu voluntas in poſterum non peccandi, quod debet eſſe firmum & ſtabile: univerſale: efficax.

§. 253. Alter pœnitentis actus, qui materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ conſtituit, eſt *Confeſſio*, quo nomine intelligimus *peccatorum accuſationem, quæ ad Sacramenti genus pertinet, eo ſuſceptam, ut veniam virtute clavium impetremus* 35.). Cum enim judiciaria poteſtas ſolvendi & ligandi exerceri non poſſit, neque *in Confeſſione*

35.) Catechiſm. Conc. Trid. de Pœnit. Sacram. c. 7. Græci exomologeſin appellant.

æquitas in pœnis injungendis ſervari, niſi Judex crimina agnoſcat; agnoſcere autem non poſſit, niſi peccator eadem in ſpecie & ſigillatim exponat: ideo Confeſſio eſt omnino neceſſaria, ſemperque obſervata in Eccleſia 36.). An autem ſecreto fiat, vel publice, diſciplinam ſpectat 37.). Debent peccata exponi, prout poſt diligens examen conſcientiæ occurrunt, addito numero, & circumſtantiis ſpeciem mutantibus, aut mortaliter aggravantibus, certa ut certa, dubia ut dubia. Ab integritate materiali Confeſſionis excuſat impotentia phyſica, vel moralis: requiritur tamen ſemper aliqua confeſſio, ſigno ſenſibili manifeſtata, qualis etiam eſt, ſi moribundus abſente

---

36.) Non obſtant textus a GRATIANO diſt. 1. de pœnit. a can. 1. usque ad 37. allati: potius inhærendum autoritatibus ibidem a can. 38. usque ad 89. poſitis, quæ oris Confeſſionem & ſatisfactionem operis neceſſariam oſtendunt. Dum autem GRATIANUS poſt dictum can. 89. lectoris judicio reſervat, cui harum ſententiarum potius adhærendum ſit, minus caute locutus eſt. Inſiſtendum potius Concilio TRIDENTINO.

37.) Conc. TRID. ſeſs. 14. cap. 5.

sente Confessario petiit confessionem, quamvis adveniente Confessario ob amissam loquelam nullum exhibeat signum 38.).

§. 254. Ad Confessionem Sacramentalem Divino præcepto adstringuntur omnes adulti, qui post Baptismum in peccatum mortale lapsi sunt. Obligat autem in probabili articulo mortis 39.), illum etiam, qui post diligens examen nullius peccati mortalis sibi conscius est, tum ratione scandali, tum ob vitandæ præsumptionis periculum: item milites *Ex Præcepto Divino,*

38.) Sacramentalis Confessionis conditiones & qualitates his versibus exprimuntur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

39.) Post Innocentium III. Pius V. in Const. *supra gregem.* 8. Martii 1566. statuit, ut Medici infirmos moneant de Confessione Sacramentali peragenda, *neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus Confessarius ob aliquam rationabilem causam concesserit.*

cum hoſte dimicaturos, mulieres ante primum puerperium &c. Extra mortis periculum obligat hoc præceptum, quoties rem aliquam tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, velut cum Sacramenta adminiſtramus aut percipimus: item cum veremur, ne nos alicujus culpæ, quam admiſimus, oblivio capiat.

vel Eccleſiaſtico:

§. 255. Præcepto Divino addit Eccleſia determinationem temporis, ut ſaltem ſemel in anno peragatur Confeſſio 40.). Præceptum hoc non tantum ratione Communionis Paſchalis, ſed abſolute obligat, ita ut ad Confeſſionem ſemel in anno adſtringeretur etiam ille, qui obimpedimentum legitimum ſuſcipere Euchariſtiam nequiret: imo juxta mul-

---

40.) Concilium LATERAN. IV. ſub INNOCENTIO III. anno 1215. relatum c. 12. de pœnit. & remiſs. *Omnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur propriis Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere.* Confirmavit Conc. TRID. ſeſs. 14. can. 8.

multos etiam ille, qui nullius peccati gravis reum se sciret. Annus autem computari potest, a Paschate ad aliud Pascha. Si quis per integrum annum confessus non fuerit, tenetur, cum primum commode possit, confiteri, ut satisfaciat præcepto prioris anni: per aliam dein Confessionem satisfacere debet præcepto anni currentis: sicuti etiam anticipare debet Confessionem, qui se a Confessione impediendum toto sequentis anni tempore prævidet. Si quis sæpius per annum confessus esset, & ante ejus finem in mortale peccatum relaberetur, teneretur iterum confiteri, quia mens Ecclesiæ est, ut *omnia* peccata per annum commissa per Confessionem expientur. Hæc doctrina dubio caret, si annus computetur a Paschate ad Pascha, quo tempore urget præceptum Communionis. Non satisfit autem Præcepto per Confessionem invalidam. Obligantur hoc præcepto omnes Fideles rationis usum habentes, etiam Summus Pontifex; etiam hæretici. . Quando autem in pueris oriatur, vel in senibus extinguatur usus rationis, arbitrio Confessarii permittitur. Excusat impo-

tentia physica vel moralis, quando Confessarius haberi non potest. Si quis confiteri voce non possit, quia mutus est, tenetur confiteri per nutus vel Scripturam: qui autem idioma Confessarii ignorat, præcepto quidem Ecclesiastico non tenetur per interpretem confiteri: teneri tamen videtur, quando urget præceptum Divinum confitendi. Transgressores hujus præcepti juxta Jus commune *arceantur ab ingressu Eccles.* & *priventur Ecclesiastica sepultura*, quæ est pœna ferendæ sententiæ. In quibusdam tamen Diœcesibus incurrunt excommunicationem ipso facto; etiam illi, qui eo tempore, quo urget Præceptum Ecclesiæ, peragunt Confessionem invalidam. Pueros impuberes Ecclesia non solet plectere similibus pœnis.

In Satisfactione

§. 256. Tertia Sacramenti Pœnitentiæ pars est *Satisfactio*, seu pœnæ acceptatio & voluntaria perpessio a Confessario injuncta ad redintegrandam amicitiam cum DEO per peccatum læsam, & ad compensandam injuriam ipsi irrogatam, pœnæque tempore definitæ reatum abolendum; nam etsi culpa condonata, æternæ mortis supplicium semper condonetur,

tur, temporaria tamen pœna non semper remittitur 41.). Satisfactionis disciplina primis Ecclesiæ sæculis severitatis plena fuit, arbitrio tamen & prudentiæ Antistitum ac Parochorum commissa. Occasione Schismatis Novatiani, ut Ecclesia collatam a Christo Sacerdotibus remittendorum criminum potestatem assereret, certiorem formam satisfaciendi constituit, distinctis quatuor pœnitentium gradibus, videlicet *Lugentium*, *Audientium Substratorum*, & *Consistentium* 42.). Hæc publica disciplinæ forma paulatim in desuetudinem abiit: nihil tamen de pœnitentiæ secreto agendæ austeritate imminutum fuit. Unde Confessariis commendatur frequens lectio antiquorum Canonum Pœnitentialium 43.), non quidem ut ad eorum exa-

41.) Vid. Theodorus Peltanus de nostra satisfactione.

42.) Vid. figura templi supra sect. I. §. 7. seqq. fuse de his agit Joan. Morinus de Sacram. Pœnit. lib. 6.

43.) Præ multis aliis sufficere potest Collectio post Decretum Gratiani: Joannis Morini post cit. Comment. de Sa-

eram

ctam normam pœnitentiæ præscribantur; sed ut Confessarii exinde discant servare aliqualem proportionem inter diversas peccatorum species, & pœnitentiam pro singulis imponendam; ac præterea inde argumentum desumant ad aperiendum pœnitentibus admissorum scelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aspera, tamque formidanda vindicta etiam in hac vita ab Ecclesia coërcebantur: qua consideratione pœnitens stimulabitur, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos ipsi injungere non attentasset 44.). Eadem enim hodie est peccatorum gravitas: eandem injuriam hodie peccata Deo irrogant: eadem hodie est Justitiæ Divinæ severitas: consequenter idem satisfactionis debitum. Eadem hodie est peccandi proclivitas, eadem carnis rebellio & concupiscentiæ furor: eadem igitur opus est refrænatione & coërcitione. Unde cum Confessarius & Medici & Judicis per-

---

cram. Pœnit. S. Caroli Borromæi in Actis Synodalib. Eccles. Mediolan. part. 2. a fol. 247.

44.) Benedictus XIV. de Synod. Dioec. lib. 7. c. 62.

personam sustineat, injungere debet satisfactionem, tum medicinalem, quæ ad infirmitatis sanitatem; tum vindicativam, quæ ad præteritorum criminum castigationem spectat. Libenter autem proportionatas suis criminibus & conditioni satisfactiones suscipient, qui vere ad DEUM conversi, vitiorum horrorem concipiunt, alias indigni absolutione.

§. 257. Opera, quibus DEO satisfacimus pro pœna temporali, ad tria genera revocantur, ad Orationem, Jejunium & Eleemosynam. Ad hæc revocantur etiam, quæ nobis à DEO infliguntur flagella & calamitates. Ut *Oratio* habeat rationem condignæ satisfactionis, debet esse frequens, fervens & humilis. Jejunia, quæ Canones Pœnitentiales plerumque præscribunt, infirmioribus commutari poterant in Orationes 45.). *Eleemosynæ* quamvis vis insit redimendi peccata 46.), nihilomi-

Per Orationem, Eleemosynam, Jejunium:

45.) *Pro uno die quem in pane & aqua jejunare debet, quinquaginta psalmos genibus flexis in Ecclesia, si fieri potest, decantet &c.* Burchard. lib. 19. c. 12. seqq.

46.) Eccli. III. 33. Daniel. IV. 24.

hilominus non debet tribui præ-
puus locus ante & extra ipsam po-
nitentiam, quæ dicitur secunda po-
naufragium tabula 47.). Qui Psal-
mos non noverat, nec jejunare po-
terat, redimere injunctam pœniten-
tiam poterat eleemosynis 48.). *Je-
junium* autem præter tempus & mo-
dum, quo Ecclesia illud præcipit,
deberet considerata gravitate pecca-
torum, & pœnitentis conditione
aliquam habere proportionem ad illa
jejunia, quæ per Canones Pœniten-
tiales præscribuntur. Quando pro
peccato gravi septem, decem, duo-
decim annis, aut per totam vitam
peragenda pœnitentia imposita fue-
rat;

47.) Benigna interpretatione opus habet Oratio illa pro Collectoribus eleemosynarum, quæ in antiquioribus Missalibus reperitur his verbis: *Deus qui post Baptismi Sacramentum secundam abolitionem peccatorum eleemosynis indidisti &c.*

48.) *Unum diem, quem in pane & aqua pœnitere debet, dives tribus denariis, & pauper uno denario redimat &c.* Burch. l. cc. c. 15. seqq. Contra abusum redimendi jejunia imposita per eleemosynas, vel aliarum orationes graviter invehitur Concilium Cloveshov. II. can. 26. & 27. anno 747.

rat; jejunium, ut etiam alia pœnitentiæ opera, ſuos gradus habebat per ſingulos annos: aliquo tempore nihil manducare licebat præter ſolum panem & ſalem; nihil bibere præter puram aquam: dein abſtinendum per plures annos a carne & vino, niſi Dominicis diebus & Feſtis: nonnunquam licebat tertiam & quintam feriam atque Sabbatum eleemoſynis redimere: jejunandum plerumque ultimis annis per tres quadrageſimas, ſcilicet ante Paſcha, ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, & ante Nativitatem Domini. Communiſſimum fuit, ut per plures annos tribus in hebdomade diebus, nempe feria ſecunda, quarta & ſexta a carne & vino, & in Germania a Medone & mellita cerviſia pœnitentes abſtinerent 49.).

§. 258. Defectum plenæ ſatisfactionis ſupplent Indulgentiæ, per quas intelligitur remiſſio pœnæ temporalis, quæ poſt remiſſam culpam luenda remanet, extra Sacramen-

Cujus defectum ſupplent Indulgentiæ.

49.) Multa diſtincte congeruntur in Decreto Burchardi lib. 19. & Ivonis part. 10. & 15.

mentum conceſſa, ab eo, q
poteſtate præditus eſt. Sumu
tur ex Theſauro Eccleſiæ; qui com
plectitur merita Chriſti Domini, &
Sanctorum omnium: hæc ultima ni
hil quidem addunt meritis infiniti
Chriſti; ſumuntur tamen in ſubſidi
um, ut pateat Sanctorum commu
nio in Eccleſia, quæ eſt Corpus my
ſticum Chriſti Domini, & ipſe ejus
dem caput, quod perficit membra
ſua, iisque veluti inſtrumentis uti
tur. Hæc Sanctorum Communio &
Fraterna charitas tam accepta eſt
DEO, ut per Sanctiora Chriſti mem
bra placatus, voluntariæ afflictionis
Sacrificium ab illis oblatum clemen
ter acceptet, non modo ut ipſis, ſed
ut & aliis quoque propitius fiat, præ
paratasque iis pœnas indulgeat. Ex
hoc Theſauro ſupplet Eccleſia, quod
nos ob infirmitatem reddere non
poſſumus, poſtquam nos pro viri
bus pro peccatis noſtris ſatisfacere
curavimus. Unde Indulgentiæ, ſi
rite diſpenſentur, non enervant Ec
cleſiæ diſciplinam, nec fovent pœ
nitentium ignaviam; ſed imbecilli
tatem noſtram erigunt, ut alacrius
reddamus, quod poſſumus. Qui
autem negligunt ſolvere debita ſua,
quan-

quantum ex propriis possunt, indigni sunt, ut ex Communi Reipublicæ ærario subsidium acquirant.

§. 259. Exemplum remissæ pœnæ Canonicæ præbet Sæculo I. Apostolus PAULUS 50.), & Joannes 51.): Sæculo secundo Martyres Lugdunenses 52.): Sæculo tertio Martyres Alexandrini 53.), & causa Libellaticorum 54.). Ipsam etiam vocem *Indulgentiæ* reperiunt Autores Catholici in Synodo LAODICENA 55.), & inter Epistolas Cypriani 56.). Prætermissis omnibus, quæ de usu & abusu

Ex usu omnium sæculorum.

50.) 2. Corinth. II.
51.) Euseb. Hist. Eccl. lib. 3. c. 23.
52.) Ibid. lib. 5. c. 1. & 2.
53.) Ib. lib. 6. c. 41.
54.) Totam hanc historiam fuse recenset Fleury Hist. Eccles. tom. 2. lib. 6.
55.) Can. 1. ubi contrahentes secundas nuptias, quæ non quidem vetitæ, nec tamen omnino impunitæ fuerunt, post exiguum tempus in orationibus & jejuniis peractum, ad communionem admittuntur κατα συγγνωμην, hoc est, prout Beveregius Scholion Zonaræ vertit, *ex Indulgentia*, seu data iis ob necessitatem a natura impositam venia.
56.) Epist. 21. Celerini ad Lucianum. Epist. 30. & 31. Cleri Romani ad Cyprianum.

usu Indulgentiarum fuse ab aliis di
putantur 57.), doctrina Concil
TRIDENTINI 58.) ob oculos fi
qua statuitur I. potestatem a Christ
Ecclesiæ datam conferendi Indulgen
tias. II. Earum usum Christian
populo maxime salutarem esse. III.
in iis concedendis moderationem,
juxta veterem & probatam in Eccle
sia consuetudinem adhibendam.

ab Ecclesia concessæ

§. 260. Indulgentias conce
principaliter Christus Dominus: i
terris autem dispensat eas nomine
Christi 59.) Romanus Pontifex 60.)
po-

57.) Theodorus a Spiritu S. Tract. de In
dulg. D. Euseb. Amort. Histor. Indulg.
RUTILIUS BENZONIUS, qui copiose scri
bit de Indulgentiis Jubilæi. FERD. DE
CASTRO PALAO, qui operis Moralis
Tractatui XXIV. de Indulgentiis adjun
Tract. XXV. de Indulgentiis Cruciatæ,
aliique innumeri cum BELLARMINO,
GRETSERO &c.

58.) Sess. 25. Decret. de Indulg.

59.) *Si quid donavi, propter vos in persona Christi.* 2. Cor. II. 10.

60.) Concilium LATERANENSE IV. can.
62. relatum c. 14. de pœnit. & remiss.
restringit potestatem Episcoporum ad In
dulgentias unius anni, vel quadragin
dierum. Notat autem FAGNANUS
cit.

potestate S. Petro concessa 61.): unde non est tantum remissio pœnæ politica, sed rata habetur in foro DEI, quia conceditur *in persona Christi.* Requiritur autem justa causa concedendi Indulgentias, *ut Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat* 62.). Cum enim pœna temporalis, quæ post dimissam culpam supereſt, jure Divino expianda sit, sine causa legitima aboleri non potest. Quantum igitur hodie minuitur rigor antiquæ disciplinæ circa pœnitentiam, tantum debet augeri fervor Charitatis, aliarumque virtutum, ut spiritus fervore delinitam corporis austeritatem compensemus.

Inter

---

cit. cap. n. 17. hanc restrictionem intelligi quoad illas tantum indulgentias, quæ fiunt publice; non tamen pro foro pœnitentiali, in quo Episcopus potest annos & dies prout vult indulgere, dummodo discrete faciat.

61.) *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Matth. XVI. 19.

62.) Extravag. 2. inter commun. de pœnit. & remiss.

Inter præcipuas remittendæ pœnæ causas est sincera & fervens pœnitentia ac animi ad Deum conversio hæc necessario supponitur, ut rigorem suum per Indulgentias remittere censeatur Divina Justitia, cui per pœnas Canonicas satisfaciendum fuisset 63.).

Fidelibus, §. 261. Suscipere Indulgentias possunt soli Fideles baptizati, & culpæ mortalis expertes. Quamvis enim necesse non sit, ut singula opera præscripta fiant in statu gratiæ, modo impleantur animo pœnitenti & affectu ab omni peccato mortali divulso: requiritur tamen status gratiæ, saltem cum ultimum opus impletur, quia tunc Indulgentia sortitur effectum suum, scilicet remissionem pœnæ temporalis, quæ remitti non potest, quamdiu culpæ reatus manet. Si vero opera præscripta non solum in peccato, sed etiam cum peccato fiant, non prosunt ad Indulgentiam. Indulgentiæ enim aliæ conceduntur certis per-

63.) Ex quibus indiciis antiqui Patres desumpserint veram conversionem, indicat MORINUS lib. 1. de Pœnit. c. 16.

personis, aliæ affiguntur certis locis; aliæ certis rebus & operibus, quæ si peccaminosa sint, nunquam annexas habebunt Indulgentias 64.). Fideliter autem & ad mentem concedentis peragenda sunt opera: si inserta sit clausula, *Contritis & Confessis*, præmittenda est confessio etiam ab iis, qui sunt in statu gratiæ. Si præscribitur *Eleemosyna*, intelligitur non quævis minima, sed conveniens qualitati personæ. Si præscribitur *Oratio*, debet esse talis, & tam diuturna, ut vere habeat rationem operis satisfactorii.

§. 262. Extenduntur Indulgentiæ etiam ad animas in purgatorio detentas, non per modum judicii & absolutionis, quia mortui non subjacent Jurisdictioni Ecclesiæ, sed *per modum suffragii;* quo intelligimus subsidium Ecclesiasticum, quod conferri potest aut merendo per opera, aut impetrando per orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversita- *Etiam Defunctis*

64.) Concilium Trident. sess. 21. c. 9. de Ref. & sess. 25. Decret. de Indulgent. noluit concedi Indulgentias ob pecunias datas, usu & nomine Quæstorum abolito.

sitatum. Aliquæ quidem conceduntur immediate & directe Defunctis, uti mortuis in bello sacro: aliæ conferuntur directe vivis, a quibus applicari possunt Defunctis.

vel partiales, vel plenariæ

§. 263. Aliquæ sunt Indulgentiæ *partiales*, quæ ad plures dies vel annos dantur, respectu habito ad antiquos Canones pœnitentiales, qui tot dies aut annos pœnitentiæ injungebant 65.). Sic conceduntur Indulgentiæ septem annorum, & septem Carenarum, seu Quadragenarum, id est remittuntur pœnæ Ecclesiasticæ, quæ jejunium septem annorum, & septem quadragesimarum imponebant. Aliæ sunt *plenariæ*, quæ totam pœnam remittunt illis, qui ad tantum beneficium suscipiendum dispositi & præparati sunt 66.).

§. 264.

65.) Hoc ipso Ecclesia manifestat, quod antiqui Canones pœnitentiales nequaquam sint aboliti.

66.) Quam moderati olim fuerint Pontifices in largiendis Indulgentiis, legi potest apud Morin. de Pœnit. lib. 10. c. 29. Baronium ad ann. 1177. n. 49. ubi patet Indulgentias olim unius anni terminum non excessisse, præterquam in ex-

pe-

§. 264. Præcipuam mentionem meretur Indulgentia Jubilæi 67.), quæ conceditur vere pœnitentibus & confessis, visitantibus Romæ Basilicas quasdam, Romanis quidem trigesies, peregrinis autem quindecies. BONIFACIUS VIII. centesimo quoque anno recurrente celebrandum determinavit anno 1300. 68.). CLEMENS VI. rogatus a Romanis reduxit ad annum quinquagesimum 69.). URBANUS VI. *Præcipue in Anno Jubilæi.*

peditione Terræ sanctæ; & fabulosum esse, quod ALEXANDER III. Anconitanis concesserit tantum Indulgentiarum, quantum arenæ possent capere ambæ manus simul junctæ.

67.) Quæcunque statuatur etymologia hujus vocis, certe intelligimus annum remissionis, & festivi gaudii, prout sumitur Levit. XXV.

68.) C. 1. Extravag. comm. de Pœnit. & remis. sicut intentio hujus Pontificis circa alia etiam sanctissima opera in pravum sensum detorquetur; ita etiam circa indictionem Jubilæi, ambitionem Bonifacii arguit ADRIANUS BAILLET Histoire des demelez du Pape Boniface VIII. avec Philippe le Bel. part. 1. §. 9.

69.) C. 2. ibid. Bulla *Unigenitus* data Avenione anno 1343. missa ad Episcopos anno 1349.

anno 1389. ad annum trigesimum tertium 70.): tandem PAULUS II. anno 1470. ad annum vigesimum quintum, quam ordinationem confirmavit SIXTUS IV. 71.), & juxta eandem primus Jubilæum celebravit anno 1475. Hæc Indulgentia præter *plenissimam* relaxationem totius pœnæ, aliis fruitur privilegiis, scilicet eligendi quemlibet Confessarium ex approbatis, qui absolvere valeat a Censuris & peccatis reservatis, votaque commutare, excepto voto Castitatis perpetuæ & Religionis. Postquam annus Jubilæus Romæ celebratus fuit, solent Pontifices eundem extendere ad alias Provincias 72.): imo etiam extra annum sanctum concedere Indulgentias plenarias ad instar Jubilæi, & cum iisdem privilegiis ob publicas gravesque cau-

---

70.) Vid. PAGI Breviar. Pontif. Rom. tom. 4. fol. 286.

71.) Extravag. 4. inter comm. de Pœnit. & Remiss. ubi etiam præter Basilicas SS. Apostolorum a BONIFACIO VIII. præscriptas, requiritur visitatio Ecclesiæ Lateranensis & ad S. Mariam Majorem.

72.) Quæstiones plurimas de Jubilæo moveri solitas resolvit BENEDICTUS XIV. occasione anni Jubilæi 1750.

causas, qualis etiam est, ut Pontifici recens electo impetretur Divina Protectio.

§. 265. Tribus pœnitentis actibus obiter declaratis, *Minister* Sacramenti Pœnitentiæ considerandus venit. Est hic solus Episcopus & Sacerdos 73.). In his præter potestatem Ordinis, requiritur etiam potestas *Jurisdictionis*, seu jus ferendi sententiam Sacramentalem in pœnitentem confessum sibi subjectum. Est vel *Ordinaria*, quæ competit ratione Officii vel Dignitatis, id est, ratione curæ animarum, quarum est Pastor: vel

Pœnitentiæ Minister opus habet Jurisdictione.

73.) Quidquid olim hac in parte ab inferioris ordinis Clericis, vel ipsis etiam Laicis, ex more præcedentium sæculorum, urgente necessitate actum fuisse legitur, id confitenti prodesse potuit ob humiliationem voluntariam: at Sacramenti rationem habere non potuit. Qua ratione autem non tantum Diaconis, sed etiam Laicis nonnunquam concessa fuerit potestas reconciliandi peccatores, tradit Morinus de Pœnit. lib. 8. c. 23. & 24. Le Druin de Re Sacram. lib. 6. q. 9. §. 2. ubi explicantur loca S. Cypriani Epist. 13. Gratiani c. 36. d. 4. de Consecr. Legatur Benedictus XIV. de Synod. Diœcesi. lib. 7. c. 15.

vel *Delegata*, quæ Sacerdoti confertur ex commissione & voluntate illius, qui habet Jurisdictionem Ordinariam, & legitime delegare eam valet 74.). Cum hæc Jurisdictio sit Voluntaria, & strepitum judicialem annexum non habeat; potest illa ex communi persuasione exerceri in aliena Diœcesi erga proprios subditos: attendenda tamen est consuetudo, ex qua argui possit tacitus consensus Pastorum, qualis etiam defacto datur circa peregrinos, qui absolvuntur a quolibet Confessario loci, ad quem perveniunt. Confessarius excommunicatus non toleratus omnem amittit Jurisdictionem 75.): toleratus valide, sed non licite absolvit. Error communis sufficit, ut Jurisdictio conferatur, sal-

tem

74.) Hæc delegatio juxta communem praxin non exspirat morte delegantis, nisi revocetur a successore. Delegatur Jurisdictio Confessario nonnunquam indirecte, quando scilicet Episcopis, Regibus, Legatis a latere datur facultas eligendi sibi Confessarium.

75.) Talem Sacerdotem non posse absolvere etiam in articulo mortis, late ostendit Fagnanus in C. non est vobis. De Sponsalib.

tem si titulus coloratus accedat. Non licet uti Jurisdictione probabili extra casum necessitatis.

§. 266. Præter Jurisdictionem necessaria insuper est Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus *Approbatio* Episcopi, ut valide excipiant Sæcularium Confessiones. Unde Regulares valide non absolvunt, etiamsi injuste rejiciantur ab Episcopo, aut approbati sint ab Episcopo alterius Diœcesis: nec audire possunt Confessiones Monialium, etiam sui Ordinis, si solummodo sunt approbati ad audiendas confessiones sæcularium: possunt tamen in loco Diœceseos, pro qua sunt approbati, ex communi consensu Episcoporum absolvere advenientes peregrinos ex aliena Diœcesi, pro qua non sunt approbati: in altera autem Diœcesi non possunt absolvere hujus Diœcesis subditos, pro qua sunt approbati 76.). Parochus Jurisdictionem in se, vel in proprias oves delegare nequit Sacerdoti non approbato a proprio Episcopo 77.): & INNOCENTIUS

& approbatione Episcopi:

76.) Clemens X. [Const. *Superna.* ann. 1670.

77.) Conc. Trid. sess. 23. c. 15. de Reform.

XI. 78.) improbat abusum, quo Confessio venialium fit simplici Sacerdoti non approbato: quia nullibi constat, Sacerdotem simplicem habere hanc Jurisdictionem immediate a Christo, vel ab Ecclesia, quam tamen habet ad absolvendum ab omnibus peccatis & censuris in articulo, vel proximo periculo mortis, absente Sacerdote approbato. Qui in tali periculo absolutus convaluerit, si censuræ alicui reservatæ obnoxius erat, quamprimum se sistere debet ei, qui absolvendi potestatem habebat; non quidem ut absolvatur (nisi de Suspensione agatur) sed ut mandatis ejus pareat, ne alioquin in eandem censuram reincidat 79.), qua de re etiam monendus est. Si agatur de sola reservatione peccati, a quo in mortis articulo fuerit absolutus,

78.) In Decreto circa Communionem quotidianam 12. Febr. ann. 1679. edito a Congregat Interpr. Concilii approbante Innocentio XI. ibi: *Non permittant* (Episcopi) *ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario.*

79.) C. 22. de Sent. excom. in 6.

lutus, si convaleſcat, ad nihil ultra tenetur 80.).

§. 267. Epiſcopus ex juſta & rationabili cauſa limitare poteſt Jurisdictionem & Approbationem ad tempus, ad perſonas, ad caſus determinatos 81.). Reſervari peccata poſſunt ab iis, qui conferunt Jurisdictionem. Reſervata *Summo Pontifici*, præter alia quædam variis Conſtitutionibus contenta 82.), habentur in Bulla Cœnæ Domini, quæ licet omnia habeant annexam cenſuram, non tamen propter ſolam cenſuram, ſed etiam propter culpam reſervata vi-

Quæ limitari poteſt

80.) Danes tom. 1. fol. 296.

81.) Juxta Conſtit. Clementis X. *Superna.* non deberet Epiſcopus limitare illos Religioſos, quos ad audiendas Confeſſiones generaliter idoneos reperit: neque omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus Confeſſiones audiendi facultatem adimere, inconſulta Sede Apoſtolica.

82.) Conſule Autores, qui ſingulares tractatus ediderunt de caſibus reſervatis. Caſum Pontifici reſervatum incurrunt etiam illi, qui Confeſſionem audiunt complicis contra ſextum Præceptum: his enim omnis Jurisdictio adempta eſt in ejusmodi complicem.

dentur 83.). *Episcopi* solent reserva-
re crimina atrociora, externa, in su-
genere per actum de se graviter pec-
caminosum consummata, quæ ma-
gnopere Ecclesiæ disciplinam læduni
scandalumque ingerunt: quamvis
in casu particulari per accidens igno-
rentur, & publica non sint. Reser-
vare autem peccata occulta, & in
quibus confitendis alias magna ti
verecundia, vix prodest. Ignoran-
tia vel inadvertentia non excusat a
reservatione, utpote quæ est subtra-
ctio jurisdictionis in Confessario
neque est solum pœnalis, sed præ-
pue medicinalis. Si dubium juris
sit circa reservationem, non potest
absolvere simplex Sacerdos approba-
tus, cum esset jurisdictio ipsius du-
bia. Si autem dubium sit facti, po-
test quilibet approbatus absolvere.
Qui ab inferiore Sacerdote absolvi-
tur a peccato dubio in materia reser-
vata, denuo illud alteri habenti fa-
cultatem absolvendi a reservatis, con-
fiteri

83.) Si hæc sententia teneatur, tenendum quoque erit, eum incurrere reservationem peccati, qui non incurrit censuram propter ignorantiam, & ex defectu contumaciæ.

fiteri debet, quando certo constat, peccatum a se patratum esse.

§. 268. Absolvere a reservatis possunt, qui ordinariam aut delegatam habent potestatem. *Ordinariam* habent, qui sibi reservant: item Superiores eorum in Jurisdictione. *Delegati* Jurisdictio vel *directe* & immediate datur Confessario; vel *indirecte*, si pœnitenti datur facultas, ut sibi eligat Confessarium, qui absolvat a reservatis 84.). Vicarius Generalis Episcopi vel Capituli absolvit a reservatis Episcopo. Summus Pontifex, Episcopus, vel Prælatus Regularis possunt eligere Sacerdotem sibi subditum, a quo absolvantur a peccatis, quæ ipsi sibi reservarunt. Episcopi juxta Concilium TRIDENTINUM 85.) possunt absolvere suos subditos a quibuscunque casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, per seipsos aut Vicarios suos: a crimine autem hæresis olim in foro conscientiæ tantum per seipsos 86.). Mendican-

Etiam reservando quosdam casus.

84.) Qui habet potestatem delegatam absolvendi a reservatis, non potest eandem subdelegare.

85.) Sess. 24. c. 6. de Reform.

86.) Hæc ultima facultas revocata est per Bul-

dicantes ab Ordinario approbati per
privilegiorum delegatam habent j absc
risdictionem ad omnes casus & c care
suras Papæ reservatas, exceptis pot
sibus Bullæ Cœnæ, & sex aliis a C vati
mente VIII. reservatis 87.). Pe sit
grinus veniens bona fide 88.) cep
alia Diœcesi, ubi commisit pecca mus
reservatum, ex constanti consuet no i
ne absolvitur in alia Diœcesi, ubi ber
lud non est reservatum: si autem iter
reservatum in utraque Diœcesi, v §
etiam solummodo in Diœcesi, in q nite
pere- App
dita
suo
Abs
con
ver
liti
test
cur
sion
tor
riu
ver
bu
ne
ad
ca
qu

Bullam Cœnæ, juxta propos. 3. ab Alexandro VII. damnatam.

87.) Casus hi sunt 1. Violatio Immunitatis Ecclesiæ in terminis Constit. Gregorii XIIII. 2. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem. 3. Duellum in terminis Concilii, & Constit. Gregorii XIII. 4. Violenta injectio manuum Clericos, juxta c. si quis suadente. Simonia realis scienter contracta. 6. Confidentia beneficialis. Vid. Quarant. Summ. Bullarii V. casus reservati. fol. 201. Pellizzarius Manual. Regular. tract. 6. c. 2. Sect. 1.

88.) Secus, si in fraudem & ex indiscedat ex propria Diœcesi, ut contendatur in alia Diœcesi, in qua peccatum non est reservatum. Clemens X. in Const. *Superna.*

peregrinus confitetur, non potest absolvi a simplici Confessario. Hic carens potestate in reservata, non potest directe absolvere a non reservatis, & indirecte a reservatis, nisi sit articulus necessitatis, quem excepisse Superiorem merito præsumimus: essetque talis absolutio omnino invalida, consequenter neque liberaret a non reservatis, quæ postea iterum deberent exponi.

Ministri Officium post auditam Confessionem.

§. 269. Legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, Jurisdictione & Approbatione instructus, post auditam Confessionem fungitur officio suo in concedenda, vel differenda Absolutione Sacramentali. Ad hanc concedendam requiritur vera conversio peccatoris ad DEUM, ut malitia peccati bene ponderata, illud detestetur; ab omnibus abstineat, quæ cum emendatione pugnant; occasiones peccandi evitet; & si peccator sit inveteratus & consuetudinarius, per longius tempus seriæ conversionis argumenta præbeat precibus, lacrymis, jejuniis &c. Disponendi igitur sunt pœnitentes tum ad peccata rite exponenda, tum ad ea detestanda; instruendique in iis, quæ scitu aut factu sunt necessaria:

nec

nec debet se Confessarius, utpo
Judicis & Doctoris personam su
nens, circa obligationes in po
rum incumbentes se accommoda
opinionibus pœnitentis, relictis pr
priis. Non licet Confessionem pe
agere absenti per literas, nec Absol
tionem ab absente obtinere 89.
Conditio de præsenti vel de præ
rito vix unquam Absolutioni appo
deberet, nisi in casu, quo dubitat
de vita illius, qui absolvendus e
conditio de futuro semper impro
banda est. Absolutioni a peccat
præmittenda est Absolutio a censur
ex præcepto Ecclesiæ. Absolution
forma est indicativa, *Ego te absol*
&c. continens actum judicialem, d
non nudum ministerium declarand
remissa esse peccata, sicut Christus
vere remisit peccata 90.). Unde ef
fectus

89.) Præsentia pœnitentis debet esse mor
lis, quæ scilicet sufficere solet inter ho
mines ad colloquendum voce altiori in
vicem in communi sermone.

90.) Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. de Pœ
nit. & can. 9. olim non tantum apud Græ
cos, sed etiam apud Latinos usque ad
sæculum duodecimum viguisse formulam
ab

fectus Sacramenti Pœnitentiæ est Reconciliatio cum DEO, imo etiam reviviscentia bonorum operum & meritorum, quæ quis antehac in statu gratiæ sanctificantis consecutus fuerat 91.). Demum Confessarius jure naturali, Divino & Ecclesiastico tenetur ad sigillum Confessionis, quod imponit gravissimam obligationem non manifestandi sive directe, sive indirecte ea, quæ sunt in Confessione audita. Si vero Confessarius pœnitentem solicitaret ad turpia, teneretur pœnitens eum deferre ad Inquisitionem; in locis autem, ubi Inquisitio non est, ad Episcopum 92.).

TITU-

---

absolutionis deprecativam, conatur demonstrare JOAN. MORINUS de Pœnit. lib. 8. c. 8. seqq.

91.) EZECH. XXXIII. 12. &c. JOEL. II. 25.

92.) Sic statuerunt plures Pontifices, quorum Decreta colligit BENEDICTUS XIV. in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ.* anno 1741.

TITULUS VII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Conf. Decretal. lib. 1. tit. 15.

§. 270.

Extremæ Unctionis

QUamvis hac Sectione de iis solum agere proposuerimus, quæ in Ecclesiis fieri solent; brevis tamen tractatio de Extrema Unctione, quæ in ædibus infirmorum plerumque confertur, a reliquis Sacramentis separanda non est, cum ejus administrandæ cura Presbytero propriæ Parochiæ incumbat.

Definitio:

§. 271. *Extremæ Unctionis* nomine intelligitur Sacramentum novæ legis, homini ægrotanti, dum inungitur exterius, ad morbi incommoda perferenda speciale auxilium conferens, peccata & peccatorum abstergens reliquias, ipsamque corporis, ubi animæ saluti expediens fuerit, sanitatem restituens. Eruitur hæc descriptio ex Catholica JACOBI Epistola 93.): *infirmatur quis in vobis? inducat Pres-*

93.) Cap. V. v. 14. 15.

Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei 94.). In quibus verbis habentur omnia ad Sacramentum novæ Legis requisita; *Materia* sensibilis, scilicet unctio Olei; *Forma*, scilicet Presbyterorum Oratio; *Institutio* Dominica, cum Apostolus ad universas Ecclesias scribens, promulgat quod a Christo Domino acceperat; denique *Effectus*, scilicet delictorum remissio, ægroti animi alleviatio ad resistendum dæmonis tentationibus, & corporis sanitas, si æternæ saluti expediat.

§. 272. Materia remota est *Oleum* olivarum 95.) ab Episcopo vel ab *Materia:*

94.) His Apostoli verbis censetur Sacramentum Extremæ Unctionis vere promulgatum ac commendatum. Nam per id quod apud S. MARCUM VI. 13. legitur, ubi Apostoli *ungebant oleo multos ægros & sanabant*, videtur Sacramentum hoc tantum insinuari tanquam per figuram, typum & symbolum. Vid. PALLAVIC. Hist. Conc. TRID. lib. XII. c. 12.

95.) Oleum saltem ex Ecclesiæ præcepto de-

alio Sacerdote ex indulto Apoſtolicæ Sedis conſecratum 96.). Hanc Olei benedictionem ex ipſa Divina inſtitutione procedere, & ideo non ſolum ex præcepto Eccleſiæ, ſed etiam neceſſitate Sacramenti adhibendam eſſe, docent graviſſimi Autores, non tamen videntur efficaciter probare 97.). Uſus hujus materiæ remotæ, ſcili-

---

debet eſſe ſimplex. Ex voce Chriſmatis, quam antiquiora quædam Concilia & Innocentius I. Epiſt. ad Decentium c. 8. adhibent, non poteſt concludi, quod olim mixtum oleo fuerit balſamum, quia per Chriſma intelligunt omnem unctionem; quamvis talis mixtio, ſi eſſet modica, non obeſſet ſubſtantiæ Sacramenti.

96.) Hoc oleum infirmorum ſingulis annis Feria V. in Cœna Domini ab Epiſcopo benedicitur, & a Parochis veteri combuſto renovatur. Id ſi forte intra annum non ſufficiat, neque aliud benedictum haberi poſſit, modico oleo non benedicto, in minore quantitate ſuperinfuſo, reparari poteſt. In Eccleſia Græca Oleum benedicitur a Sacerdotibus, cum ſe accingunt ad infirmum inungendum. Allatius de Conſenſ. Eccleſ. Orient. & Occid. lib. 3. c. 16. n. 6.

97.) Vid. Benedictus XIV. de Synod. Diœceſ. lib. VII. c. 16. Le Druin, de Re Sacrament. lib. 7. q. 2. c. 1.

ſcilicet *Unctio*, in formam crucis facta, eſt Materia proxima. Circa corporis partes inungendas diverſa diſciplina in variis Eccleſiis obtinuit: unusquisque adhæreat ſuæ Eccleſiæ Rituali 98.). Præcipiuntur Unctiones eorum membrorum, quæ ſolent peccato præ cæteris deſervire, potiſſimum quinque ſenſuum, nempe oculorum, narium, oris, aurium, manuum, denique & pedum. Urgente mortis periculo inungitur unicus ſenſus, vel Caput, e quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, pronuntiando formam univerſalem 99.).

§. 273. *Forma* extremæ Unctionis eſt Oratio, quam Sacerdos fundit, ægrotum inungendo. Eam Chriſtus non determinavit in infima ſpecie: *Forma:*

98.) Variarum Eccleſiarum ritus refert Benedictus XIV. loc. cit. c. 18. Morinus in Append. ad tract. de Pœnit. fol. m. 579. Tournely Theol. tom. 4. de Sacram. Extr. Unct. q. 2. art. 1.

99.) Vid. Coninck de Sacram. diſp. 19. dub. 3. ubi fuſius diſputat, an plures unctiones ſint neceſſariæ non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam de eſſentia Sacramenti.

unde in Ecclesia Latina & Græca diversæ sunt Orationum formulæ, eundem tamen sensum referentes. Romanæ Ecclesiæ forma est deprecativa, nempe: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum &c. deliquisti, in nomine Patris &c.*

Minister: §. 274. *Minister* hujus Sacramenti est solus Sacerdos 100.), etiam unicus 1.), & quidem Parochus, ut licite administretur 2.); vel alius Presbyter

---

100.) Vid. SUAREZ. in 3. part. tom. 4. disp. 43. sect. 1.

1.) C. 14. de Verb. signif. & ibid. GONZALEZ. in Ecclesia Græca adhibentur septem vel saltem tres. LEO ALLATIUS loc. cit.

2.) Varii Religiosi & cum ipsis communicantes habent privilegium administrandi hoc Sacramentum suis famulis, operariis & domesticis, saltem intra septa Monasterii habitantibus. Vid. SUAREZ tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 9. c. 4. n. 10. RENATUS CHOPPINUS Monasticon lib. 2. n. 38. & 41. MIRANDA Manual. Prælat. tom. 1. q. 42. art. 2. & q. 49. art. 1. ASCAN. TAMBURIN. de Jure Abbat. tom. 2. disp. 5. q. 3. disp. 6. q. 16. disp. 7. q. 3. PELLIZZARIUS Manual. Regular. tom. 2. p.

byter ab illo ſpecialiter delegatus: in caſu tamen neceſſitatis alius Sacerdos præſumit conſenſum Parochi abſentis 3.). Peccat hic contra officium Paſtoris, ſi hoc Sacramentum deneget, vel plus juſto differat cum gravi periculo infirmi, dum minus aptus erit ad ſe pro ſuſcipiendo tanto Sacramento præparandum. Hæc obligatio etiam urgeret tempo-

---

p. 1. tr. 8. c. 3. ſect. 3. & 4. LEZANA ſum. Quæſt. Regul. tom. 2. c. 16. EMAN. RODERIC. QQ. Regular. tom. 2. q. 67. art. 1. Idem poteſt fieri etiam circa extraneos & hoſpites, quando in Domibus Religioſorum ægrotant, & ad periculum mortis deducuntur. Quamvis enim tales perſonæ Parocho ſuo ſubjectæ ſint: iſte tamen parochialia exercere non poteſt intra ſepta Monaſterii, ſicuti non poteſt Sacramenta adminiſtrare ſubdito ſuo intra fines alienæ parochiæ ægrotanti.

3.) In Clem. 1. de Privileg. ſtatuitur excommunicatio reſervata in Religioſos, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ adminiſtrare, *non habita Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali*, præſumpſerint. Non tamen audiendus eſt NAVARRUS Manual. c. 27. n. 102. ubi docet, incurri hanc excommunicationem *ob adminiſtrationem factam in articulo mortis, etiamſi faciat ob defectum Parochi.*

re pestis, saltem si infirmus alia Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ non suscepisset 4.). Summopere etiam curandum, ne infirmi pauperes absterreantur a recipiendo hoc Sacramento ob stipendium Parocho solvendum 5.).

Subjectum: §. 275. Græci administrant Unctionem cuilibet Fideli pœnitenti, sive sano, sive infirmo 6.): Latini solis decumbentibus, quod magis consonat verbis S. JACOBI. Sicut autem in gravi infirmitate, quæ juxta peritos ultimum exitium minatur, non est differendum usque ad ulti-

---

4.) Vid. SUAREZ in 3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 3.

5.) REINERUS contra Waldenses c. 5. dicit, hos Hæreticos Sacramentum Unctionis reprobasse, *quia tantum divitibus dabatur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios.*

6.) Quidam excusant Græcos ex eo, quod non intendant sanis conferre verum Sacramentum, sed tantum ceremoniam alicujus sacram, seu Sacramentalem quandam benedictionem, quod etiam in Ecclesia Latina olim sæpius factum, prout exemplis confirmat BENED. XIV. de Syn. Diœc. l. 7. c. 19. n. 2. item c. 20. THIERS de superstit. part. 2. lib. 8. c. 6.

ultimum agonem ; ita neque conferendum est cuilibet infirmo, de cujus vitæ periculo, peritorum judicio non timetur; neque illis, quibus mors imminet absque corporis infirmitate, scilicet navigantibus, belligerantibus, ultimo supplicio afficiendis, mulieribus partui propinquis: bene tamen iis senibus, qui præ decrepita ætate deficiunt, & in dies videntur morituri 7.): item periclitantibus ob pestem, ob vulnus mortale, ob morsum rabidum, dummodo absit periculum irreverentiæ adversus Sacramentum. Item non administratur Extrema Unctio pueris ante usum rationis 8.); neque fatuis

7.) Sicut in his senibus ipsa gravis senectus infirmitas est, mox ducens ad interitum, licet nulla alia specialis ægritudo exterius appareat: ita etiam illi, qui Divina revelatione de propinqua morte admoniti, sano alioquin corpore sacram Unctionem petierunt, ut de S. Hedwige in Vita apud Surium 15. Octobris legitur, jam interius lethali morbo laborasse censentur. Dein aliqua in Sanctis non sunt imitanda, sed admiranda, ut monet Autor ejusdem Vitæ.

8.) Non tamen exspectanda ætas octodecim

tuis a nativitate, qui nulla habuerunt lucida intervalla; neque illis, qui in ipsa flagitii actione sensibus destituuntur: si tamen pœnitendi spatium habuerint, antequam rationis usum amitterent, sacra Unctio non est deneganda, quamvis absolutio non sit impertienda, si nullum pœnitentiæ signum dederint.

Necessitas; §. 276. Susceptio istius Sacramenti multis videtur esse sub præcepto 9.). Nam non apparet, qua ratione graviter contra charitatem & justitiam peccet Parochus, omittens administrationem ejus, si tantum ex consilio, secus ex præcepto, suscipi a Fidelibus deberet. Concilium TRIDENTINUM 10.) dicit, hanc Unctionem *Mandatum DEI* habere. Iterari potest, si infirmi post susceptam Un-

---

cim annorum, prout exigit FRIDER. NAUSEA in suo Catechismo lib. 3. c. 107. nec tempus, quo pueri admittuntur ad S. Eucharistiam: sed sufficit ætas peccati ac Confessionis capax.

9.) Vid. SUAREZ disp. 44. sect. 1. ubi non agnoscit præceptum. Aliter sentit JOAN. PONTAS in Diction. casuum Consc. verb. *Extrema Unctio*. Cas. 1.

10.) Sess. 14. de Sacram. extr. Unct. cap. 3.

Unctionem convaluerint, & in aliud simile vitæ discrimen inciderint: qua in re opus est prudenti Parochi vel Superioris consilio. Magis tamen in dubio propendendum est ad Sacramenti iterationem, utpote conformiorem veteri consuetudini Ecclesiæ 11.). Olim in multis Ecclesiis disciplina obtinuit ante Viaticum inungendi ægrotos, cum hæc Unctio sit complementum Pœnitentiæ 12.). Ubi mos iste receptus non est, servari debet disciplina passim in Rituą-

11.) Ad iterandum hoc Sacramentum sufficit, si status morbi mutatus fuerit, id est, si morbus ita remiserit, ut mortis discrimen evasisse videatur infirmus; at post Unctionem susceptam, rursus ex eodem morbo in vitæ discrimen relabatur. Vid. Van Espen Jur. Eccl. univ. part. 2. tit. 8. c. 3. n. 35. seqq. Launoius de Sacram. Unct. infirm. in nova edit. operum tom. 1. part. 1. fol. 549. seqq.

12.) Mos iste recens introductus est in Diœcesi Parisiensi. Unde P. Martineau S. J. anno 1712. in Vita Ludovici Ducis Burgundiæ, & postea Delphini pag. 273. de hoc Principe ægrotante sic scribit: *Il vouloit d' abord recevoir l' Extreme-Onction selon l' usage établi depuis quelques années dans le Diocese de Paris, & ensuite le saint Viatique.*

libus præscripta, quæ approbat
ministrationem hujus Unctionis p
omnia reliqua Sacramenta 13.).

Dispositio: §. 277. Dispositiones *Remotæ*
hoc Sacramentum sunt, ut ungend
sit baptizatus; periculose decu
bat; adultus rationis usu prædit
nulla excommunicatione innodat
Proximæ sunt, ut cum hoc Sacra
mentum sit pœnitentiæ quædam co
summatio & complementum, habe
infirmus cor contritum & humil
tum, præmisso, quantum possibi
est, Pœnitentiæ Sacramento, pr
cipue si quis peccati gravis sibi co
scius sit: ut cum magna Fiducia
Fide illud suscipiat: ut suam inte
tionem & preces cum intentione
precibus, quibus utitur Eccles
conjungat; & in Sacerdote Chr
stum Dominum instar Samarita
Evangelici non tantum corpus co
secrato Oleo, sed ipsam animam
vinæ Unctionis plenitudine uber
perfundentem venerabundus
spiciat.

§. 278.

13.) Vid. Suarez disp. 44. sect. 1. n.
Launoius loc. cit. a fol. 594. VanEsp
loc. cit. c. 2. a. n. 22.

§. 278. Tres *effectus* istius Sacramenti numerat Synodus TRIDENTINA 14.): I. Gratiam Sanctificantem conferre, cum annexis auxiliis adversus ultimos dæmonis impetus. II. Peccati reliquias abstergere, quatenus infirmitatem & defectus ex peccato originali & actuali contractos, scilicet propensionem ad malum, torporem ad bonum & gravedinem, quæ animam deprimit, expellit. III. Infirmum alleviare, erigere, & sanitatem, si expediat, restituere. Effectus istos producit gratia, quæ secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti, si invenit peccatum, tollit ipsum quoad culpam, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis 15.). Parochi igitur studeant explicare populo Sacramenti hujus dignitatem, necessitatem & saluberrimos effectus, ut depositis præjudiciis 16.), Fide- *Effectus.*

14.) Sess. 14. de Sacram. Extr. Unct. cap. 2. & Can. 2.

15.) S. Thomas in Supplem. q. 30. art. 1.

16.) Talia præjudicia apud quosdam imperi-

Fideles ipsi petant muniri & robo-
ri istius Divinæ Unctionis efficac-
simo remedio, dum adhuc ple-
rationis & sensuum usu fruuntur.

De Sacramento Ordinis remissive.

§. 279. Quæ ad Sacramentum O-
dinis pertinent, tractata sunt in se-
cunda parte harum Institutionum,
quæ de *Hierarchia Ecclesiastica* inscri-
bitur. Unde ad tractatum de *Sacra-
mento Matrimonii* transimus, de qu-
cum quotidiana moveantur dubia b-
lites, per plures Titulos agendum
est. Sit igitur

TIT.

---

peritos sunt, quod post receptam extre-
mam Unctionem non amplius liceat con-
jugatis, si convalescerent, ad conjuga-
le opus reverti; nudis pedibus incedere;
carnes comedere: quod adimatur spes
convalescendi, vel facultas condendi te-
stamentum &c. hos & similes errores u-
Parochi dedoceant populum, monent va-
riæ Synodi, nominatim WIGORNIENS.
anno 1240. cap. 19. EXORIENSIS anno
1287. cap. 6. MECHLINIENSIS anno 160-
tit. 8. c. 2. BURDIGALENS. ann. 158-
tit. 13.

TITULUS VIII.

DE SPONSALIBUS.

Conf. Decretal. lib. 4. tit. 1. 5. & 8.
Ex Sext. tit. 1.

§. 280.

PER *Sponsalia*, quæ etiam *de futuro* 17.) appellantur, intelligitur *Promissio mutua futuri Matrimonii*, ita ut uterque Sponsus & promittat alteri matrimonium 18.), & alterius promissionem acceptet; nam uno *Sponsalia*

17.) Frustra disceptatur de voce, modo constet, quid per hanc intelligatur. Sicut aliud est stipulatio de futura emptione, aliud emptio; ita etiam discrepant Sponsalia *de futuro* a matrimonio, quod nominamus Sponsalia *de præsenti*, antequam copula carnali consummetur. Unde miramur, quod multi Protestantes Doctores potius velint confusam doctrinam tradere, & a suis asseclis non intelligi, quam sequi planam & expeditam significationem Juris Pontificii circa vocabula Sponsalium *de præsenti* & *de futuro*.

18.) Ab iis, inter quos non potest constare matrimonium, non possunt contrahi vera Sponsalia.

uno quidem acceptante, non tam repromittente, simplex erit promissio, vim & effectum verorum Sponsalium non habens.

Debent esse voluntaria:

§. 281. Sponsalia debent esse voluntaria, ab omni metu, dolo, & errore immunia. Nam si circa ipsam substantiam contingat error personæ, metus gravis, dolus dans causam contractui, obligatio non inducitur. *Metus* enim opponitur conjunctioni animorum, in qua fundantur Sponsalia: nec metum inferens potest acquirere jus contra eum, quem jure naturali tenetur immunem præstare ab omni injuria & gravamine inde secuto, scilicet ab obligatione. Dein repugnat obligatio metu gravi extorta ad Matrimonium: si igitur cessante metu tale Matrimonium contraheretur, fieret forte istud ex novo consensu libero; nam ex priore obligatione sponsalitia metu extorta non tenetur coactus, alias ipsum Matrimonium contraheretur ex metu. Ille tamen, qui metum intulit, tenetur ex sua parte, si contrahere velit metum passus. *Error* accidentalis plerumque non reddit sponsalia irrita. Nihilominus si Sponsus reputaret Sponsam nobilem, divi-

tem,

tem, virginem, cum tamen non ſit; tenetur Sponſa vel patefacere hos defectus, vel abſtinere a matrimonio, ſi poſſit præſumere futuram Sponſi gravem indignationem.

§. 282. *Deliberata.* Unde infantes ante uſum rationis, quo ante ſeptennium non præſumuntur præditi, non poſſunt obligari Sponſalibus 19.). Si intra annos impubertatis contrahantur, ſcilicet a fæmellis ante annum duodecimum, a maſculis ante decimum quartum, poterit utervis, annos pubertatis adeptus, reſilire, etiamſi Sponſalia fuerint jurata 20.). Ratione *minoris* ætatis poteſt peti Reſtitutio in integrum, ſicut in aliis contractibus, cum rationes, quæ militant pro reſtituendo minore circa alios actus, nempe immaturitas judicii, gravis læſio, reſcindibilitas contractus &c. ſuadeant etiam Reſtitutionem contra inita Sponſalia; in his autem nihil occurrat, quod ſingulariter talem Reſtitutionem prohibeat. *Deliberata:*

§. 283.

19.) C. 4. & 5. de Deſponſat. impuber.
20.) C. 7. & 8. ibid.

Vera: §. 283. *Vera.* Nam ficte promittens revera non contrahit, consequenter non tenetur ex contractu, tenebitur tamen ad resarcitionem injuriæ & damni, tali simulatione illati. Pro foro quidem externo præsumitur serius animus, nisi probetur fictio.

Signo externo expressa: §. 284. *Signo externo* expressa, sive voce, sive facto, in præsentibus circumstantiis animum contrahendi Sponsalia declarante, etiam absque testibus, qui adhiberi solent, non ad valorem, sed ad meliorem probationem, & majorem honestatem. Si parentes consensum præstent, præsente & tacente filio vel filia, habentur Sponsalia pro validis, quia liberi censentur loqui per os patris, vel matris in hoc negotio Sponsalium ex singulari Juris dispositione 21.). Si contrahantur Sponsalia insciis parentibus, possunt isti petere eorum rescissionem, modo justam habeant causam se opponendi 22.).

§. 285.

21.) C. un. §. 2. eod. in 6.

22.) Differt. de Sponsalibus Academicorum &c. edita Ingolstadii 1757.

§. 285. Sponſalia ſunt vel *Abſoluta*, vel *Conditionata*. Conditiones quidem aliquæ inſunt Sponſalibus ex ipſa natura rei, vel ex diſpoſitione Juris, e. g. niſi Religionem ingreſſus fuero &c. hæ tamen conditiones relinquunt Sponſalia in terminis contractus abſoluti. *Conditionata* dicuntur, quibus adjicitur conditio honeſta de futuro contingenti: per quam ſuſpenditur obligatio usque ad eventum conditionis 23). Conditio inhoneſta e. g. ſi admiſeris flagitium, facit contractum turpem, conſequenter omni jure nullum, & etiam impleta conditione non obligantem. Si in tali caſu fingamus contractum innominatum, *facio ut facias*; rurſus intervenit turpitudo vitians contractum. Pro foro externo Judicis eſt diſpicere, quænam pars alteram ſeduxerit, & inde

abſoluta vel conditionata.

23.) Si poſt Sponſalia conditionata ſequatur copula carnalis inter Sponſos, hi receſſiſſe a conditione & conſummaſſe matrimonium cenſentur præſumptione tam forti, ut non admittatur probatio in contrarium, exceptis illis locis, in quibus obſtat Decretum Concilii Tridentini de clandeſtinis nuptiis. c. 6. de condit. appos.

conformare ſententiam juri unius & culpæ alterius 24.). Quando laborantes impedimento juris humani contrahunt ſub conditione, *ſi Papa diſpenſaverit*, vera non ſunt Sponſalia, utpote inter perſonas jure inhabiles ad matrimonium: excuſari tamen poſſunt, qui ex quadam honeſtate ſibi fidem dare intendunt, ne expenſæ pro impetranda diſpenſatione incaſſum fiant. Similiter poteſt adjici *modus*, inducens obligationem ad ſubeundum aliquod gravamen honeſtum. Item *dies*, a quo incipiant efficaciter obligare Sponſalia; vel quo finiatur obligatio, ſi interim non fuerit contractum matrimonium.

Admittunt Arrham, §. 286. *Arrha* poteſt adjici Sponſalibus, reverſura ad dantem poſt diſſoluta ex legitimis cauſis Sponſalia, vel poſt contractum Matrimonium, ſecluſa contraria conſuetudine, amittenda autem a dante, vel in duplo reſtituenda ab accipiente ſi abſque legitima cauſa reſilierit 25.). *Sponſalitia largitas* manet accipienti irre-

24.) C. 1. & 2. de adulter.
25.) L. 3. & 5. C. de Sponſalib. &c.

irrevocabiliter ſecuto Matrimonio: hoc non ſecuto redit ad dantem, niſi ex hujus culpa matrimonium non perficiatur 26.). *Pœna* hodiernis moribus videtur poſſe adjici, ſolvenda ab injuſte reſiliente 27.).

§. 287. Illi, inter quos valide & licite ſtare poteſt Matrimonium, Sponſalia contrahere poſſunt, etiam per Procuratorem, ſpeciali & non revocato mandato inſtructum. Inter Catholicam & hæreticam perſonam plerumque ſunt invalida; cum tale matrimonium plerumque ſit illicitum, dari autem non poſſit obligatio ad illicitum. *Et Procuratorem.*

§. 288. *Effectus* Sponſalium præcipuus eſt obligatio contrahendi Matrimonium, & quidem gravis pro foro interno: pro foro autem externo urgetur quidem promittens ſervare fi- *Sponſalium Effectus:*

26.) L. 15. C. de donation. ante nupt.

27.) Leges quidem veteres nolunt pœnam adjici Sponſalibus: communi tamen conſuetudine receſſum eſt ab hac Juris diſpoſitione, teſte Leone Imper. Nov. 18. Ex cap. Gemma. 29. de Sponſalib. in neutram partem aliquid probatur, cum ibi ſermo ſit de Sponſalibus infantis, utique irritis & nullis.

dem, etiam intentatis censuris: si tamen ob animi aversionem timenda essent gravia dissidia & scandala, compellendus non esset, *cum coactiones dissiciles soleant exitus frequenter habere* 28.) Si qui tamen contraherent expresse tantum sub obligatione levi, non essent vera Sponsalia, sed arbitrariæ promissiones. Si tempus implendæ promissionis non fuit adjectum, servanda fides est, quando alterutra pars rationabiliter exigit. Alius effectus Sponsalium validorum 29.) absolutæ & cum determinata persona contractorum, est *Justitia publicæ honestatis*, vi cujus utervis Sponsorum non potest valide contrahere Matrimonium cum alterius partis consanguineis in primo gradu 30.) lineæ rectæ vel obliquæ, etiam post Sponsalia

28.) C. 17. de Sponsalib.

29.) Jus antiquum dederat hunc effectum etiam Sponsalibus invalidis. c. un. de Sponsal. in 6.

30.) Ad hunc gradum & ad valida Sponsalia istud impedimentum restringit Conc. Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 3. *quamvis in ulterioribus gradibus jam non pateat hujusmodi prohibitio absque dispensatione observari.*

salia priora per mortem, vel alia ratione legitime dissoluta.

§. 289. Obligatio Sponsalium, etiam jurata 31.), nonnunquam dissolvitur utrinque, uti per mutuam remissionem, lapsum temporis finiendæ obligationi adjecti, professionem in approbata Religione, vel impedimentum matrimonii supervenions. Nonnunquam datur uni parti justa causa resiliendi, obligatione alterius permanente, e. g. per unius subsequentem fornicationem 32.); flagitium quod infamiam parit; lepram aut morbum contagiosum; supervenientem notabilem deformitatem, paupertatem, aliamve mutationem, quæ matrimonium redderet

Dissolubilitas.

31.) Si Sponsalia sint jurata, & adest justa causa dissolvendi ea, non requiritur specialis absolutio aut dispensatio in juramento, quod sequitur naturam contractus.

32.) Si uterque Sponsus fornicetur, habet Sponsus, non tamen Sponsa justam causam resiliendi. Similiter fornicatio Sponsæ antecedens ignorata præbet causam resiliendi, secus fornicatio antecedens Sponsi, quia Sponsa per fornicationem notabiliter redditur vilior: secus Sponsus ex communi æstimatione hominum.

ret notabiliter molestius. Item pe ingressum in Novitiatum, susceptor Ordines minores, vel Sponsalia sub sequentia 33.): quia talis censetur renuntiare juri suo. Item propter causas antecedentes ignoratas, quæ cognitæ retraxissent a contractu. In ejusmodi tamen casibus judicium Ecclesiæ regulariter interponi debet, nisi causa sit publica: Judex autem est Ecclesiasticus, habens jurisdictionem pro foro externo.

TITULUS IX.

DE CONTRACTU & SACRAMENTO MATRIMONII.

Conf. Decretal. lib. 4. tit. 1. &

§. 290.

Matrimonii definitio: MATRIMONIUM sumi potest vel in ratione actualis conventionis & contractus; sub qua consideratio-

33.) Sponsa prima innocens non tenetur cedere jure suo, etiamsi Sponsalia secunda fuissent juramento vel copula carnali firmata, quæ adeo sunt invalida, ut non obligent, etiamsi prima dissolvantur.

ratione vocatur etiam *connubium, nuptiæ* 34.): vel in ratione ſtatus permanentis, nexus ac vinculi, quod per contractum inducitur; & ſic vocatur etiam *conjugium, conſortium &c.* In utraque conſideratione cum debita proportione ſolet definiri, quod ſit *maris & fœminæ conjunctio maritalis, individuam vitæ conſuetudinem continens* 35.).

Varia conſideratio:

§. 291. Conſideratur Matrimonium I. ut contractus *Naturalis*, quatenus eſt in officium naturæ ad propagationem atque conſervationem humanæ ſocietatis. Sub qua conſideratione in data definitione (§.290.) intelligitur conventio, qua mas & fœmina mutuo ſibi tradunt jus in corpora, ad actus ex ſe aptos ad generationem prolis & ad individuam vitæ ſocietatem ſe obligant 36.). II. Ut contractus *Civilis*,

34.) Matrimonium inter veros contractus non eſſe numerandum, cenſet HUBERUS ad Inſtit. de Nuptiis. n. 2. Ejus argumentis reſpondet P. PLACIDUS BÖCKN ad tit. de Sponſalib. part. 2. n. 6. ſeqq.

35.) C. 11. §. verum. de Præſumpt. §. 1. Inſt. de patr. poteſt.

36.) De Matrimonio prout eſt conjunctio na-

quatenus perficitur Legibus Civilibus: & hoc intuitu definitioni solet addi vox *legitima* conjunctio. III. Ut *Sacramentum* novæ Legis, sub qua ratione possent addi verba: *Divinitus instituta in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiæ ad uniendos simul conjugum animos & prolem pie ac sancte educandam in Fide Christiana.*

Divisio: §. 292. Dividi Matrimonium solet in Legitimum, Ratum, & Consummatum. *Legitimum* est, quod præcise juxta leges Naturales & Civiles contrahitur, quale est inter infideles. *Ratum* dicitur, quod inter Christianos juxta leges Ecclesiasticas contrahitur, adeoque ratihabitionem Ecclesiæ, &, nisi aliud impedimentum ponatur, rationem Sacramenti habet. Huic si accedat conjunctio corporum per se sufficiens ad generationem prolis, vocatur Matrimonium *Consummatum.* Sub alio intuitu, & in ordine ad varios effectus, aliud Matrimonium est *civile*, *politicum* & *solemne*, in quo concurrunt solemnitates

naturalis, multa differit PUFENDORF de Jure natur. & gent. lib. 6. c. 1.

tates a Jure Civili requisitæ, uti pacta dotalia, solemnis traductio Sponsæ in domum Sponsi, consensus parentum &c. *Canonicum* & *insolemne* est, in quo adhibentur ea tantum, quæ a SS. Canonibus requiruntur. Quo refertur Matrimonium *ad Morganaticam*, seu *Conscientiæ*, in quo liberi ex fæmina inferioris conditionis nati, contenti jubentur esse portione ad suam sustentationem necessaria, conditionem tamen & dignitatem patris non participant 37.). Quæ solemne contraxit Matrimonium, proprie vocatur *uxor*: quæ absque solemnitatibus ducta est, solet etiam vocari concubina 38.).

§. 293. *Institutionem* & *Autorem* Matrimonii quod attinet, natura quidem ipsa ad generationem & amorem prolis pro conservatione humani generis inclinat; DEUS tamen voluit hanc inclinationem intra limi- *Institutio:*

37.) Vid. lib. 2. Feud. tit. 29. Inæqualia hæc matrimonia vocantur *disparagia*, de quibus Tubingenses apud BESOLDUM Cons. 88. loquuntur potius ex principiis Juris Romani, quam Germanici. vid. BOEHMER Jur. Eccl. Protest. tom. 4. de conjug. serv. §. 19. seq.

38.) C. 4. & 5. dist. 34.

tes honesti Matrimonii coërcere, a
dito etiam præcepto, *crescite & mu
tiplicamini* 39.), quo tamen non te
nentur singuli, sicuti multiplicat
humano genere non obligantur sin
guli ad agriculturam, ad ædificatio
nem, & alia hujusmodi officia com
munitati humanæ necessaria. Cum
enim Matrimonium pro utilitate
Reipublicæ ineatur, possunt multi in
Cœlibatu utilitatem hanc magis pro
movere aliis operibus, a quibus in
statu conjugali impedirentur. Deum
igitur veneremur Autorem Matri
monii, cujus naturam debemus de
sumere ex Divina institutione in Pa
radiso, quam Christus sanctificavit,
volendo ut sit Sacramentum, seu
signum conjunctionis Christi cum
Ecclesia practicum & efficax gratiæ
sanctificantis 40.). Matrimonium
jam

39.) Genes. I. 28. Hæc verba non tam præ
ceptum continent, quam benedictionem,
qualem Deus etiam impertitus est pisci
bus & avibus veri præcepti incapacibus.
Genes. ibid. 22. *Benedixitque eis dicens: Cre
scite & multiplicamini.*

40.) *Sacramentum hoc magnum est, ego au
tem dico in Christo, & in Ecclesia.* ad E
phes. V. 32.

jam ante adventum Christi erat Sacramentum in latiore & improprio sensu, quatenus cujuslibet rei sacræ signum lato modo Sacramentum dicitur, quia jam in Paradiso institutum fuit tanquam signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: unde apud omnes gentes Matrimonium æstimabatur tanquam res sacra, quamvis plerique nescirent veram ritus hujus significationem.

§. 294. *Causa efficiens* Matrimonii, prout hoc sumitur pro statu permanente, est mutuus contrahentium consensus internus, sincerus & non fictus, liber & non coactus, ab errore substantiali immunis, publicus, per verba de præsenti, aut alio signo exteriore manifestatus 41.). Ex hoc consensu resultat perpetuum animorum vinculum, in quo consistit ratio formalis Matrimonii. Hic ne- *Causæ efficiens;*

41.) Si quis simulate contraheret, teneretur dein vere & sincere consentire, tum ut resarciat injuriam illatam Ecclesiæ & parti; tum ut scandala & damna, quæ inde suboriri possent, impediat.

nexus, accedentibus verbis Mini… conjuges unientis, ex virtute Di… næ inſtitutionis diſpoſitive operat… ad gratiam, in quo conſiſtit rat… Sacramenti. Unde valde probabi… eſt, materiam Sacramenti Matrimo… nii eſſe actus contrahentium; for… mam autem conſiſtere in verbis Sa… cerdotis contrahentes conjungenti… qui proin erit Miniſter Sacrament… Matrimonii, dicendo, *Ego vos … Matrimonium conjungo*, *in nomine Pa… tris & Filii, & Spiritus Sancti*: ve… aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum 42.) Omnes fideles obſtringuntur ita ce… lebrare Matrimonium, ut ſit verum Sacramentum, contrahendo illud juxta ritus ab Eccleſia præſcriptos … his

42.) Conc. TRID. ſeſs. 24. de reform. ma… trim. c. 1. Miniſtrum Sacramenti matri… monii Sacerdotem eſſe late defendit MELCHIOR CANUS de locis Theol. lib. 8. c. 5… Contrarium latius defendit HENRICUS … S. IGNATIO Ethica amoris tom. 3. lib. … p. 2. c. 3. 4. 5. plures utriusque opinio… nis Patronos, eorumque argumenta re… fert BENEDICT. XIV. de Syn. Diœces. … lib. 7. c. 28.

his neglectis Matrimonium quidem contrahent validum, ut indissolubile, secus ut Sacramentum. Tale Matrimonium est, quod absque assistentia Sacerdotis contrahitur in locis, ubi Concilium TRIDENTINUM non est promulgatum. Unde etiam Matrimonium infidelium neque est Sacramentum, neque evadit tale post conversionem ad Fidem.

§. 295. *Finis* Matrimonii est I. Procreatio, nutritio & educatio prolis. II. Conjunctio animorum ad mutua auxilia, obsequia & officia maritalia præstanda. Præbet Matrimonium etiam licitum remedium concupiscentiæ; etsi ad hunc finem non sit institutum. *Finalis:*

§. 296. Cum Matrimonium sit verus contractus, potest inter absentes celebrari per Procuratorem, modo hic habeat speciale mandatum, determinatum ad certam personam, & non revocatum eo tempore, quo Procurator alterius nomine contrahit, qui implere debet hoc officium per seipsum, servatis limitibus mandati, & legibus Tridentinæ Synodi. Tale Matrimonium *Quomodo celebrari possit per Procuratorem,*

um erit validum in ratione cont
ctus naturalis & civilis, forte aute
nequaquam in ratione Sacrament
Habet Matrimonium analogiam cu
aliis contractibus, consequenter po
test iniri per Procuratorem in ratio
ne validi contractus: sed etiam ha
bet analogiam cum aliis Sacramen
tis, quæ non conferuntur absent
bus: consequenter non administra
tur absenti in ratione Sacramenti, se
tunc demum, quando principales
contrahentes consensum per Procu
ratores datum renovant coram Pa
rocho, eos juxta ritum Ecclesiasti
cum conjungente.

vel sub conditione. §. 297. Sicut alii contractus, ita & Matrimonium iniri potest sub Conditione honesta de futuro contingente: donec hæc impleatur, Matrimonii valor suspensus est, nisi sequatur copula carnalis, quæ ministrat præsumptionem, quod contrahentes a Conditione recesserint, adeo fortem, ut non admittatur probatio in contrarium 43.). Ob hanc aliasque rationes Matrimonia sub Conditione de futuro permitti non debe-

43.) C. 5. & 6. de condit. appos.

deberent. Si autem sit Conditio de præterito, vel de præsenti, Matrimonium mox erit absolute validum, vel invalidum, prout Conditio existit, vel non existit, etiamsi sequatur copula carnalis. Conditiones impossibiles, & turpes de futuro, quæ Matrimonii substantiam non inficiunt, pro non adjectis habentur, & Matrimonium ratum consistit. Ipsam autem Matrimonii substantiam inficiunt conditiones seu modi adjecti, qui bona Matrimonii, videlicet prolem, Fidem & Sacramentum impetunt 44.). Matrimonium sub expressa conditione perpetuæ castitatis virginalis non habet rationem veri Matrimonii. Beatissima Virgo & S. Joseph absolute contraxerunt, & mutuam corporum potestatem transtulerunt, quamvis uterque animum habuerit ab omni carnali commixtione abstinendi.

TI-

44.) C. fin. eod.

TITULUS X.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERE.

§. 298.

Impedimenta Matrimonii

DIximus (§. 291.), Matrimonium posse considerari ut contractum naturalem, ut politicum, ut Sacramentum. *In quantum ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuatio speciei, dirigitur a natura inclinante in hunc finem; & sic dicitur esse naturæ officium*, juxta dictamina Juris naturalis suscipiendum: *in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, subjacet regimini Ecclesiastico* 45.). Potest igitur Matrimonium per leges naturæ, civitatis & Ecclesiæ, certis limitibus circumscribi: quos limites intelligimus per *Impedimenta*, de quibus loquimur.

Statuuntur ab Ecclesia quoad vinculum:

§. 299. Ab ipsa natura constituuntur aliqua impedimenta e. g. error, impotentiæ &c. Plura per Moysen constituit DEUS 46.), aliique Legislatores

45.) S. Thom. lib. 4. contra gent. c. 78.
46.) Levit. XVIII.

gislatores civiles, tum gentiles, tum Christiani 47.). Demum etiam Ecclesia potestatem suam circa Matrimonia Fidelium exercuit, leges civiles autoritate sua & pœnis Ecclesiasticis roborando, novisque ordinationibus honestatem Matrimonii promovendo 48.). Unde ex ipsa perpetua traditione arguimus, hanc potestatem ad Ecclesiam deveniſſe

47.) Cod. Theodos. & Justin. tot. tit. de incest. nupt. L. 1. C. Theod. de nuptiis gentilium. L. 5. eod. Cod. ad leg. Jul. de adulter. L. 4. 17. 26. C. de nuptiis. L. 12. §. 1. & 2. L. 14. ff. de rit. nupt. L. un. C. de raptu Virg. Novell. 22. c. 10.

48.) In Oriente 1. Corinth. VII. 12. seqq. Concilium Neocæsareense ann. 314. can. 2. Ancyran. eod. ann. can. 11. S. Basilius epist. 1. Canonica ad Amphiloch. can. 6. 22. 23. 78. Can. Apost. 25. Concil. Chalced. can. 14. Synod. Trull. can. 53. 54. 98. In Occidente Tertullianus de Coron. milit. c. 13. Conc. Eliberit. can. 15. 16. 17. Siricius Papa epist. ad Himerium c. 4. & 6. qui Canones allegantur in Capitulari Aquisgran. ann. 789. can. 50. & 51. alibi 51. & 52. Innocentius I. epist. 2. ad Victricium c. 12. & epist. 9. ad Probum. Concil. Aurelian. I. ann. 511. c. 18. Sequentium sæculorum testimonia referre supersedemus.

non illegitima usurpatione, sed ju-
re hæreditario ab ipso Christo. Con-
venit enim, ut Ecclesia inter suos
Fideles ad honestatis regulas illum
præcipue contractum exigat, qui
plurimis animæ periculis est expo-
tus, simul tamen ad Spiritualem De
Civitatem amplificandam necessari-
us, & ideo etiam a Christo ad di-
gnitatem Sacramenti evectus. Sicut
igitur, licet Matrimonium sit juris
naturalis, & naturæ dictamine rega-
tur, tamen istud per leges positivas
tam Mosaicas, quam aliarum gen-
tium ad finem & officium Reipubli-
cæ politicæ directum fuit: ita etiam
cum matrimonium sit simul in Offi-
cium religionis, & inter Sacramen-
ta numeretur, decet omnino, ut
Ecclesia illud suis legibus dirigat, lon-
ge magis, quam alia Sacramenta.
Nam e. g. Baptismus est tantum-
modo Sacramentum: materia autem
ejus non dirigitur specialiter in Offi-
cium Religionis: econtra contra-
ctus, qui est materia Sacramenti
Matrimonii, ordinatur in officium
Spiritualis Civitatis DEI, & ad per-
petuitatem Ecclesiæ usque ad finem
mundi. Populus enim Fidelium per
alia Sacramenta restauratur quidem
ad

ad gratiam, non tamen ad immortalitatem: unde propagari & perpetuari debet per generationem & Christianam educationem prolis. Optimo igitur jure definivit Concilium TRIDENTINUM 49.), posse Ecclesiam circa nonnulla impedimenta, quæ in Levitico exprimuntur, dispensare, vel plura constituere. Multis quidem Sæculis Ecclesia vix alia impedimenta agnovisse videtur, quam quæ in Levitico, aut Legibus civilibus continentur, quod constat, dum Concilia Sæculi VI. vel aperte se ad Leges referunt 50.): vel ipsa verba Legum recensent 51.): vel prohibitiones Legum sola pœnæ Ecclesiasticæ adjectione firmant 52.). Nihilominus propriam autoritatem abunde ostendunt, dum Synodi AGATHENSIS, EPAONENSIS, & AURELIANENSIS decernunt, Matrimonia, quæ a legibus habentur

49.) Sess. 24. Can. 3. & 4. de Sacram. matr.
50.) MATISCON. II. c. 18. ann. 585.
51.) AGATHENS. ann. 506. can. 61. EPAON. ann. 517. can. 30. TURONENS. II. ann. 567. can. 21.
52.) Cit. EPAON. can. 32. AURELIAN. III. ann. 538. can. 10.

inceſta, non eſſe ſolvenda, ſi ante Baptiſmum ſint contracta, cum ea tempore contrahentes non fuerint ſubjecti Legibus Eccleſiæ: exiſtimant igitur Patres horum Conciliorum, Leges civiles non attingere ipſum vinculum Matrimonii niſi accedente autoritate Eccleſiæ.

a Principibus quoad effectus civiles.

§. 300. His bene perpenſis, circa poteſtatem ſtatuendi impedimenta Matrimonii, cenſemus, Matrimonium, in quantum ordinatur ad bonum politicum, ſubjacere ordinationi Legis civilis: & ideo Principes infideles poſſe ſtatuere impedimenta tam impedientia, quam dirimentia inter ſubditos ſuos infideles, ac etiam Fideles in ordine ad effectus civiles: eandem poteſtatem competere Principibus Chriſtianis, cum a Matrimonio maxime pendeat perpetuitas & tranquillitas Reipublicæ, ad quam conſervandam poteſtas Principis ordinatur: tales enim Conſtitutiones, ſi convenientes reperiantur, Eccleſia recipit. A longiſſimo tamen tempore, pietas Chriſtianorum Principum, eorumque adverſus Eccleſiam reverentia, exercitium ponendi impedimenta dirimentia, ſoli Eccleſiæ eſt relictum,

ita

ita ut, etiamsi ad effectus civiles possit Matrimonium edictis Principum irritari; in ratione tamen vinculi & Sacramenti, nisi aliter Ecclesia judicaverit, firmum integrumque consistat. Hoc sensu intelligitur decisio Concilii Triburiensis 53.): cum enim Saxonibus & Francis non liceret Matrimonium contrahere cum alienigena 54.); Synodus Matrimonium inter virum Francum & mulierem de Saxonia validum pronuntiat in ratione vinculi & Sacramenti, licet noluerit effectus civiles eidem tribuere, quos negabant leges harum nationum. Similiter Matrimonio insciis parentibus contracto Ordinationes Galliæ 55.) valorem denegant, scilicet quoad successionem Filiorum, aliosque effectus civiles: Episcopi tamen & Theologi Galliæ firma hæc esse Matrimonia in ratione Sacramenti, constanter asserunt 56.): licet politica Regni Dicaste-

53.) Relata in c. 1. de Sponsalib.

54.) De Saxonibus testatur ADAMUS *Bremensis* lib. 1. Hist. Eccl. c. 5.

55.) Harum collectionem exhibet LAUNOIUS Tom. 1. Vol. 2. fol. 1032. seqq.

56.) Vid. JOAN. PONTAS Dictionar. Cas. Consc.

ria, eorumque Advocati omnimo
dam nullitatem acriter defendar
ex analogia cum impedimento rap
tus 57.). Quando autem Eccles
nonnunquam a Principibus Laic
petiit ſuorum decretorum confirma
tionem, vel promulgationem, re
gaſſe ſolummodo cenſetur, ut eo
rum executio a Principibus impe
retur, non autem ut autoritas ſua
decretis tribueretur 58.). Cert
ipſi Principes Laici, prout ex innu
meris exemplis conſtat, cauſas ſua
matrimoniales ad Eccleſiaſticum Tri
bunal detulerunt, eorumque Le
gati præſentes Concilii Tridentini
decreta de Matrimonio venerati
ſunt,

Conſc. V. Matrimonium III. Caſ. 10. Henric. a S. Ignatio Ethic. Amor. tom. 3. lib. 8. part. 2. c. 9. fol. 682. ſeq.

57.) Vid. La Bibliotheque Canonique par M. Bouchel. tom. 2. V. Mariages. a fol. 78. Claudii Espencæi De Clandeſtinis Matrimoniis Conſilium datum ann. 1561. ante Decretum Concilii.

58.) Hic ſenſus eſt Concilii Milevitani II. can. 17. qui eſt can. 102. Codicis Canon. Eccl. Afric. *in qua cauſa legem Imperialem petendam promulgari.* Sic etiam Concilium Moguntinum ann. 813. in Præfat. rogat, decreta ſua confirmari a Carolo M. inter quæ ſunt multa de impedimentis Matrimonii.

sunt, quamvis ea non singulorum menti & postulatis conformia fuerint.

§. 301. Dum Ecclesiæ tribuimus facultatem statuendi impedimenta, intelligimus Concilia generalia & Summum Pontificem 59.). Ut enim singuli Episcopi statuant impedimenta dirimentia, non admittitur; quia hoc negotium numeratur inter causas majores, quæ reservantur Summo Pontifici, ad conservandam majorem uniformitatem disciplinæ Ecclesiasticæ. Consuetudine tamen possunt induci talia impedimenta: vim enim legis habet inveterata consuetudo 60.). *Impedimentis ab Ecclesia universa statutis*

§. 302. Impedimentis Matrimonii ab Ecclesia Catholica statutis tenentur etiam Acatholici nostris temporibus. Sicuti enim per discessum suum ab Ecclesia non se liberant ab obligatione aliarum legum, ita neque ab impedimentis Matrimonii. *Tenentur etiam Acatholici.*

59.) Aperte contra mentem Concilii Tridentini, potestatem Ecclesiæ per Reges exerceri, cavillatur LAUNOIUS tom. 1. Vol. 2. de Regia in Matrim. potest. part. 1. art. 4. c. 4.

60.) C. 1. de Cognat. Spirit.

Unde adhuc hodie Ecclesia strenue utitur sua potestate circa Matrimonia Acatholicorum. Episcopis nostris a Sede Apostolica conceditur singulariter potestas, singulis quinquenniis renovanda, dispensandi cum hæreticis conversis in contractis Matrimoniis etiam in secundo gradu, claro documento, quod Romanus Pontifex Acatholicos ligatos censeat impedimentis ab Ecclesia statutis. Hinc varia Matrimonia Acatholicorum autoritate Episcopi vel Pontificis declarata fuerunt invalida ob interveniens impedimentum Ecclesiasticum. Nolumus mentionem injicere de causis privatorum hominum: sufficiunt exempla toti Germaniæ nota circa personas illustrissimas. Tale fuit Matrimonium Christiani Principis Megapolitani cum Christiana Margaretha Gustrovensi anno 1663. Ernesti Guilielmi Comitis Bentheimensis cum Gertrude a Zelst anno 1678. Alberti Comitis Limburgensis cum Dorothea Maria Comitissa ab Hohenlohe anno 1680. Gustavi Samuelis Leopoldi Ducis Palatino-Bipontini cum Dorothea Veldentina anno 1723. Friderici Chri-

Christiani Comitis Lippiensis cum Sophia Hohenlohica anno 1725. 61.).

TITULUS XI.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

Conf. Decretal. lib. 4. tit. 4. 6. 16.

§. 303.

IMPEDIMENTA Matrimonii sunt vel impedientia, vel etiam dirimentia. *Impedientia*, quæ Matrimonium certis personis, aut temporibus illicitum faciunt, quamvis contractum valeat, magno olim numero erant: & ea quidem, quæ ex delicto oriebantur 62.), per univer-

Impedimenta Impedientia sunt

61.) Vid. Struv. Corp. Jur. publ. c. 25. §. 31. seqq. Pfeffinger ad Vitriar. Jus publ. lib. 3. tit. 2. fol. 292. seqq. Moser Diplomatisches Archiv sæculi XVIII. n. 38.

62.) Ista sub his versibus referuntur: Incestus, Raptus Sponsatæ, Mors mulieris, Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis: vel si pœniteat solemniter, aut Monialem accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum. Hæc impedimenta, eo ordine, quo in his versibus continentur,

salem consuetudinem sublata esse passim tradunt: impedimentum vero Catechismi 63.) a TRIDENTINO esse abrogatum 64.), communiter censent: unde si infans jam domi privatim baptizatus, pro supplendis ceremoniis sacris deferatur ad templum, Parochus diligenter annotabit in libro Baptizatorum, eos, qui infantem levaverunt, fuisse solummodo Patrinos Catechismi, non autem Baptismi, ne oriatur erronea opinio de contracto impedimento 65.). Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam Impedimenta Impedientia quaternario numero his versibus comprehenduntur:

Sacratum tempus, Vetitum,
Sponsalia, Votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

§. 304.

---

tur, statuuntur C. 1. & 4. de eo qui cognov. consanguin. &c. c. 34. XXVII. q. 2. c. 5. XXXIII. q. 2. c. 5. in fin. XXX. q. 1. c. 2. de pœnit. & remiss. c. 12. & fin. XXXIII. q. 2. c. 13. XXVII. q. 1.

63.) C. 5. de Cognat. Spirit. c. 2. eod. in 6.

64.) Sess. 24. c. 2. de Reform. Matrim.

65.) Vid. SANCHEZ de Matrim. lib. 7. disp. 10. n. 11. seqq.

§. 304. *Sacratum tempus.* Certis diebus & festis, orationi aut pœnitentiæ destinatis, olim ex præcepto Ecclesiæ ab usu conjugii abstinendum erat 66.). Hoc tamen tempore intra meri consilii limites continetur, quod olim severa lege erat prohibitum: & ex veteri disciplina saltem remansit prohibitio solemnitatum & celebritatum nuptialium. Diversum erat olim tempus in diversis Ecclesiis, quo solemnes Nuptiæ prohibebantur 67.): hodie determinatur per Concilium Tridentinum 68.), scilicet ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque in Octavam *Sacratum tempus.*

(66.) Canones plures refert GRATIANUS Cauſ. XXXIII. q. 4. Inter excerptiones EGBERTI *Archiep. Eborac.* can. 109. & 110. in Collect. Harduin. tom. 3. col. 1970. seq. Inter Capitula THEODORI CANTUARIENS. c. 33. apud eund. Hard. col. 1774.

67.) Concil. LAODICENS. can. 52. SALEGUSTAD. can. 3. GRATIANUS can. 8. & 10. XXXIII. q. 4. C. 4. de Feriis.

68.) Sess. 24. de Reform. Matr. cap. 10. sub nomine solemnitatum nuptialium, intelligitur etiam solemnis nuptiarum benedictio.

vam Paschatis inclusive. Ratio prohibitionis est, quia hi dies singulariter consecrati sunt pœnitentiæ & devotioni, quæ nuptialium gaudiorum Festivitatibus perturbari non debet. sicut antiquitus pœnitentes contrahere nuptias non permittebantur. Unde eruitur, non ipsum contractum Matrimonii esse prohibitum, sed potius solemnitates & publica lætitiæ signa, in nuptiis consueta. Hanc prohibitionem superstitionis arguere nemo potest, quin incurrat anathema Concilii TRIDENTINI 69.).

Vetitum: §. 305. Per *Vetitum* intelligitur prohibitio contrahendi conjugii a legitimo Judice, servato juris ordine intimata 70.): potest etiam Parochus, licet jurisdictione careat, interdicere Matrimonium, si impedimentum opponatur; rem tamen debet deferre ad Ordinarium, ut de im-

69.) Ibid. can. 11.

70.) *Non sunt causæ Matrimonii tractandæ per quoslibet, sed per Judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta Canonum non ignorent.* C. 1. de Consanguin.

impedimento cognoscat 71.). *Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit . . per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit* 72.). Eadem prohibitio potest fieri, si grave scandalum, inimicitiæ, aut alia mala ex contracto matrimonio timeantur. Si tamen hac prohibitione non obstante contrahant, validum erit Matrimonium, nisi aliud subsit impedimentum 73.): pœnitentia tamen

---

71.) *Presbyteri investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat: cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.* c. 3. princ. de clandest. desponſ.

72.) Cit. c. 3. §. fin.

73.) Josephus Angles Flor. Theolog. in lib. 4. sentent. p. 1. de Matrim. quæst. de impedim. Ordin. art. 2. videtur male docere, interdictum Ecclesiæ post Tridentinum numerari inter impedimenta dirimentia. Nec obstat decisio Alexandri III. c. 4. de Sponsa duor. ibi: *si contra interdictum Ecclesiæ publice factum venire præsumpserint, Matrimonium tam præsumptuose contractum poteris irritare.* Nam in casu hujus decisionis jam præcesserat Matri-

men contrahentibus erit imponenda 74.). Nihilominus Summus Pontifex posset apponere interdictum irritans.

Sponsalia: §. 306. *Sponsalia* de futuro cum uno contracta, nisi ipso jure, aut Ecclesiastici Judicis sententia resoluta sint, Impedimentum afferunt Matrimonio contrahendo, contractum tamen non dirimunt, quia fortius est nuptiarum, quam Sponsalium vinculum 75.). Prior Sponsus repudiatus acquirit jus resiliendi a Sponsalibus: potest tamen illud etiam retinere, & dissoluto forte per mortem hoc Matrimonio, infidelem suam Sponsam ad implenda priora Sponsalia compellere 76.).

§. 307.

Matrimonium ratum, cum alia contractum per verba de præsenti, ut patet ex integra Decretali.

74.) C. 2. De Matrim. contract. contra Interd. Eccl.

75.) C. 22. & 31. de Sponsalib. c. 1. de Sponsa duor.

76.) Quando in cit. c. 22. Sponsus contrahens Matrimonium cum alia dicitur primam fidem *irritam* fecisse, intelligitur, quod eam violaverit, nec aliud multorum Adversariorum rationes efficaciter probant.

§. 307. *Votum* intelligitur simplex Religionis, Castitatis, Sacrorum Ordinum, non nubendi &c., quod scilicet Religiosa Professio, vel Sacri Ordinis susceptio non reddidit solemne. Hoc voto impeditur Matrimonium contrahendum, contractum non dirimitur 77.). Qui post emissum votum perpetuæ castitatis contrahit Matrimonium, tenetur, nisi dispensationem aut commutationem voti impetret, servare in Matrimonio castitatem, absque præjudicio tamen juris alteri conjugi competentis. *Votum*:

§. 308. Alia quæ impediunt Matrimonium, non proveniunt ex legibus Matrimonio propriis, sed ex ratione vel omnibus Sacramentis, vel omnibus officiis Christianis communi, scilicet status peccati mortalis, defectus debitæ instructionis &c. 78.). *Et alia.*

TITU-

77.) Vota Religiosa ab hominibus Societatis Jesu statim post Novitiatum edi solita, quamvis sint simplicia, dirimunt Matrimonium contrahendum. GREGORIUS XIII. in Bulla, *Ascendente Domino* anno 1584.

78.) De hac instructione vid. CLEMENS XI. in suo Bullar. part. 2. edict. 19. n. 11. pag. 326.

TITULUS XII.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS MATRIMONII.

Conf. Decretal. Lib. 4. tit. 2. 3. 4. 7. 9. 11. 12. 13. 14. 15. ex Sext. lib. 4. tit. 2. 3.

§. 309.

Impedimenta dirimentia.

IMPEDIMENTA dirimentia Matrimonio contrahendo omnem valorem adimunt: si tamen superveniant Matrimonio jam contracto, illud non rumpunt. Talia hodie numerantur, quæ his versibus comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Si mulier sit rapta, loco nec redita tuto,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De singulis summa tantum capita recensebimus.

§. 310.

§. 310. *Error* circa ipsam perso- *Error*:
nam, cum qua contrahitur, jure naturali irritat consensum in Matrimonium. Cum enim substantia hujus contractus versetur circa personam; errantis autem nullus sit consensus 79.): hinc sequitur, taliter contrahentem non consentire circa substantiam contractus, seu, quod idem est, non contrahere. Nonnunquam error circa aliquam qualitatem redundat in ipsam personæ substantiam, quando scilicet persona aliunde nota non est, quam ex illa qualitate. e. g. ex duabus sororibus sibi aliunde minime notis intendit quis contrahere cum primogenita: si substituatur secundo genita, videtur quidem error circa qualitatem; hæc tamen qualitas in hoc casu redundat in substantiam personæ, ita ut quis contrahat revera cum alia persona, quam intenderit. Alius error circa

326. Benedict. XIV. Bullar. tom. 1. Const. 42. §. 11. Rituale Romanum inter Canones de Matrim. ultimo loco exigit, ut Parochus cognoscat, an uterque Sponsus *sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.*

79.) L. 8. & 9. C. de J. & F. I.

qualitates accidentarias non reddit Matrimonium invalidum, nisi consensus alligatus esset qualitati.

Conditio: §. 311. *Conditio.* Sicut error circa personam, ita etiam error circa conditionem servilem reddit Matrimonium irritum. Romani non agnoscebant justas nuptias inter servos suos, sed merum contubernium, juxta leges matrimoniales nequaquam judicandum 80.). Naturalis tamen *pietatis ratio* suadet, ut tali conjunctioni legitimi Matrimonii effectus tribuantur 81.): quod pridem observatum fuit apud Germanos, qui naturalis juris simplicitatem in negotiis suis sequentes, legitima servorum suorum conjugia admittebant, præcipue post promulgatam doctrinam Evangelii, juxta quam *sicut in Christo JEsu neque liber, neque servus est, a Sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos Matrimonia debent ullatenus*

80.) L. 3. C. de incest. nupt. unde PLAUTUS in Prologo Casinæ: *Quid istuc est? serviles nuptiæ? servine uxorem ducent, aut poscent sibi?*

81.) L. 35. ff. de ædilit. edict. L. 41. §. ff. de legat. 3.

tenus probiberi 82.). Nihilominus Ecclesia longo tempore toleravit, vel approbavit leges Romanas, juxta quas Matrimonium inter servos absque consensu domini non poterat consistere 83.) : postea tamen solo servorum Christianorum consensu, invitis etiam dominis constare Matrimonium, declaratum fuit 84.) : id tamen statutum, ut consensus iste non censeretur valide intercedere, quando persona libera contrahit cum servo, cujus conditionem servilem

82.) C. 1. de conjug. Servor.

83.) C. fin. XXIX. q. 2. ibi : *ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum.*

84.) Cit. c. 1. Dum Böhmerus Jur. Eccl. Prot. tom. 4. lib. 4. tit. 9. §. 6. tradit, adhuc hodie consensum domini esse necessarium in Pomerania, Westphalia & Bohemia ad valorem Matrimonii *propriorum* hominum, in quibus supersunt vestigia antiquæ servitutis; id de Catholicis nequaquam dici potest. Id alicubi receptum forte est, ut consensus domini non impune negligatur, pro quo impetrando census aliquis præstari debet, qui olim *maritagium* appellabatur. Vid. Joach. Vadian. Epist. de conjug. servor. apud Goldast. Rer. Allemanic. tom. 3. Du Cange Glossar. v. *maritagium.*

ignorat: si tamen cognita servitute vel facto (scilicet copula carnali) vel verbo consensum renovet, Matrimonium validatur 85.), modo etiam persona serva, quæ bona fide contraxit, velit permanere in Matrimonio: si vero hæc fraudulenter decepisset liberum conjugem, teneretur consentire ratione injuriæ illatæ. Si ex conjugibus unus sit liber, alter servus, partus sequitur ventrem quoad conditionem servilem, vel ingenuam 86.). Qui pœnæ servus est, potest contrahere Matrimonium, quod tamen plerumque non habebit effectus civiles, cum tales, qui ad triremes, ad perpetuum exilium, ad mortem, quam fuga declinarunt, condemnati sunt, omnia jura civitatis & familiæ amittant. Porro, quæ de servitute ignorata unius contrahentis dicta sunt, in nostris regionibus locum fere non habent, cum servitus proprie talis omnino defecerit 87.).

§. 312.

85.) C. 2. & fin. de conjug. serv. Concil. Wermeriens. c. 6. circa ann. 752.
86.) C. un. de nat. ex lib. vent.
87.) Henricus Wagnereck in Commentar. ad c. un. de nat. ex lib. ventr. notat etiam

§. 312. *Votum* hoc loco intelligitur solemne : Pontificio autem oraculo definitur, *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis* 88.). Eundem effectum habent Vota simplicia in Societate JEsu emissa post Novitiatum, ex Constitutione Pontificis 89.), qui potuit hoc decernere, cum *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa* 90.). Idem juxta antiquos Canones dicendum est de Voto Continentiæ etiam simpli- *Votum*

etiam hodie servos originarios, sive mancipia tam duris conditionibus vivere, præsertim in Westphalia, Polonia, & Bohemia, ut dubitare liceat, an non error ejusmodi conditionis Matrimonium dirimat. Verum alii passim censent, ob ignoratam hanc conditionem improprie servilem, non dirimi Matrimonium. Vid. JOANN. KUGLER de Matrimon. part. 2. c. 2. §. 2. n. 1109.

88.) C. un. de voto & vot. redempt. in 6.

89.) Vide supr. n. 77.

90.) Cit. C. un.

ci, quod facit uxor consentiens i Sacros Ordines Mariti, quod irrit sequens Matrimonium post morte mariti contrahendum 91.).


Cognatio Carnalis,

§. 313. *Cognatio* est vel Carnalis vel Legalis, vel Spiritualis. *Cognatio Carnalis* appellatur *Consanguinitas*, quasi sanguinis unitas. Est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Tota collectio Consanguineorum dicitur *Arbor* Consanguinitatis, qualem exhibet adjecta figura. In hac consideratur *Stipes*, seu persona, a qua communem originem ducunt illi, quorum conjunctio inquiritur, uti Pater est Stipes respectu Titii & sororis ejus: *Linea*, seu ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes; una *recta*, ascendentium a Titio ad Abavum, vel descendentium a Titio ad Abnepotem: altera *transversa*, complectens personas, quæ ab eodem stipite descendunt, quin una ab altera ortum ducat: hæc vel est *æqualis*, in

91.) C. 10. 11. 12. dist. 28. c. 14. dist. 35. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 40.

ad pag. 406.

Arbor Consanguinitatis.



in qua dictæ personæ æqualem habent distantiam a communi stipite, uti Titius & Soror: vel *inæqualis*, in qua una persona longius, id est, per plures generationes distat a stipite, quam altera, uti Titius & fratris liberi. *Gradus* autem est distantia major & minor unius personæ ab alia in eadem linea consanguinitatis.

Cujus Gradus

§. 314. Computatio Graduum in linea recta Ascendentium, & Descendentium eadem est in Jure Canonico & Civili, statuiturque regula: *Tot sunt Gradus, quot personæ, una demptâ*: seu *tot sunt gradus, quot generationes.* Titius a patre distat uno gradu, ab avo duobus &c. Linea transversa constat ex duabus rectis: hinc si inquiritur distantia inter Titium & Patruelem, quorum stipes communis est avus, consideranda est distantia Titii ab avo, dein etiam distantia Patruelis ab eodem avo. Et quidem Jure Civili computantur simul utriusque distantiæ gradus: cum igitur Titius distet duobus gradibus ab avo, Pātruelis itidem duobus ab eodem avo; hinc Titius a Patruele distat quatuor gradibus. Jus Canonicum respicit solummodo distanti-

am unius, & quidem remotioris, ſit linea inæqualis. Sic diſtat Titius a Patruele in ſecundo gradu lineæ transverſæ æqualis; a Patruelis filio in tertio gradu lineæ inæqualis. Pro linea æquali datur regula: *quo gradu diſtant perſonæ a communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe.* Pro inæquali: *quo gradu remotior diſtat a communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe.* Jus autem Civile eadem utitur regula pro lineis transverſis, quam uſui eſſe pro linea recta diximus. Computatione Juris Canonici utimur circa Matrimonia: Juris Civilis circa ſucceſſiones, feuda &c. 92.). Sic in *Figura IV.* adjecta Arbori Conſanguinitatis *L.* & *M.* juxta computum Juris Canonici diſtant in gradu quinto: juxta computum Juris Civilis in gradu decimo; quia uterque diſtat a ſtipite *A.* in gradu quin-

92.) Vid. c. 2. XXXV. q. 5. item §. 1. & ſeqq. Inſt. de Gradib. cognat. Doctrinam Alexandri II. de computatione Juris Canonici traditam in cit. can. 2. late defendit S. Petrus Damiani Opuſc. 8 de Parentelæ gradibus. Cujus opera plurimum uſus eſt Alexander II. & forte etiam in hac ipſa materia. Acerrime autem eandem doctrinam impugnat Franc. Hotomanus Diſput. de Gradibus Cognationis.

quinto. Sed tam *L.* quam *M.* juxta Jus Canonicum distat a *B.* in gradu quinto: juxta Jus Civile in Gradu sexto.

§. 315. Unde autem & qua occasione inducta sit ista differentia inter computationem Juris Civilis & Canonici non est opus, ut multum inquiramus 93.). Sufficit scire, quod jam a multis sæculis in computandis gradibus Consanguinitatis in ordine ad Matrimonium ineundum vel prohibendum, utamur Jure Canonico. Quod hæc computatio jam in usu fuerit tempore S. GREGORII M. communiter desumunt ex responso hujus Pontificis ac AUGUSTINUM Anglorum Episcopum 94.), ubi duorum fratrum liberi ponuntur in secundo gradu per hæc verba: *nam a*

Computatur juxta Jus Canonicum,

93.) S. AMBROS. Epist. 48. ad Paternum, usus est computatione Juris Civilis, dum Patrueles fratres ponit in gradu quarto: avunculum & neptem ex sorore in tertio. Prioris casus exemplum est in Figura VI. *d.* & *e.*: posterioris in figura I. *b.* & *d.*

94.) Hoc responsum non repertum fuisse in scriniis Ecclesiæ Romanæ, dicit S. BONIFACIUS Epist. 15. ad Nothelmum; refertur tamen a Venerab. BEDA Hist. Angl. lib. 1. c. 27. ALFORDO Annal. Angl. ad ann. 601. n. 25. HARDUIN. Collect. Concil. tom. 3. col. 511.

secunda (generatione) *quam prædix-*
mus, omni modo debent abstinere 95.).
Fatemur tamen dubiam reddi men-
tem S. GREGORII ex eo, quo-
non omnes antiqui convenerint d-
stipite seu trunco, a quo numera-
tur gradus. ISIDORUS 96.) in-
computat, ut frater & soror stipe
truncus, ex cujus radice egreditu
primus ramusculus nepos & neptis,
qui hac ratione constituerent gra-
dum primum; pronepos & prone-
ptis secundum. Si forte S. GRE-
GORIUS fratrem & sororem sumpsit
pro stipite seu trunco, dicendum
esset, eum usum computatione ju-
ris Civilis, duorum fratrum liberos
ponendo in gradu secundo, sicuti
hodie juxta eandem computatio-
nem fratrem & sororem ponimus in
secundo gradu, cum ipsum Patrem
sumamus pro stipite 97.).

§. 316.

95.) Hæc verba omissa sunt in C. 20.
XXXV. q. 2. ponuntur autem in c. 2.
ead. caus. q. 5. §. 5.

96.) C. 1. XXXV. q. 5.

97.) S. GREGORIUS videri posset eandem
servasse computationem in ordine ad Ma-
trimonium, qua Leges utuntur ad succes-
siones. Nam in can. 1. XXXV. q. 2. se-
qui-

§. 316. Causam statuendi hoc impedimentum Consanguinitatis refert S. AUGUSTINUS 98.) in propagationem charitatis, ut plures familiæ inter se socientur. *Sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.* Cum enim natura dictet singularem reverentiam erga parentes, quorum Matrimonium cum liberis lege naturali damnatur; consequens est, ut revereamur etiam eos, qui considerantur tanquam pars parentum, scilicet fratres & sorores, sanguinem paternum *Et attenduntur:*

ptimam generationem quoad Matrimonia observandam dicit, quia etiam Leges septimam generationem attendunt quoad hæreditates. Juxta hanc computandi rationem, si Fratrem & Sororem sumamus pro stipite, in Figura V. *a.* & *b.* designant fratrem & sororem, quorum liberi *c.* & *d.* erunt in gradu primo, juxta Jus Civile in gradu secundo: eorum nepotes *e.* & *f.* in Jure Canonico dicuntur distare gradu secundo; Jure Civili gradu quarto.

98.) Lib. XV. de Civit. Dei. c. 16.

num participantes. Minor reverentia insita a natura est erga avum, quam erga patrem: unde etiam minor est reverentia erga patruelem, qui est quid avi, quam erga fratrem, qui est quid patris. Sic in remotioribus gradibus semper minuitur specialis reverentia: & post plures gradus omnino evanescere videtur.

usque ad quartum gradum.

§. 317. Lege naturali in solo primo gradu lineæ rectæ dirimi Matrimonium passim docent Autores 99.): unde Pontifex in hoc gradu dispensare non posset: & infideles in eo conjuncti separari deberent, quando convertuntur. Lex Mosaica, postquam generalibus verbis vetuit, ne quis ad proximam sanguinis sui accedat 100.), nominatim damnat nuptias inter parentes & liberos: inter avos & nepotes 1.): inter fratrem & sororem 2.): Prohibet insuper ducere amitam, hoc est, patris soro-

99.) Vid. SANCH. de Matrim. lib. 7. disp. 51.

100.) Levit. XVIII. 6.

1.) Ibid. 7. 10. Prohibitio hæc in linea ascendente se extendit in infinitum.

2.) Ibid. 11. item XX. 17. & Deuteron. XXVII. 22.

sororem, aut Materteram, hoc est, matris sororem 3.). Ex paritate rationis, uti arguit S. AMBROSIUS 4.), non potest Patruus fratris aut sororis filiam ducere. Primus ex Christianis id ausus est HERACLIUS Imperator, insequente vindicta Divina 5.). Inter Constitutiones Imperatorias mentionem meretur illa, quam de Consobrinis tulit THEODOSIUS, *tantum pudori tribuens & continentiæ, ut Consobrinarum nuptias vetuerit tanquam Sororum* 6.). Hanc Constitutionem laudat S. AMBROSIUS 7.): & S. AUGUSTINUS 8.) insinuat, Matrimonium cum consobrina ante hanc Constitutionem nec Divina, nec humana lege fuisse prohibitum; raro tamen contractum propter gradum propinquitatis fraterno

3.) Levit. XVIII. 12. 13. Idem ex eadem ratione solet intelligi de Amita magna, & Matertera magna.
4.) Epist. 48. ad Paternum.
5.) NICEPHORUS in Breviar. Hist. ad ann. 610.
6.) SEXT. AUREL. VICTOR in Epitom. Histor. Augustæ circa fin.
7.) Loc. cit.
8.) De Civit. Dei lib. XV. c. 16.

terno gradui proximum 9.). Anti qui Canones impedimentum Cognationis extendebant usque ad Septimum gradum 10.): vel usque ad Sextum, juxta eorum computum, qui fratrum liberos ponunt in primo gradu 11.). Anglis ab initio conversionis suæ concessit GREGORIUS Matrimonia in tertio & quarto gradu, quam tamen indulgentiam noluit extendi ad alias provincias, neque ad ipsos Anglos pro sequentibus temporibus, *postquam firma radice in fide fuerint solidati* 12.).

In

9.) PLUTARCHUS Quæst. Roman. tom. 2. pag. 265. ait, sero apud Romanos concessum fuisse, ut ducere consobrinas liceret, additque occasionem hujus concessionis.

10.) C. 1. 7. 16. 19. XXXV. q. 2.

11.) Sic explicat ALEXANDER II. C. 2. XXXV. q. 5. In Figura V. *g.* & *h.* distant in sexto Gradu juxta Jus Civile, si frater & soror constituant ipsum truncum. Juxta hodiernum computandi modum inchoando a stipite communi, distaret per Jus Canonicum in gradu quarto; per Jus Civile in gradu octavo, sicuti in Figura IV. *i.* & *k.*

12.) C. 20. XXXV. q. 2. Epistolam FELICIS ad Gregorium, & GREGORII ad Felicem, ex qua hic Canon desumptus est, susp

In quarto Gradu ſimplici conjunctos non ſeparabant Patres Concilii Vermerienſis ann. 742. & Compendienſis anno 756. 13.). Anguſtiæ libelli non permittunt, ut fuſius enarremus hiſtoriam prohibitionis graduum per diverſa ſæcula tam in Oriente, quam in Occidente. Hodie Conſanguinitas juxta SS. Canones computata, irritat Matrimonium contrahendum usque ad quartum Gradum incluſive 14.): nec fit diſcrimen

---

ſuppoſititiam cenſet HARDUIN. Concil. tom. 3. col. 517. hoc tamen reſponſum ad Felicem refert EGBERTUS Archiepiſcopus Eboracenſis jam ſæculo octavo inter Excerptiones c. 131. apud HARDUIN. tom. 3. col. 1973.

13.) Apud HARDUIN. tom. 3. col. 1990. & 2004. utrinque C. 1.

14.) C. 8. de Conſanguin. & Affin. ex Concilio LATERANENSI IV. ſub INNOCENTIO III. *quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujusmodi prohibitio generaliter obſervari.* Schema quatuor graduum habetur Figura II. inter *b.* & *c.* Arguit BOEHMERUS Jur. Eccl. Proteſt. ad tit. de Conſanguin. §. 26. imperitiſſimum certamen inter Regios advocatos, qui ex Jure Romano & Græco propugnarunt nuptias TERESIÆ cum AL-

PHON-

men inter agnatos & cognatos, descendentes ab eodem viro vel eadem fœmina, nec inter legitime aut illegitime natos. De linea inæquali statuit Gregorius IX. quod vir, qui a stipite quarto Gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, licite possint Matrimonialiter copulari 15.).

§. 318.

PHONSO Legionensi sæculo XIII. initus; & Advocatos Pontificis, qui adhuc ex jure antiquo, quo usque ad septimum gradum prohibita erant connubia, contra easdem disputarunt, referente FRANC. MACEDO in Act. Sanctorum die 17. Jun. pag. 473. & seqq. sed fallitur BOEHMERUS; nam FRANCISCUS MACEDO aperte dicit, controversiam illam agitatam fuisse sub COELESTINO III. qui præcessit Concilium Lateranense IV. in quo INNOCENTIUS III. Cœlestini successor decretum de quatuor gradibus fecit. Defuncta quidem est B. TERESIA Regina sæculo XIII. sed separata fuit a marito propter Consanguinitatem adhuc currente sæculo XII. ad Patrem remissa anno 1195. uti notat DANIEL PAPEBROCHIUS ad dictum diem 17. Junii pag. 496. Concilium autem LATERANENSE habitum fuit anno 1215.

15.) C. 9. de Consanguin. & affin. Exemplum exhibet Figura III. inter *b.* &c.

§. 318. Cognatio *Legalis* est pro- *Cognatio*
pinquitas personarum ex adoptione proveniens, scilicet ex adoptione perfecta, quæ *Arrogatio* dicitur, & est actus legitimus, quo paterfamilias, seu qui sui juris est, autoritate vel rescripto Principis ita assumitur in filium, vel nepotem, ut transeat in potestatem & familiam adoptantis, illiusque etiam in testamento hæres necessarius efficiatur, non minus ac filii naturales 16.). Ex *Arrogatione* tantum nasci hoc impedimentum, ex eo probatur, quia hæc naturæ imitatio inventa est propter jus familiæ & agnationis, cui Adoptivus inserebatur; & sic ad ejus propagationem spectabat primario, quamvis secundario ex causa honestatis obstaculum poneret nuptiis. Unde non provenit hoc impedimentum ex adoptione imperfecta, cui nostris temporibus affinis est unio prolium.

§. 319. Hoc impedimentum statu- *Legalis*;
tum primitus fuit a legibus civilibus, approbatum autem & assumptum ab

16.) §. 3. Inst. & L. 2. C. de Adoption.

Ecclesia. Igitur Adoptans Cognationem legalem, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonii I. quasi in linea recta ad modum *Paternitatis* contrahit cum *filia* adoptata, vel descendentibus ex *filio* adoptato, in ejus potestate existentibus: consequenter non oritur cum descendentibus ex *filia* adoptata, utpote quæ suos descendentes non habet in potestate. II. Quasi in linea transversa, & ad modum *Fraternitatis* adoptatus contrahit cognationem cum liberis naturalibus simul & legitimis adoptantis, in ejus patria potestate constitutis. III. Quasi *Affinitatem* contrahit adoptans cum uxore adoptati, & vicissim adoptatus cum uxore adoptantis. *Paternitas* legalis statuitur tanquam impedimentum Matrimonii, etiam duraturum post dissolutam adoptionem 17.): *Fraternitas* legalis dirimit Matrimonium, quamdiu durat adoptio, quia adoptione per emancipationem dissoluta adoptivus quasi extraneus habetur 18.). *Affinitas* legalis est etiam

17.) L. 55. pr. ff. de rit. nupt.
18.) L. 17. L. 55. §. 1. ff. de rit. nupt. C. un. de Cognat. legal. C. 1. 5. 6. XXX. q. 3.

etiam perpetua, post emancipationem. Nam uxor adoptati, nurus loco est adoptanti: & uxor adoptantis, novercæ locum habet respectu adoptati 19.). Quamvis de Affinitate non habeamus specialem Canonem, nihilominus idem tenemus, ob generalem approbationem Cognationis ex adoptione provenientis 20.). An autem Paternitas hæc legalis dirimat Matrimonium in infinitum, & Affinitas usque ad quartum Gradum, ad modum Paternitatis & Affinitatis carnalis, ad cujus similitudinem introducta est Cognatio legalis, non opus est discutere, cum vix occurrat talis casus.

§. 320. Cognatio *Spiritualis* est propinquitas personarum ex collatione & susceptione Sacramentorum Baptismi & Confirmationis resultans, ac Jure Ecclesiastico dirimens Matrimonium inter certas personas. Introducta est ad similitudinem generationis naturalis, ut scilicet personæ per generationem spi- *Cognatio*

19.) L. 14. pr. & §. 1. ff. eod.
20.) Sanchez de Matrim. lib. VII. disp. 63.

ritualem in Baptismo & Confirmatione conjunctæ, reverentiam sibi invicem competentem præstent, quæ prohibet eas decenter Matrimonio copulari ad actus carnales. Jure novo Concilii TRIDENTINI 21.) Cognatio Spiritualis dirimit Matrimonium contrahendum inter Baptizantem, Confirmantem & Patrinos ex una; ac inter Baptizatum, vel Confirmatum, hujusque patrem & matrem naturalem ex altera parte. Non est discrimen inter Baptismum solemnem & privatum respectu Baptizantis: imo etiam respectu Patrini, si in casu necessitatis teneat infantem privatim baptizandum, non solum materialiter, ut commodius administretur Baptismus, sed cum intentione obeundi munus Patrini.

Spiritualis. §. 321. Patrini autem vel Matrinæ, quæ levant prolem ex Baptismo, non deberent esse plures, sed unus tantum, sive vir, sive mulier 22.), vel ad summum unus & una, ne scilicet propter multitudinem pro-

21.) Sess. 24. c. 2. de Reform. Matrim.
22.) C. 101. dist. 4. de Consecr.

prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahantur Matrimonia, *in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur*, ut loquitur Concilium TRIDENTINUM. Sicut autem requiritur, ut quis non quomodocunque tangat infantem, sed ex intentione agendi Patrinum juxta mentem Ecclesiæ; ita etiam contrahet hanc Cognationem, qui per Procuratorem hoc munus peragit. Debet tamen esse ejus ætatis, ut usu rationis præditus possit habere intentionem sustinendi munus Patrini. Unde Infans, cujus nomine Procurator ageret Patrinum, non contrahit cognationem 23.). Non debet Communitas integra in Patrinum eligi: est enim contra mentem Concilii Tridentini, ut tot capita Cognationem Spiritualem contrahant: si tamen id fieret, deberet unus ex illa Communitate Patrini

23.) P. Beniamin Elbel. Theol. moral. Sacram. p. 3. conf. 6. cas. 2. n. 147. dicit, constare sibi ex Rescripto quodam Consistorii Ratisbonensis, quod in ista Diœcesi ex consuetudine tale impedimentum sit introductum.

munus actu exercere suo nomine, & jussu Communitatis, non tamen ut Procurator: & ille solus dein contrahet Cognationem. Porro ut susceptio ex Confirmatione acceptetur ab Ecclesia, & pariat Cognationem Spiritualem, suscipiens debet ipse esse Confirmatus, sicuti suscipiens ex Baptismo debet esse Baptizatus 24.).

Crimen :

§. 322. *Criminis* Impedimentum 25.) contrahitur inter complices, vel ex adulterio, vel ex conjugicidio. *Adulterium* est causa hujus impedimenti, si quis vivente uxore Matrimonium cum complice de præsenti attentet, vel de futuro promittat contrahendum post mortem uxoris. *Conjugicidium* causat hoc impedimentum, si præcessit adulterium, & sequatur cædes uxoris animo contrahendi Matrimonium cum complice adulterii: vel secluso adulterio requiritur, ut ambo conspirent in eadem

---

24.) Pignatelli tom. 1. Consult. 10. De Fideli suscipiente ex Baptismo, mulieris infidelis filium. vid. Ægidius Coninck de Sacrament. tom. 2. disp. 32. n. 27.

25.) De hoc agitur in Decretalib. Tit. de eo, qui duxit, quam polluit per adulter.

dem conjugis, cum intentione contrahendi inter se Matrimonium. Si adulterium non sit formale, id est, si complex ignoret, alterum esse in conjugio, non orietur hoc impedimentum: siquis vero laboret ignorantia Juris, nesciens scilicet, hoc impedimentum dirimens esse statutum; hæc ignorantia Juris non excusat ab incurrendo impedimento criminis, cum non sit mera pœna, sed inhabilitas ad majorem honestatem Matrimonii inducta.

§. 323. *Cultus Disparitas* dirimit Matrimonium Jure Ecclesiastico, quando Fidelis cum infideli contrahit. Matrimonia hæc ob perversionis periculum, & alias graviſſimas causas semper prohibuit Ecclesia 26.): censetque S. CYPRIANUS hæc Matrimonia inter causas, ob quas DEUS intolerabili persecutione Ecclesiam suam sinebat flagellari; *jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii*, nihil aliud esse asserens, quam *prostituere* *Cultus Disparitas:*

26.) Synod. ELIBERIT. ann. 313. Can. 15. 16. 17. NICÆN. Canon. Arab. 67. CARTHAGIN. III. ann. 397. can. 12. qui est can. 21. Codicis Canon. Eccles. Afric.

tuere gentilibus membra Christi 27.). Dolet autem S. AUGUSTINUS 28.), quod *hæc suis temporibus jam non putentur esse peccata, quoniam revera in novo Testamento nihil inde præceptum est, & ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum.* Quamvis hic S. Doctor non dubitet, quin talia Matrimonia sint illicita, non tamen audet decernere, ea si contrahantur, esse invalida, & separanda 29.). Unde etiam aliqui Canones solis fœminis tanquam seduci facilioribus, ejusmodi nuptias interdicunt 30.). Nihilominus traditio & praxis Ecclesiæ demonstrat, ejusmodi Matrimonia esse invalida, quamvis aliqua ex singulari DEI dispositione cum maximo Ecclesiæ emolumento fuerint contracta, præcipue quando persona orthodoxæ copulanda spem aut promissionem fecit, se ad orthodoxam

---

27.) S. CYPRIANUS de Lapsis.
28.) Lib. de fide & operib. c. 19. n. 35.
29.) De Conjug. adulterin. lib. 1. c. 25. n. 31.
30.) Concil. CHALCEDON. can. 14. & in Commentario ad hunc Canon. CHRISTIANUS LUPUS, ubi plures ejusmodi canones allegat.

xam fidem transferendi 31.). Matrimonium Catholici cum hæretica, vel econtra, est quidem validum, si nullum aliud subsit impedimentum, illicitum tamen plerumque ob periculum perversionis aliasque multas causas 32.).

§. 324. *Vis*, seu metus gravis injuste incussus irritat Matrimonium, *cum locum non habeat consensus, ubi me-* *Vis :*

31.) De Athenaide postea dicta EUDOXIA THEODOSIO nupta SOCRAT. l. VII. c. 21. De CROTILDE Christiana CLODOVEO Francorum Regi collocata GREGOR. *Turonens.* hist. Francor. lib. 2. c. 28. seqq. P. DANIEL Hist. Franciæ part. 1. ad ann. 491. De WILA Lotharii Regis filia GODOFREDO Nortmanorum Pagano Regi desponsata, SIGEBERTUS GEMBLACENS. ad ann. 884.

De SOLDANO Iconiensi Friderici I. Augusti filiam postulante, OTTO *de S. Blasio* ad an. 1179. & GODOFREDUS Monachus. ann. 1173.

De BRUNICHILDE Gotha Ariana nupta SIGEBERTO Francorum Regi Orthodoxo, GREGORIUS *Turonensis* lib. IV. c. 27. 28.

32.) Vid. BENEDICT. XIV. de Syn. Diœcef. lib. VI. c. 5. & Bullar. tom. 1. Const. 34. agunt de his nuptiis Concilia LAODICEN. Can. 10. AGATHENSE apud GRATIAN.

tus vel coactio intervenit 33.). Nec adjectum Juramentum dat firmitatem 34.): Juramentum enim sequitur naturam contractus, cui adjicitur 35.). Alias etiam Juramentum in præjudicium boni publici non habet firmitatem 36.). Purgatur autem Metus & nullitas Matrimonii sanatur, quando sublato metu consensus sponte exprimitur, aut saltem præsumitur pro foro externo ex copula sponte habita, vel ex diuturna cohabitationeSpontanea: modo pars metum passa sciat, Matrimonium fuisse nulliter contractum; & altera pars adhuc suum continuet consensum 37.). Plura ad hanc rem applicari poterunt ex iis, quæ dicentur *De his, quæ vi aut metus causa &c.*

§. 325.

TIAN. C. 16. XXVIII. q. 1. CHALCEDON. Can. 14. BONIFACIUS VIII. c. 14. de Hæret. in 6.

33.) C. 14. 15. 28. de Sponsalib. & Matrim.

34.) C. 2. de eo qui duxit &c.

35.) C. 25. de Jurejur.

36.) Arg. c. 27. ibid. C. 12. de for. compet.

37.) C. 21. 28. de Sponsal. & Matrim. c. 4. qui Matrimonium accusare possunt.

§. 325. *Ordo* Sacer Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus dirimit Matrimonium contrahendum. Plura huc referenda sunt ex *Hierarchia Ecclesiastica Tit. IV. De Cœlibatu Clericorum.* *Ordo:*

§. 326. *Ligamen*, seu vinculum Matrimonii rati aut consummati adhuc durans cum uno, dirimit Matrimonium cum alio 38.). *Polygamia* autem non solum Jure positivo humano tam Canonico, quam Civili, sed etiam Lege Divina prohibetur 39.). Christus enim 40.) reduxit Matrimonium ad primævum statum: *adhærebit uxori suæ: erunt duo in carne una* 41.). Legibus & rationi adhuc magis adversatur *Polyviria*. *Ligamen:*

§. 327. *Honestatis* publicæ Impedimentum est propinquitas personarum, vi Juris Ecclesiastici proveniens ex Sponsalibus & obstans Matrimonio cum certis consanguineis Sponsi vel Sponsæ contrahendo. Imitatur Affinitatem: sicut enim inhonestum videtur conjungi cum consanguinea illius *Honestas publica:*

38.) C. 2. 3. 4. de spons. duor.
39.) Conc. Trid. Sess. 24. de Matrim. can. 2.
40.) Matth. XIX.
41.) Genes. II. 24.

illius, quam quis copula carnali cognovit; ita etiam indecens videtur coire in Matrimonium cum illa, cum cujus proxima consanguinea conjunctus quis fuit animo per Sponsalia. Ex Sponsalibus quidem de futuro validis extendit se hoc Impedimentum solummodo ad primum Gradum, ita ut Sponsus, etiam post dissoluta priora Sponsalia, non possit contrahere Matrimonium cum matre, sorore aut filia prioris suæ Sponsæ: hæc viciſſim cum patre, fratre & filio sui Sponsi 42.). Similiter oritur hoc Impedimentum ex Sponsalibus de præsenti, seu Matrimonio rato ad modum Affinitatis; extenditque se usque ad quartum Gradum inclusive, etiamsi Matrimonium fuerit invalidum; dummodo invaliditas non provenerit ex defectu consensus. Servanda igitur sunt jura antiqua 43.), quæ licet videantur solum loqui de Sponsalibus de futuro, merito tamen extenduntur etiam ad Sponsalia de præsenti: &

quam-

42.) Vid. supra §. 188.

43.) C. 11. 12. 14. 15. XXVII. q. 2. C. 3. & 8. de Sponsalib. & Matrim. C. un. eod. in 6.

quamvis ibidem gradus quartus non exprimatur, iſte tamen intelligitur ex paritate cum Conſanguinitate & Affinitate: Synodus autem Tridentina 44.), dum reſtringit hoc impedimentum, ſolummodo loquitur de Sponſalibus de futuro 45.). Hoc impedimentum non agit retro, id eſt, non habet effectum, quando ſupervenit Sponſalibus, vel Matrimonio jam contracto 46.), hoc ipſo, quia altera Sponſalia eſſent invalida. Aliud eſt de copula ſecuta, quæ produceret Affinitatem cum priore Sponſa.

§. 528. *Affinitas* eſt jus quoddam inter unum conjugem & alterius cognatos inſtitutum. *Affinis* ex eo quisque dicitur, quod ad alterius cognationis fines per Matrimonium conſummatum acceſſerit. Regula igitur generalis eſt: qui cum Cajo, Cajave Matrimonium contrahit, is Caji, Cajæve Cognatis Affinis eſt. Propria locutione is affinis dicitur, qui accedit per nuptias ad aliam cognationem: communi autem ſermone *Affinitas,*


44.) Seſs. 24. de Reform. Matrim. cap. 3.
45.) Sic declarat Pius V. in Conſtit. *ad Romanum.* ann. 1568.
46.) C. un. de Sponſalib. in 6.

ne illi etiam Affines dicuntur, a quos uxor per conjugium Cognat accedit. Sic Uxor Caji proprie est Affinis parentibus Caji: vulgari autem sermone, & ut sic loquar, passive, etiam parentes Caji dicuntur Affines uxoris Caji. Gradus quidem proprie loquendo in Affinitate non sunt: vocabulum tamen istud etiam ad Affinitatem transferre solemus, ita ut juxta distantiam graduum Consanguinitatis, computentur etiam diversi Gradus Affinitatis, observata scilicet hac universali regula: Uxor fit affinis consanguineis mariti sui, & quidem in eo gradu, in quo illi sunt consanguinei marito. Et viciſſim, Maritus fit Affinis consanguineis uxoris suæ, in eo Gradu, in quo isti sunt Consanguinei uxoris. Non opus igitur est Arbore Affinitatis distincta ab Arbore Consanguinitatis. Si enim ex supra posita Arbore Consanguinitatis constat, quod Titius sit in secundo Gradu Consanguinitatis cum Patruo suo, & in primo cum fratre suo: hoc ipso scimus, quod Titii uxor sit in secundo Gradu Affinitatis cum eodem Patruo mariti sui, & in primo cum fratre mariti.

§. 329.

ad pag. 431.

Schema Affinitatis.



§. 329. Nihilominus, ut assuesca-mus etiam nominibus, quibus Le-ges denotare solent Affinitatis con-junctiones, apponimus schema Affi-nitatis. Principium Affinitatis est conjunctio Caji & Cajæ conjugum. Cajus est Affinis omnibus Consan-guineis uxoris suæ: unde hos Con-sanguineos posuimus ex parte Caji, ut statim appareat, quos habeat af-fines. Ex parte vero Cajæ posui-mus Consanguineos Caji, tanquam Affines Cajæ, ita ut Caja ad digno-scendam Affinitatem subintret in lo-cum, quem tenere deberet Cajus in ordine ad discernendos gradus Con-sanguinitatis. Parit hæc Affinitas varia nomina. Caji Pater respectu Cajæ dicitur *Socer*: hæc autem re-spectu soceri dicitur *Nurus*. Avus Caji respectu Cajæ est *Prosocer*: hæc respectu Prosoceri est *Pronurus* 47.). Frater Caji respectu Cajæ dicitur *Levir*: *Cujus Schema exhibetur*,

47.) *Socrus appellatione non tantum uxoris meæ mater, sed & avia & proavia intelligitur.* L. 14. §. 4. ff. de rit. nupt. *Nurus appellatione non tantum filii uxor, sed & nepotis & pronepotis continetur, licet quidam has Pronurus appellant.* ibid. & L. 6. ff. de gradib.

Levir: hæc reſpectu Leviri dicit
Fratria. Filius Caji ex alio Matr
monio natus, reſpectu Cajæ e
Privignus: hæc reſpectu Privigni e
Noverca 48.). Eodem modo pro
ceditur ex latere Caji, ubi ponun
tur Conſanguinei Cajæ, quibus
Affinis Cajus. Cum autem hoc lo
co agatur præcipue de Affinitat
Matrimonium dirimente; hinc ex
parte Caji tantum nominantur fæmi
næ Affines; ex parte Cajæ tantum
nominantur maſculi Affines. Cer
tum enim eſt, quod Cajus ſit Affi
nis tam fratri, quam ſororiſuæ uxo
ris, reſpectu quarum perſonarum ap
pellatur *Sororius*: nihilominus ſolum
modo apponitur nomen *Gloris*, ſub
quo nomine etiam intelligitur frater
illius. Vocabula igitur Italico Cha
ractere expreſſa denotant relatio
nem, quam habet Cajus & Caja ad
Affines ſuos: e. g. quod ſit illorum
Gener, *Nurus* &c. Alius Character
denotat nomina, quibus appellan
tur illi, ad quorum cognationem
Cajus

48.) *Privigna non ſolum ea mihi intelligitur quæ uxoris filia eſt, ſed & neptis & pro neptis.* L. 14. cit.

Cajus vel Caja per nuptias accedit: e. g. Socer, Glos, Levir &c. Lineæ autem ductæ a quibusdam personis ad alias denotant descensum carnalem unius ab altera. Sic Socer est Pater Leviri, & Avus descendentium a Leviro: Idem Socer est Pater Caji mariti. Vicissim Socrus est mater Cajæ uxoris: simulque mater Gloris & avia descendentium ex Glore. Ubi notandum, quod Levir non modo viri, sed etiam uxoris frater dicatur: uti Glos non modo uxoris, verum etiam Viri Soror dicitur. Unde post Levirum posuimus Leviri, vel Gloris Filium: & ex altera parte Gloris vel Leviri Filiam.

§. 330. Schema hoc duos solumodo gradus comprehendit, tum quia ulteriores Affines non habent specialia nomina; tum quia facile hi duo gradus extrahuntur ad plures eo modo, quo istud fit in arbore Consanguinitatis. Jam igitur Impedimentum Affinitatis se extendit ad quatuor gradus, ita ut uxor mortuo suo marito, non possit ducere ullum ex iis, qui in primo, secundo, tertio vel quarto gradu fuerunt Consanguinei suo defuncto marito. Vicissim Cajus nullam potest ducere

Usque ad quartum gradum ex legitimo Matrimonio:

fæminam, quæ cum ſua uxore erat conjuncta in primo, ſecundo, tertio vel quarto gradu Conſanguinitatis. Hinc quando inquiritur in Affinitatem duarum perſonarum, debet illa perſona, quæ per matrimonium ſuum dedit cauſam Affinitati, accedendo ad cognationem alteram, poni in loco Caji vel Cajæ, & indagari altera perſona, de qua quæritur, donec inveniatur gradus Affinitatis. Quæratur, qualem Affinitatem habeat Sempronius cum Alexii nepotis ſui uxore: hæc uxor ponatur in loco Cajæ, utpote quæ accеſſit ad cognationem Sempronii, & dedit cauſam hujus Affinitatis per ſuum Matrimonium. Hujus igitur uxoris maritus Alexius, cum dicatur nepos Sempronii, habebit Sempronium avum, illum ipſum, qui in ſchemate dicitur *Proſocer*: ſicut igitur Sempronius nepotem ſuum habet conjunctum ſibi in ſecundo gradu Conſanguinitatis; ita habebit uxorem nepotis conjunctam ſecundo Affinitatis gradu. Sic licet pergere ad ulteriores Aſcendentes. Si potius lubeat adhibere Arborem Conſanguinitatis, conjun-

illius

illius personæ, quæ per nuptias contraxit Affinitatem scilicet Alexius, ponenda est in loco Titii vel Titiæ, & inquirenda altera persona, de qua quæritur, scilicet Sempronius: hæc si reperiatur inter Consanguineos conjugis, seu Alexii, hoc ipso constabit de Affinitate hujus personæ, cujus fuerat conjux Alexius. Unde sequitur, & notandum venit, nullius Affinitatis suspicionem posse esse inter duas personas, quarum neutra unquam fuit in conjugio: neque etiam ullam oriri Affinitatem inter cognatos mariti & cognatos uxoris, quia sola uxor accedit ad cognationem mariti, & solus maritus ad cognationem uxoris: cognati autem utriusque conjugis nulla ratione ad se invicem accedunt 49.). Hinc

49.) Græci aliqui aliter senserunt. Hinc in Figura I. Schemati Affinitatis adjecta, prohibitas credebant nuptias inter *b.* & *i.* dicebantque has duas personas esse in sexto Affinitatis gradu conjunctas juxta computum Juris Civilis. Nam inter duas consobrinas *d.* & *i.* intercedit gradus quartus: inter duos fratres *b.* & *c.* gradus secundus: qui simul conficiunt gradum sex-

duo fratres possunt ducere duas so-
rores ex alia familia 50.): duo pri-
vigni, scilicet filius mariti ex ali
uxore, & filia uxoris ex alio mari
possunt inter se Matrimonium con-
trahere 51.): Pater & filius possu
ducere matrem & filiam ex alia fa
milia 52.). Vitricus uxorem Pri
vigni 53.): Filius Vitrici privigna
hujus

---

sextum. Unde DEMETRIUS CHOMA-
TENUS Archiepiscopus Bulgariæ apu
LEUNCLAV. Jur. Græco-Rom. lib. I
pag. 313. statuit, fieri non posse, ut du
fratres ducant duas consobrinas uxores
Idem docet MATTHÆUS BLASTARES
in Syntagm. lit. B. c. 8. apud BEVERE
tom. 2.

50.) Exemplum est in Fig. II. ubi *b.* &
ponuntur fratres ex familia *a.* dein *d.* &
f. duæ sorores ex familia *e.* Potest igi
tur stare matrimonium inter *b.* & *d.* item
inter *c.* & *f.*

51.) L. 34. ff. de rit. nuptiar. L. 134. ff. de
Verb. oblig.

52.) Exemplum præbet Fig. III. ubi *a.* pa
ter & *c.* filius simul ducunt matrem *b.*
filiam *d.*

53.) De hoc casu vid. BENEDICTUS XIV
de Synod. Diœc. lib. VII. c. 39. Scher
exhibetur in Fig. V. ubi *a.* est Vitric
respectu *c.* privigni, quem mater *b.* g
nuerat ex alio matrimonio. Mortua
uxo

hujus Vitrici 54.) : Viduus, qui mariti defuncti sororem in Matrimonio habuerat, potest ducere viduam relictam hujus mariti 55.).

§. 331. Hæc dicuntur quidem de Affinitate orta ex justis nuptiis: nihilominus applicari etiam debent Affinita- *usque ad secundum ex illicito concubitu.*

uxore sua *b.* ejusque filio *c.* potest vitricus *a.* ducere relictam privigni uxorem *d.* Contraria quidem est Lex 15. ff. de rit. nuptiar. Sed abolita per C. 8. de Consanguin. & Affin. quo aboletur secundum & tertium genus Affinitatis, absque discrimine inter lineam Ascendentium vel Collateralium. Contrarii etiam fuerunt nonnulli Græci, qui nullos gradus Affinitatis observandos, sed id solum cavendum censuerunt, ne ulla interveniat confusio circa generis appellationes, uti videre est apud MATTH. BLASTAREM loc. cit. In præsenti autem casu Vitricus *a.* privignum *c.* habet loco filii, consequenter ejus uxorem *d.* loco filiæ : ideo credebant Matrimonium inter ipsos stare non posse.

54.) Schema habetur in Fig. III. ubi Filius *c.* ducit uxorem *d.* quæ est Privigna Patris *a.*

55.) Schema formatur in Fig. VI. ubi maritus *d.* erat conjunctus uxori *b.* cujus frater *c.* habebat uxorem *e.* mortua sorore *b.* & fratre *c.* viduus *a.* potest ducere viduam *e.*

finitati ortæ ex illicito concubitu, per quem vir & mulier una fiunt caro, hoc solo discrimine, quod ista Affinitas ex copula fornicaria solummodo Matrimonium dirimat in primo & secundo gradu 56.): ex legitimo autem Matrimonio etiam in tertio & quarto gradu 57.). Unde si quis commisceatur fœminæ, quæ in primo, vel secundo gradu Consanguinitatis attingat Sponsam suam de futuro, contrahet cum hac Sponsa sua Affinitatem, proin etiam impedimentum contrahendi cum eodem Matrimonium. Si quis vero maritatus ejusmodi flagitium committat cum Consanguinea uxoris suæ, Affinis quidem revera fiet uxori suæ; cum tamen vinculum Matrimonii rumpi non possit, eum saltem effectum habebit hæc Affinitas, ut talis incestuosus adulter petere non possit debitum conjugale, reddere tamen innocenti teneatur 58.).

cri-

56.) Conc. Trid. sess. 24. de Reform. Matr. c. 4.

57.) C. 8. de Consanguin. & Affin.

58.) C. 1. De eo, qui cognov. Consangui. Multi docent, ab hac pœna, qua qu. pr.

crimen innoteſceret innocenti uxori, haberet hæc haud dubie ſufficientem cauſam abſtinendi a conſortio mariti, quod Sacri Canones quidem ſuadent, non tamen ſub obligatione imponunt 59.). Porro ſicut impedimentum non contrahendi cum Affine, ortum ex copula illicita, ita etiam pœna non petendi debitum a conjuge affine, non excedit primum & ſecundum gradum.

§. 332. Abolitum etiam eſt Jus antiquum 60.), quo ſtatuebatur ſecundum & tertium Affinitatis genus. Sic Caja uxor Caji eſt Affinis ſocero ſuo, quod primum eſt Affinitatis genus: mortuo Cajo, Matrimonium contrahit Caja cum Sempronio; hic erit Affinis ſocero Cajæ in ſecundo Affinitatis genere: poſt mortem Cajæ Sempronius ducit Titiam; ſic oritur tertium Affinitatis genus inter dictum Socerum & Titiam, juxta vulgatam olim regulam, tot eſſe Affinitatis genera, quot ejus-

Abrogatum eſt ſecundum & tertium genus Affinitatis.

---

privatur jure jam quæſito, excuſare ignorantiam, non ſolum facti, ſed etiam Juris.

59.) C. 10. & 11. ibid.

60.) C. 1. ſeqq. XXXV. q. 10. & C.. 12 ead. cauſ. q. 3.

dem Affinis Matrimonia 61.). Quamvis S. Gregorius 62.) existimet, hoc Affinitatis genus firmatum esse in Verbo Divino, nihilominus Innocentius III. istud abolevit in Concilio Lateranensi IV. 63.).

§. 333.

61.) Schema repræsentatur in Fig. IV. ubi Socer *a.* ob nuptias filii sui *b.* primo Affinitatis genere attingit nurum suam *c.* hac post mortem mariti *b.* nuptias contrahente cum *d.*, cum eodem *d.* secundo Affinitatis genere conjungitur socer *a.* & denum etiam tertio Affinitatis genere cum *e.*, quam mortua nuru *c.* uxorem ducit alter maritus *d.*

62.) Cit. can. 1.

63.) C. 8. de Consanguin. & Affin. Hetomanus Disp. de Gradib. Consang. & Affin. fol. 275. dicit quidem, doctrinam de pluribus Affinitatis generibus ab omni sensu alienam esse: & tamen inferius admittit prohibitionem nuptiarum in quibusdam casibus ex secundo Affinitatis genere; & ponit universalem regulam: *cujus non liceat inire nuptias, ejus nec cum jugis liceat.* Quæ regula si illimitate formatur, manifeste inducet secundum Affinitatis genus. Unde etiam non probat Matrimonium cum matre vitrici, vel cum filia generi: approbat vicissim Legem 15. ff. de Rit. Nupt. ubi non primum, sed potius secundum Affinitatis genus intervenit, ut supra dictum Not. 53.

§. 333. Affinitas hæc non est inventum Juris positivi, sed in ipsa honestate naturali fundatur. Unde apud omnes gentes dantur Specialia nomina hanc Affinitatem denotantia. Cajus igitur *Generi* nomen & reverentiam gerit erga *Socrum* tanquam filius: *Glos* est ipsi loco sororis: loco filiæ est *Privigna*: Titulum *Soceri* gerit erga uxores filii, nepotis ac pronepotis, hosque omnes vocat *Nurus* suas: *Novercam* habet tanquam matrem, veniuntque illo nomine patris, avi & proavi uxores. Qui autem inter se Affinitatis causa, parentum liberorumque loco habentur, Matrimonio copulari nefas est 64.). Huic decentiæ naturali singularem vim addidit Lex Mosaica, ubi prohibetur commercium carnale Privigni cum Noverca 65.): Vitrici cum privigna; item cum privigni vel privignæ filia 66.): Generi cum Socru 67.): Soceri cum Nuru 68.):

64.) L. 4. §. 7. ff. de Gradib.
65.) Levit. XVIII. 8. item XX. 11. Deuteron. XXVII. 20. item 1. Cor. V. 1.
66.) Levit. XVIII. 17.
67.) Levit. XX. 14. Deuteron. XXVII. 23.
68.) Levit. XVIII. 15.

Leviri cum uxore fratris 69.): Ne
potis ex fratre cum uxore patrui 70.)
Sororii cum Sorore uxoris, hac vi
vente 71.). Has prohibitiones etiam
assumit Ecclesia Catholica, & ad plu
res, scilicet quatuor gradus extra
dit.

Impotentia.

§. 334. *Impotentia* ad actus conju
gales, generationi prolis inservien
tes, jure naturali dirimit Matrimo
nium contrahendum, si sit antece
dens & perpetua, sive ortum habeat
ex defectu naturali, sive ex acci
denti v. g. ex castratione, maleficio 72.); sive sit absoluta, sive re
spectiva; modo per naturalia, vel

Spi-

69.) Ibid. 16.

70.) Ibid. 14.

71.) Ibid. 18. Quos gradus Affinitatis pro
hibitos tradant hodierni Rabbini, videre est apud SELDENUM in uxore Hebraa. BODENSCHAZ Kirchliche Verfassung der heutigen Juden. part. 4. c. 4. sect. 1.

72.) De Superstitionibus ad maleficia infe
renda, evitanda, vel solvenda circa Ma
trimonium, videri potest THIERS de
superstitions part. 2. lib. 10. ad cujus
nem Editor operis dicit: *on est revenu de cette croyance, que le Demon & ses sa
pots puissent empecher la consommation du mariage.*

Spiritualia media absque miraculo, aut absque mortis periculo tolli non possit. Si impotentia est dubia, conceditur cohabitatio per triennium 73.). Si est certa, possunt cohabitare instar fratris & Sororis 74.): aut separationem autoritate Judicis Ecclesiastici petere, qui auditis probationibus & adhibito testimonio Medicorum, Chirurgorum, aut honestarum matronarum, nullitatem Matrimonii declarabit, facta illi, qui non est impotens, potestate aliud Matrimonium ineundi. Si autem impotentia solummodo est *respectiva*, uterque posset transire ad alias nuptias. Deprehenso autem errore, semper retractanda esset hæc sententia, quæ nunquam transit in rem judicatam 75.), restaurandumque prius Matrimonium. Sola autem impotentia generandi, seu sterilitas non impedit Matrimonium. Cum in hoc negotio plerumque innitendum sit judicio peritorum, opus non est, ut

73.) C. 5. & fin. de frigid. & malefic.
74.) C. 5. cit.
75.) C. 7. de sent. & re judic.

ut plura addantur 76.). Ad hoc impedimentum etiam refertur ætas impubes: si pubertas neque sit naturalis, neque legalis, in mare per quatuordecim, in fæmina per duodecim annos, Matrimonium non subsistet; si autem adsit alterutra potentia, vel naturalis, quando malitia supplet ætatem; vel legalis, scilicet impleti sint consueti anni, & ideo impotentia non sit perpetua, sed paulo post tollenda: in utroque hoc casu valebit Matrimonium 77.). Si autem ex defectu pubertatis tam legalis, quam naturalis Matrimonium non subsistat, Sponsalia tamen censentur contracta 78.).

Ne Matrimonium sit Clandestinum,

§. 335. *Clandestinitas.* Matrimonium Clandestinum sancta DEI Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit, quam-

vis

76.) Vid. Paulus Zacchias Quæstion. Medico-Legal. lib. 3. tit. 1. lib. 9. tit. 3. & tit. 10. q. 1. 2. & 3. item in sect. junctis Consiliis & Decisionibus Rotæ Romanæ. Sanchez de Matrim. lib. VII. disp. 92. seqq.

77.) Vid. c. 2. 3. 6. 9. 10. 11. de Despons. impub.

78.) C. fin. ibid. C. un. §. 1. eod. in 6.

vis illud postea, si a contrahentibus publicatum fuerit, comprobatum sit, tanquam a principio in Ecclesiæ conspectu contractum 79.). Postquam autem prohibitiones istæ propter hominum inobedientiam, jam non prodesse videbantur, S. Synodus TRIDENTINA 80.) efficacius remedium adhibitura, eos, qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii Licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, ita tamen, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publica-

79.) C. 2. de clandest. desponsat. Quod Matrimonia primis Ecclesiæ sæculis in facie Ecclesiæ contrahi debuerint, ostendit Benedictus XIV. de Synod. Diœc. lib. VII. c. 27. ubi etiam rationes adducit suadentes, quod jam ante Tridentinum clandestinitas fecerit irritum Matrimoninm.

80.) Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim.

cationis, in eadem Parochia fact
numerandos 81.). Igitur vi hujus
Decreti ad valorem Matrimonii re
quiritur physica & moralis præsent
Parochi proprii, alterutrius contra
hentium; item duorum vel trium te
stium qualiumcunque: nec interes
an sint rogati, aut inviti, modo sci
ant, quid agatur. Tutius est, u
Parochus sit Sacerdos; quando enim
Synodus Matrimonium vult contra
hi præsente *Parocho vel alio Sacer
dote*, particula *alio* videtur innuere,
quod etiam Parochus debeat esse
Sacerdos. Valide etiam assisteret Pa
rochus suis Parochianis *in districtu*
alterius Parochiæ: vagorum tamen
Matrimonio Parochus assistere non
potest, nisi in propria parochia, quia
vagi non sunt ejus parochiani, nis
ratione territorii, in quo actu ex
stunt.

requiritur Solemnitas substantialis,

§. 336. Decretum hoc non ob
gat in Parochia, in qua non est pr
mulgatum, vel receptum, etiam
ib.

81.) De hoc Decreto varias disputatio
Patrum Tridentinorum videre licet a
Card. PALLAVICIN. Hist. Conc. Tri
lib. XXII. c. 4. 8. 9. lib. XXIII. c. 5

ibi promulgarentur Statuta Synodalia decreto Concilii omnino conformia 82.). Unde in eadem urbe e. g. Augustana, Ratisbonensi &c. in quibusdam Parochiis obligat; in aliis nequaquam, quæ scilicet anno 1563. quo Decretum est positum, aut anno 1564. quo Synodus est confirmata, ritus Lutheranos sequebantur, nec Concilii Tridentini autoritatem agnoscebant. Valida igitur in his Parochiis erunt Matrimonia clandestina etiamsi forte aliis statutis decreto Tridentino conformibus dicerentur irrita. Si quis autem ex Parochia, in qua Decretum hoc receptum est, cum Sponsa ejusdem vel similis Parochiæ se transferat in locum, ubi Concilium non est promulgatum, animo clandestine ibi contrahendi & mox iterum revertendi, talis nulliter contrahit: aliud dicendum, si in illo loco figeret Domicilium, aut quasi Domicilium. Ubi nunquam habetur Parochus Catholicus, merito censetur Concilium non obligare, etiamsi olim fuisset

82.) Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 7. c. 68. n. 5.

set promulgatum: si autem in ca
tantum particulari Parochus deficia
Matrimonium valide contrahi no
poterit, quia Epiikia non habet lo
cum, quando leges irritantes for
mam contractui præscribunt. I
Hollandia declaratum est, pro va
lidis habenda esse Matrimonia Ac
tholicorum, vel etiam Catholico
rum cum Acatholicis, etiamsi forma
a Tridentino præscripta, non fuerit
in iis celebrandis servata, dummodo
aliud non obstiterit Canonicum
impedimentum 83.). De aliis pro
vinciis eorumque subditis judican
dum est juxta Canonica *Juris com*
munis principia: opus tamen esse
declaratione in illis locis, ubi simul
taneum exercitium Catholicorum &
Lutheranorum viget in eodem tem
plo. In his locis censetur obligare
Tridentinum, quod Catholici ob
servant: consequenter etiam Luthe
rani obligarentur, utpote pertinen
tes ad eandem Parochiam: nisi vel
mus dicere, esse moraliter duplicem
Parochiam.

§. 337.

83.) Idem Const. *Matrimonia.* 4. Novem
1741.

§. 337. Forma hucusque tradita, & *accidentalis* : est simpliciter necessaria ad valorem Matrimonii, ut illud in facie Ecclesiæ celebratum dicatur. Alia solemnitas est accidentalis, ad licentiam Matrimonii ordinarie requisita, consistens tum in denuntiationibus præviis, tum in benedictione Sacerdotali. Præcipit enim TRIDENTINA Synodus, *ut antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum* 84.): quæ verba ita intelligenda sunt, ut finis intentus possit obtineri, scilicet ut detegi possint impedimenta forte latentia. Si probabilis fuerit suspicio Matrimonium præmissis tot denuntiationibus malitiose impediri posse, tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel post contractum Matrimonium, ante illius consummationem denuntia-

84.) Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform. Matr. Varia dubia, quæ circa hoc præceptum Concilii moveri possunt, vid. apud Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 5. & seqq. P. Kugler de Matrim. part. 1. c. 4.

tiationes suppleantur, ut, si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur: prudentiæ tamen & judicio Ordinarii relinquitur, an eas omnino remittendas judicet. Si unius Sponsi Episcopus dispenset in denuntiationibus, has etiam in alterius Sponsi parochia non esse necessarias, censent 85.): moris alias est, ut ab utriusque contrahentis proprio parocho denuntiationes fiant. Ubi periculum in mora est, Parochus per Epiikiam potest assistere absque præviis denuntiationibus, prævio tamen juramento Sponsorum, quod nullius impedimenti sibi sint *conscii*. Si omissæ culpabiliter sint denuntiationes, & Matrimonium postea deprehendatur nullum ob latens impedimentum, non prodest bona fides contrahentium ad legitimos prolis natales, aliosque effectus, quos alias bona fides operatur 86.).

ac Benedictio: §. 338. Si factis denuntiationibus nullum legitimum opponatur impedimentum, servetur ritus in Ritualibus præscriptus pro conjungendis Sponsis. Sequitur Missa votiva pro Spon-

85.) Sanchez l. c. disp. 7. n. 7.
86.) C. 3. §. 1. de clandest. despons.

Sponſo & Sponſa, quæ habetur in Miſſali Romano. Poſt Orationem Dominicam, & ante Evangelium S. Joannis dicuntur Orationes & Benedictiones ſuper Sponſis ibidem contentæ. Si Nuptiæ celebrentur die Dominico vel feſtivo, qui Miſſam votivam non admittat, legitur Miſſa de die, addita Collecta ex Miſſa pro Sponſis, & dictis precibus ac benedictionibus. In hac Miſſa & ſubjunctis precibus conſiſtit *Benedictio* ſolemnis Nuptiarum, ad exemplum ipſius Dei, Protoparentes noſtros in Paradiſo benedicentis inſtituta, quæ etiam prohibita eſt eo tempore, quo vetitæ ſunt Nuptiæ, cum iſta Miſſa dictæque preces numerentur inter celebritates ſolemnes certis temporibus interdictas. Unde ſi urgente quadam cauſa Matrimonium tempore Adventus, vel quadrageſimæ contrahatur, omittenda erit hæc ſolemnis Miſſa cum adjectis benedictionibus. Idem obſervandum in illis Diœceſibus, in quibus, præter juris communis præceptiones, etiam abſque ſolemnitatibus Matrimonii contractus certis temporibus eſt prohibitus: nam in his locis ſi ab Epiſcopo conceditur facultas contrahendi

Matrimonium; non tamen adhibenda tunc est solemnis Benedictio 87.). Hanc peragit Parochus proprius, vel alius Sacerdos ex Parochi aut Ordinarii licentia. Absque hac conjungens aut benedicens Sponsos alterius Parochiæ, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur 88.): contrahentibus autem pœnitentia injungenda est. Si vero celebretur Matrimonium non præmissis sine justa causa denuntiationibus, Parochus assistens per triennium suspenditur 89.).

Raptus. §. 339. *Raptus* virginum aut viduarum gravissimis pœnis vindicabatur ab Imperatoribus 90.): JUSTINIANUS quidem nec consentiente rapta Matrimonium illius cum raptore tolera-

87.) Benedictus XIV. Instit. 18.
88.) Conc. Trid. l. cit.
89.) Ibid.
90.) Cod. Theodos. & Justin. tot. tit. de Raptu Virg. vel Viduar. ibique Gothofred.

lerabat 91.). Idem ſtatuitur in Capitularibus Regum Francorum 92.), ex quibus eruitur antiqua Eccleſiæ diſciplina etiam Sacris Canonibus confirmata 93.). Poſtmodum ſæculo XII. & XIII. validum habebatur Matrimonium, *ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum* 94.). Cum autem huic conſenſui puellæ, quamdiu eſt in poteſtate raptoris, parum fidendum ſit, *decernit* Concilium TRIDENTINUM 95.), *inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium*, ſtatutis etiam aliis pœnis & excommunicatione in raptorem ipſum, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes. Rapta autem in loco tuto & libero, extra poteſtatem raptoris conſtituta, poteſt cum illo Matrimonium inire. Cenſetur autem Concilium loqui de raptu in ordine ad Matrimonium contrahendum, &

91.) L. un. §. 1. eod.
92.) Lib. 6. c. 96. lib. 7. c. 395.
93.) C. 11. XXXVI. q. 2.
94.) C. 7. de Raptor. Incend.
95.) Seſs. 24. c. 6. de Reform. Matrim.

quidem violento : si enim puella blanditiis ac lenociniis seducta consentiat, & insciis vel invitis parentibus, Matrimonii contrahendi causa recedat, raptus non erit, qui annullet Matrimonium ex mente TRIDENTINI : quamvis aliqui Galli hunc *subornationis*, sive *seductionis* raptum, si contingat circa filios, vel filiasfamilias minores in potestate patris constitutos, agnoscant tanquam impedimentum dirimens. (§. 300.) Porro quod decernitur de Raptore & Rapta, merito etiam intelligitur de rapiente fœmina & rapto *viro*, cum in correlativis quod statuitur de uno, statutum censeatur de altero, si eadem utrinque sit ratio 96.).

TITULUS XIII.

DE DISPENSATIONIBUS CIRCA IMPEDIMENTA MATRIMONII.

§. 340.

Dispensationem

DISPENSATIONES dicuntur vulnera legum, debentque esse modo rata,

96.) TIRAQUELL. de Retractu ligna. §. 2. glos. un. n. 4. seqq. HENRIQUEZ Theol. Moral. lib. 12. c. 14. n. 4. Contrarius SANCHEZ de Matrim. lib. 7. disp. 12. 24. seq. & disp. 13. n. 16.

ratæ, ne legum autoritas vilescat. Prudentia tamen suadet, eas nonnunquam fieri. Unde dispensatio definitur *Provida Juris Communis relaxatio.* Causæ dispensandi communiter recensentur I. Tempus. II. Utilitas. III. Qualitas personæ. IV. Religio. V. Scandalum multitudinis. VI. Necessitas. Si circa ullam rem aliam, certe circa Impedimenta Matrimonii difficiles se semper exhibuerunt Legislatores in concedendis dispensationibus. Quando Senatus Romanus inductus fuit ad CLAUDII Cæsaris nuptias cum AGRIPPINA, Germanici fratris sui filia, permittendas, Senatus-Consultum super ejusmodi Matrimoniis factum, etiam gentiles Romani nunquam admiserunt 97.). Tempore tyrannidis BASILISCI contra Leges priores permittebantur quædam Matrimonia: sed hujusmodi Rescripta viribus carere decrevit Imperator ANASTASIUS 98.).

97.) Suetonius lib. 5. c. 26. Cornel. Tacitus Annal. lib. 12. c. 5. seqq.
98.) L. fin. C. de incest nupt.

Circa impedimenta Matrimonii

§. 341. Cum ex vulgata doctrina illis competat facultas dispensandi, qui legem tulerunt; Imperatores antiqui non dubitarunt permittere nuptias legibus civilibus vetitas. Sic Matrimonium inter tutorem vel filium ejus, & pupillam legibus prohibitum 99.), permissum supponitur Divino, id est, Imperatoris impetrato beneficio 100.). Christiani etiam Imperatores facultatem sibi sumpserunt dispensandi in Matrimoniis consobrinorum, quæ primus videtur prohibuisse THEODOSIUS *Senior*, cujus filius HONORIUS *in Occidente* anno 409. vetabat, ne Rescriptum Principis impetretur pro contrahendo Matrimonio, *exceptis his, quos consobrinorum, hoc est, quarti Gradus conjunctionem, Lex triumphalis memoriæ Patris nostri, exemplo incestorum supplicare non vetavit* 1.); fra-

99.) Tot. tit. C. de interdict. matrim. inter pupill. & tutor.

100.) L. penult. ibid.

1.) L. un. C. THEODOS. si nupt. ex rescript. petantur. Hæc tamen exceptio omissa est in l. 1. Cod. JUST. eod. tit. CASSIODORUS lib. 7. variar. c. 46. tradit formulam dispensationis Regiæ in impedimento consobrinorum.

frater autem ejus ARCADIUS in Oriente, initio regiminis sui, exemplum patris secutus has nuptias pro illicitis habuerat anno 396. 2.). Mutato postea consilio anno 405. conjugium consobrinorum inter legitima habuit 3.).

§. 342. Male hæc exempla imitari voluerunt recentiores quidam Imperatores & Reges, postquam totum circa impedimenta Matrimonii negotium devolutum fuit ad Tribunal Ecclesiasticum, secuti pravam molitionem HERACLII Imperatoris, qui primus inter Christianos sui arbitrii esse existimavit, ducere neptem ex fratre, contemptis monitis Patriarchæ Constantinopolitani, & insequente vindicta Divina 4.). Certe Dispensatio LUDOVICI IV. Im- *Concedit*

2.) L. 3. Cod. THEOD. de incest. nupt.

3.) L. 19. Cod. JUST. de nuptiis. cui consonat §. 4. Inst. de Nuptiis. hac ratione dictas leges concordat GOTHOFREDUS ad cit. l. 3. Cod. THEOD. de incest. nupt. quamvis enim singulæ hæ leges, uti plurimæ aliæ post divisum Imperium, duorum Imperatorum nomina præseferant, quædam tamen in solo Oriente, aliæ in solo Occidente promulgatæ fuerunt.

4.) NICEPHORUS in Breviar. Hist. ad ann. 619.

peratoris ſuper impedimento Co
ſanguinitatis inter LUDOVICU
filium ſuum, & MARGARETHA
Comitiſſam Tyroleos, conſobrino
nullius eſt autoritatis, tum quo
ipſa formula 5.) ſimilior ſit concer
tationi Theologi Schiſmatici, quam
Diplomati Cæſareo: tum quod illud
Matrimonium autoritate INNO
CENTII VI. Pontificis a PAULO
Epiſcopo Friſingenſi & PETRO Ab
bate S. Lamberti diremptum & irri
tum declaratum, accedente autem
diſpenſatione ejusdem Pontificis de
novo contractum, & revalidatum
fuerit 6.).

§. 343.

5.) Formulam hanc exhibet Bzovius Ad
nal. Eccleſ. tom. 14. ad annum 1340. n. 5
GOLDASTUS Monarch. tom. 2. in tract
MARSILII DE PADUA de Jurisdict. Im
perat. &c. pag. 1385. LAUNOIUS tom.
part. 2. fol. 860.

6.) Vid. HÖRWARTH in Ludovico defe
ſo part. 2. ad ann. Imp. XXVII. n.
ſeqq. Ipſas literas Pontificis, & Epi
pi recitat P. CAROLUS MEICHELBE
Hiſtor. Friſingenſ. tom. 2. part. 2. n.
ſimilem fere diſpenſationem ab eodem
NOCE

§. 343. Sicuti autem diximus (§. 299.), potestatem constituendi impedimenta Matrimonii competere Ecclesiæ ex ordinatione Christi; ita etiam tenendum est, facultatem Dispensandi penes eandem Ecclesiam semper fuisse & adhuc esse: neque Principes eam Ecclesiæ tribuisse sed hos solummodo cum reverentia cessasse ab exercenda sua potestate in causis Matrimonialibus. In legibus quidem Naturalibus & Divinis non dispensatur humana autoritate: cuncta autem impedimenta, excepto gradu lineæ ascendentis, videntur legibus humanis introducta: nam leges Divinæ Levitici populo Israëlitico, non autem nobis censentur esse datæ: unde etiam iisdem temporibus alii populi extra Palæstinam non tenebantur illis legibus. Quoad Ecclesiasticos Prælatos hodie, cum expressum Canonem non habeamus, consuetudo reservavit soli Pontifici Romano potestatem Dispensandi in impedimentis dirimentibus. Cessat autem hæc reservatio pro foro conscien-

Ecclesia:

---

nocentio VI. concessam Principi Walliæ, & Comitissæ Cantiæ, legimus apud Boehmer. Jur. Eccl. Prot. tom. 4. pag. 185. ex Thoma Rymero.

scientiæ, ob bonum commune Ecclesiæ & animarum salutem, si Matrimonio publice, saltem bona fide unius contracto, impedimentum sit occultum, & conjuges absque scandalo separari non possint, nec pateat facilis ad Pontificem accessus. Idem tenetur ante Matrimonium contractum, si periculum in mora, & Matrimonium necessarium sit ad evitanda scandala. Duo extrema declinanda sunt, nimia Dispensandi facilitas absque legitima causa; & nimia severitas in coarctanda Episcoporum autoritate.

olim valde raro:

§. 344. Romani Pontifices *vix non* inexorabiles se olim præbuerunt in concedendis Dispensationibus. Censent aliqui 7.), primam in Ecclesia dispensationem Matrimonialem a NICOLAO II. factam cum GUILIELMO Normandiæ Duce, & MATHILDE Flandrensi, suadente S. LANFRANCO, circa annum 1059. 8.). Sæpius antehac Matrimonia Re-

7.) Christianus Lupus tom. 5. fol. 110.

8.) Vid. Acta Sanctorum in vita S. Lanfranci 28. Maij. cap. 2. & notam Henschenii lit. a. fol. 836. seq.

Regum dirempta, cum *nondum moribus receptum esset, ut Pontificum Romanorum venia, lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent* 9.). Imo etiam post exemplum NICOLAI II. flecti ad Dispensationem Regibus concedendam non potuerunt CLEMENS III. COELESTINUS III. & INNOCENTIUS III. 10.), ita ut ipsi S. Ferdinando Castellæ Regi, ex ejusmodi dissolutis nuptiis nato consulendum fuerit Brevi Pontificio HONORII III. quo legitimus Regni successor fuit declaratus 11.): dictus tamen INNOCENTIUS III. ad tollendum Imperii schisma dispensavit cum OTTONE IV. Imperatore & filia Philippi Sueviæ Ducis sub duris conditionibus: Abbas insuper Morimundensis delictum, hoc connubio contra consuetudinem Ecclesiæ, quantumvis dispensatorie, commit-

9.) MARIANA de reb. Hispan. lib. 10. ad ann. 1110.

10.) Vid. ROGERIUS HOVEDENUS Annal. part. 2. ad ann. 1199. DANIEL PAPEBROCHIUS in actis Sanctorum Comment. præv. ad vitam S. FERDINANDI die 30. Maij. fol. 293.

11.) RAYNALDUS Annal. Eccl. tom. 13. ad ann. 1218. n. 65. seqq.

mittendum, monastico Ordini C
stercienſium & Cluniacenſium aut
ritate Apoſtolica impoſuit, orati
nibus ſcilicet & pœnitentiis expia
dum 12.). Unde etiam Epiſco
quidam auſi ſunt Matrimonium ju
ANNIS Angliæ Regis cum filia Co
mitis Gloceſtriæ diſſolvere, contra
ctum permiſſione Romanæ Eccle
ſiæ 13.).

Hodie ex cauſa rationabili,

§. 345. Juxta Concilium TRI
DENTINUM 14.) *in contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur di*
penſatio, vel raro: idque ex cauſa, &
gratis concedatur. In ſecundo Gradu nun
quam diſpenſetur, niſi inter magnos Prin
cipes, & ob publicam cauſam. Si qui
autem intra Gradus prohibitos ſcien
ter, vel etiam ignoranter neglecti
ſolemnitatibus, Matrimonium con
trahere, aut omnino conſummare
præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe
ſpenſationis conſequendæ carea
facilius autem & gratis diſpenſari p
teſt cum eo, qui cum probabi
ignoran-

12.) Otto *de S. Blaſio* continuator
tonis *Friſingenſis* cap. 51. Arnol
Lubecenſ. Chronic. Slavor. lib. 7. c.
13.) Christ. Lupus tom. 4. ad Can
Concilii Rhemenſ. ſub Leone IX.
14.) Seſs. 24. c. 5. de reform. Matr.

ignorantia impedimenti adhibitis solemnitatibus contraxisse deprehenditur.

in forma commissoria:

§. 346. Ex hodierno stylo Curiæ Romanæ dispensationes Matrimoniales conceduntur in forma *Commissoria*, qua dispensandi facultas alteri committitur autoritate Apostolica sub certis conditionibus, quæ ab executore earum literarum diligentissime impleri debent. In publicis quidem impedimentis dispensatio pro utroque foro ex *Dataria* committitur Ordinario, quo nomine intelligitur etiam Vicarius Generalis, quem Romanæ Literæ nominant *Officialem*. Nunquam exprimitur nomen proprium Episcopi vel Vicarii, ut dispensandi facultas sciatur commissa dignitati & Officio, non autem personæ. Si Literæ inscribuntur Officiali Episcopi, non possunt executioni dari a Vicario Capituli, si interim Episcopus esset mortuus: si autem Sede Episcopali vacante petatur dispensatio, hæc committitur non Vicario Capituli, sed vicino Episcopo, aut ejus Vicario seu Officiali. Si Oratores sint diversæ Diœceseos,

Lit-

Literæ mittuntur ad Ordinarium Oratricis 15.).

Pœnitentiaria dispensat gratis:

§. 347. Circa Impedimenta, quæ ex occulto delicto, vel ex voto oriuntur, committitur Dispensatio ex *Pœnitentiaria* pro foro conscientiæ Confessario, Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario, ab Oratore eligendo 16.). Aperiendi has literas & exequendi facultatem habent quidam ex privilegio, etsi Magisterii in Theologia vel Doctoratus in Jure Canonico gradibus insigniti non sint 17.). Solet autem Maior Pœnitentiarius dare facultatem Dispensandi in Voto simplici Castitatis, Religionis, non nubendi &c. in Affinitate ex copula illicita, etiam in primo Gradu

15.) De praxi harum dispensationum v deatur Pyrrhus Corradus prax. dispensat. apostol. lib. 7. & 8.

16.) De praxi Pœnitentiariæ vid. Marc Paulus Leo prax. ad Liter. Major. Pœnitentiar.

17.) Gregorius XIII. anno 1582. fac facultatem concessit Presbyteris Societatis Jesu per superiores suos designatis ab Ordinario loci approbatis, per Breve quod incipit: *Exponi nobis.*

Gradu lineæ transversæ ad contrahendum; in primo autem lineæ rectæ ad remanendum in contracto: in Compaternitate: in impedimento Criminis: in tertio vel quarto Gradu Consanguinitatis aut Affinitatis ad effectum remanendi in Matrimonio, vigore invalidæ dispensationis nulliter contracto. Si alii casus occurrant, ubi evitatio scandali dispensationem exigit, Pœnitentiarius Major opus habet autoritate Apostolica expresse & prævia consultatione, concessa.

§. 348. Sicut Dispensandi facultatem Pœnitentiaria *gratis* concedit, nihil exigendo *etiam pro scriptura*: ita etiam gratis executioni dari debet pro foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis, ita ut Literæ nequaquam prosint pro foro externo, & ideo facta dispensatione mox lacerandæ sint, vel saltem ad eum statum redigendæ, ut nullam probationem facere possint. In Dataria solvenda est taxa Cancellariæ, & insuper *Compositio* major vel minor pro diversitate gradus, in quo dispensatur; aut opum, quibus pollet persona honestæ aut nobilis familiæ. Hæc Compositio minuitur,

Dataria requirit sumptus.

vel omnino remittitur, si Vicarius Generalis Episcopi attestetur de paupertate, præsertim si accedat periculum infamiæ, aut præcesserit copula carnalis: pauperes autem censentur, qui non habent stabiles reditus, aut census ex bonis propriis. Tales sunt omnes, qui labore manuum victum quærunt, aut ex salario Principis vivunt.

Quando dispenset Episcopus,

§. 349. Summus Pontifex inter facultates, Germaniæ Episcopis ad quinquennium concedi solitas, concedit quoque facultatem pro foro etiam externo in Civitate & Diœcesi sua tantum, gratis dispensandi in tertio & quarto gradu simplici & mixto 18.), tantum cum pauperibus in contrahendis: in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici & mixto, dummodo

18.) Per *mixtum* intelligitur gradus quartus mixtus cum tertio, nequaquam gradus tertius mixtus cum secundo: unde quando dispensatio petitur, uterque gradus debet exprimi; & in gradibus mixtis concipitur formula dispensationis iis verbis, quibus dispensatur in proximiore, & declaratur, non obstare remotiorem.

modo nullo modo attingat primum gradum; & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam: item dispensandi super Impedimento publicæ honestatis Justitiæ ex Sponsalibus proveniente: item super Impedimento Criminis, neutro tamen conjuge machinante; ac restituendi jus amissum petendi debitum: item dispensandi in Impedimentis Cognationis Spiritualis præter levantem & levatum: addendo his dispensationibus præter alias clausulas etiam hanc, dummodo rapta mulier non fuerit; & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat.

§. 350. Capitulum Sede vacante, seu potius ejus Vicarius pro foro conscientiæ potest dispensare in illis circumstantiis, in quibus pro eodem foro Episcopum posse dispensare diximus (§. 343.). In facultatibus supra positis (§. 349.) per se quidem Capitulum non succedit: nihilominus notanda inter eas est facultas *Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, & præsertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit, qui possit supplere,* *Vel Capitulum?*

plere, donec Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat. Consultum igitur est, ut Episcopus ante obitum suum uni vel pluribus has facultates communicet, qui delegati de obitu Episcopi Sedem Apostolicam certiorem reddere, & novam provisionem pro tempore Sedis vacantis petere deberent.

Causæ. §. 351. Causæ dispensandi attenduntur sequentes. I. Copula carnalis præcedens & propalata. II. Infamia mulieris ob suspectam conversationem cum Oratore agnato. III. Matrimonium cum ignorantia Impedimenti bona fide in facie Ecclesiæ contractum. IV. Angustia loci. V. Incompetentia, vel defectus dotis. VI. Extinctio litis. VII. Assistentia in lite super successione bonorum. VIII. Ætas Oratricis vigesimum quartum annum excedens. IX. Habitatio ad litus maris, vel inter hæreticos. X. Compositio inimicitiarum. XI. Confirmatio Pacis. XII. Multitudo Filiorum Oratricis viduæ. XIII. Spes conversionis ad Religionem Catholicam. XIV. Conservatio familiæ, vel bonorum in familia. XV. Excellentia meritorum. XVI. Prærogativa Dignitatis. XVII. Ex

Ex certis rationabilibus causis. Pœnitentiaria dispensat plerumque ad evitanda peccata, & scandala.

§. 352. Pro executione Dispensationis, verificandæ sunt causæ in Literis Pontificiis expressæ, cum Pontifex aliter concedere nolit dispensandi facultatem. Verificandæ item sunt clausulæ adjici solitæ, præsertim illa: *& oratori vitæ periculum immineret*, quæ solet addi, quando fœmina infamiam contraxisse dicitur ob suspectam familiaritatem cum Consanguineo. Quidquid enim dicant recentiores quidam Autores, qui rationem & sensum hujus clausulæ non satis penetrare videntur, executores tamen stricte illi inhærere debent 19.). Imminere autem periculum vitæ potest ejusmodi viro a parentibus vel fratribus fœminæ, in vindictam, quod filiam vel sororem suam ab aliis honestis nuptiis familiaritate sua impediverit. Hæc autem clausula raro verificatur in Germania: consequenter raro executioni dari poterit ejusmodi Dispensatio. *Et Executio Dispensationis.*

19.) Vid. Benedictus XIV. Bullar. tom. 1. Const. 45. §. 2.

Scriptores. Copioſe de hac materia ſcribunt PYRRHUS CORRADUS in Praxi Diſpenſationum Apoſtolicarum. MARCUS PAULUS LEO de Praxi Pœnitentiariæ. THOMAS SANCHEZ de Matrim. Lib. 8.

VAN ESPEN Jur. Eccl. univ. p. 2. Tit. 13. & 14.

REIFFENSTUEL Append. ad Lib. IV. Decretal.

TITULUS XIV.

DE BONIS MATRIMONII & OFFICIIS CONJUGUM.

Conf. Decretal. lib. 4. tit. 10. 17. 20. item Lib. 3. tit. 33.

§. 353.

Tria Bona Matrimonii. PROPRIETATES seu *Bona* propria Matrimonii dicuntur tria, *Fides*, *Proles* & *Sacramentum*: quæ ita reſpici debent, ut Matrimonium ſit nullum ac irritum, cui adjicitur conditio, ſeu potius modus, his tribus bonis, & conſequenter ſubſtantiæ Matrimonii repugnans 20.).

§. 354.

20.) C. ult. de Condit. appoſ.

§. 354. Per *Fidem* intelligitur Fidelitas in promissis implendis, quam violant conjuges, si alteri copiam sui faciant; servant autem, quando unus solus cum una sola conjungitur. Huic *unitati* opponitur *Polygamia*, seu uxorum pluralitas, quæ adversatur, non quidem primis & universalibus juris naturalis præceptis, primævum naturæ finem, scilicet generationem & educationem prolis spectantibus; sed tamen fini secundario, scilicet pacificæ cohabitationi, tranquillæ societati, & mutuæ paci, cujus conservandæ rationem ostendit DEUS in prima Matrimonii institutione, conjungendo unum cum una. Jus hoc naturale variationem patitur pro ratione temporum & circumstantiarum: cum autem hæc soli DEO cognita sit, solus etiam DEUS dispensare potest, seu interpretari & declarare, quando & quomodo homo juri isti obnoxius sit. *Fidei repugnat Polygamia:*

§. 355. Ante diluvium longæva hominum vita ad humani generis propagationem sufficiebat: unde DEUS eo tempore non legitur plu- *Dispensatio circa hanc olim data,*

ralitatem uxorum permisisse 21.) Epocha primæ Dispensationis a Deo factæ repetenda est ab ABRAHAM ob electi populi propagationem, & aliquorum mysteriorum significationem, extensa etiam ad Abrahæ posteros 22.). Licet autem de hac Dispensatione nihil expresse dicant Sacræ Scripturæ; revera tamen concessam esse inde eruitur, tum quod Abrahamus & plerique sanctitate præcellentes Patriarchæ, plures simul uxores habuerint; tum quod eam ob rem nullibi reprehendantur; tum quia traditio supplet Scripturæ silentium. An etiam alias Gentes hæc Dispensatio comprehenderit, controvertunt Autores. Videtur negative respondendum, quia improbabile est, gentibus revelationem Divinam, sine qua illicita est polygamia, factam esse: neque etiam rationi eadem pro aliis gentibus pugnabat.

Imo

21.) Lamech polygamus adulterii reus arguitur. Tertullian. de Exhort. Castit. c. 5. S. Hieronym. adversus Jovinian. l. 1. c. 8.

22.) Nefas fuisse Pontifici Judæorum, uxores duas simul in Matrimonio habere, ex

Imo si libertas polygamiæ ad omnes esset extensa, non tam Dispensatio, seu exceptio a lege, sed potius abrogatio legis deberet dici. Unde Gentiles, qui plures uxores duxerunt, non ABRAHAMUM, revelatione Divina id concedente, sed potius pravum LAMECHI exemplum, impellente libidine secuti sunt 23.).

§. 356. Sublata denique hæc Dispensatio est a Christo, prout definivit Concilium TRIDENTINUM 24.), contra LUTHERUM ejusque asseclas, qui PHILIPPO Landgravio Hassiæ alterum conjugium, vivente priore uxore permiserunt 25.). Exempla 26.) & doctrinæ paucorum Catho-

Sublata est a Christo.

Talmudicis libris refert PETRUS CUNÆUS de Rep. Hebræor. lib. 2. c. 3.

23.) C. 8. de divortiis.

24.) Sess. 24. de Matrim. can. 2.

25.) Totam consultationem refert BOSSUET Hist. des variations des Eglises Protestantes lib. 6.

26.) VALENTINIANUS Imp. narratur a SOCRATE lib. 4. c. 30. habuisse plures uxores, cujus rei nulla occurrit mentio apud coævos scriptores alios.

tholicorum 27.) non præjudici
veritati Evangelicæ. Hodierni Jud
habent a Sæculo undecimo leger
quæ polygamiam prohibeat 28
Quamvis autem eam non in om
bus provinciis obſervent, Rabbi
etiam illorum ſibi ſumant faculta
tem cognoſcendi de cauſis ducen
alteram uxorem priore vivente,
non repudiata 29.): nihilomin
Magiſtratus Chriſtiani, in quoru
territoriis Judæi verſantur, permi
tere non deberent polygamiam e
rum ob claram prohibitionem L
gum Civilium 30.), & Canonicar
31.). Noſtra enim non intereſt, pr
pagationem populi Hebraici fove
Si Gentiles polygami convertant
ad fidem Chriſtianam, dimiſſis cæte
eam retinere debent conjugem, quæ
pri-

27.) Improbatur propoſitio Autoris D
Eſprit des Loix tom. 2. lib. 16. ca
que la loi de la Polygamie eſt une affair
calcul.

28.) Jodoc. Beck de Jurib. Judæor. c
§. 12.

29.) Bodenschaz Kirchliche Verfaſſ
der heutigen Juden. part. 4. c. 4. Sect
§. 1.

30.) L. 7. C. de Judæis.

31.) C. 8. de Divortiis.

primam ante alias duxerant; modo censeri possint vera inter se habere Matrimonia, & non potius vagum concubitum: si enim hoc vere esset dubium, respondit URBANUS VIII. ut Missionarii circa Matrimonia Indorum Neophytorum sequerentur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores 32.).

§. 357. Legibus & rationi longe magis repugnat *Polyviria*, seu conjunctio simultanea unius fœminæ cum pluribus viris: qua in re nec DEUS unquam dispensavit, nec barbaræ gentes abominandum usum introduxerunt. Porro *Fidem* Matrimonii violant conjuges, non solum per attentatum alterum conjugium, sed per quodcunque adulterium, vel actus libidinosos ad hoc flagitium tendentes, de quo alibi.

Peccata contra Fidem Matrimonii.

§. 358. Alterum locum inter Bona Matrimonii tenet Bonum *Prolis*. Finis enim Matrimonii a natura intentus est generatio & educatio Prolis. Unde nullum est Matrimonium illius,

Bonum Prolis.

32.) P. Nicol. del Techo Histor. Paraquar. l. 10. c. 15.

illius, qui laborat impotentia an
cedente ad actus generationi ins
vientes ; vel qui adjicit contra
conditionem de impedienda, a
non educanda prole 33.). Grav
me autem peccant, qui absque pr
vio tali pacto, in usu Matrimo
conceptionem Prolis impediunt;
conceptam expellunt ; vel na
male educant. Nec immunes fo
a peccato, qui non ex causa proc
andæ prolis, vel debiti redde
sed ob solam voluptatem utun
Matrimonio 34.).

Favores prolis legitimæ

§. 359. Proles ex *justis* nupti
saltem bona fide unius, in facie
clesiæ post præmissas denuntiatio
contractis, nata, dicitur legitim
gaudetque favoribus Juris, quos
ges negant illegitime natis, c. g.
re succedendi parentibus in omn
bonis.

33.) Si adjiceretur pactum de prole
resi educanda, vitiosa quidem esset
ditio, non tamen Matrimonium red
irritum, prout defendit P. Pichler
tit. de Sponsal. n. 131. contra P. Schr
Jurisprud. Canon. Civil. lib. 4. tr. 3
n. 57. & in Supplem. ad idem c. 5.

34.) Propos. 9. damnata ab Innocent.

bonis; participandi ſtatum, nobilitatem & familiam patris; libertatem autem & ingenuitatem matris 35.); capacitate conſequendi officia honorata; aptitudine ad recipiendos Ordines Clericales, Beneficia & Dignitates Eccleſiaſticas. His privantur illegitime nati, ob inhærentem aliquam maculam paterni peccati; & timorem, ne imitentur incontinentiam parentum. Etiam ex juſto Matrimonio nati in Germania non ſemper participant nobilitatem ac ſtatum patris, ſi ſcilicet mater ſit inferioris conditionis. Unde nati ex his *Diſparagiis* non ſuccedunt in feudis paternis; non participant dignitatem Principis aut Comitis patris; non admittuntur ad Canonicatus multarum Eccleſiarum Cathedralium, aut Ordines Equeſtres, niſi etiam mater ſit illuſtris proſapiæ. Sæpe tamen Imperatoris beneficio tales matres evehuntur ad gradum nobilitatis, quam habet maritus.

§. 360.

35.) Quoad ingenuitatem aut ſervitutem commune eſt Brocardicum, *partus ſequitur ventrem.*

Consequuntur illegitimi

§. 360. Leges etiam illegitimis & sec
verſimode conſulunt. Jura quid
vetera ignorabant modos, quibus
tra Matrimonium juſtum natos,
cere parentes poſſent legitimos. P
mus videtur fuiſſe CONSTANT
NUS, qui nuptiis cum concubi
poſt natam prolem contractis hu
effectum dabat, ut Liberi ex eade
concubina ante Matrimonium na
fierent legitimi 36.). Imperator hu
lege non videtur primario intendi
favorem liberorum naturalium, utpo
te qui ex natalibus ſuis nec infami
nec macula eo tempore laborabant
ſed potius meliore, quam legitim
fruebantur conditione, cum ſui jur
eſſent, nec patriæ poteſtati ſubjec
quæ jure Romano filios-familia
non multum diſcernebat a ſervis. I
tendebat igitur Imperator potius fa
vorem parentum, ut filios naturale
per juſtas cum concubina, eorum
matre, contractas nuptias in ſuæ
poteſtatem redigere poſſent, & ho
favore allicerentur, ad concubin
tum in legitimas nuptias vertendu
Quamvis autem CONSTANTINU

& 87.)

36.) ZENO Imperator in l. 5. C. de natur. liber. provocat ad hanc legem CONSTANTINI, non amplius extantem.

& sequentes quidam Imperatores beneficium hoc solummodo concesserint iis, qui ante has leges ex concubina liberos sustuliſſent : nihilominus JUSTINIANUS Imperator id beneficium fecit perpetuum pro sequentibus etiam temporibus ; qua ratione fovit potius concubinatum, quem CONSTANTINUS sublatum volebat 37.).

per subsequens Matrimonium parentum :

§. 361. Si ad sola principia Juris Civilis attendamus, nulla legitimatio per subsequens Matrimonium hodie locum haberet. Nam juxta istas leges non legitimabantur liberi ex prohibito coitu nati : quales non erant nati ex concubina, vel ex commercio Domini cum ancilla : hodie autem omnis concubitus extra justas nuptias prohibitus est, non tantum Jure Canonico, sed etiam legibus Imperii 38.) : consequenter nulli liberi extra justas nuptias nati, deberent legitimari per subsequens Matrimo-

37.) Constitutiones JUSTINIANI de hoc argumento sunt præcipue in L. 10. & 11. C. de Natur. lib. Novell. 12. 18. 74. 78. 89. 117.

38.) Ordinat. Polit. de ann. 1577. tit. 26.

trimonium. Nihilominus hac ac
te utimur Jure Canonico, quod
favorem Matrimonii illis liber
concedit legitimationis beneficium
inter quorum parentes Matrimoni
consistere poterat tempore conc
ptionis, nativitatis, vel etiam inter
medio 39.): quos liberos omn
vocat *naturales*: nati autem ex adu
terio 40.), incestu, sacrilegio &c.
nequa-

39.) Multi hoc colligunt ex Novell. 89. c.
& L. 11. C. de natur. lib. *ubi insinuat*
dum tempus dicitur, *quod proli est*
vorabilius. Cum autem istæ Constit
tiones Imperatoris non adæquate respo
deant præsenti decisioni; confirmat
potius hæc est ex mente Juris Canon
quod in hac legitimatione solummodo
spicit favorem Matrimonii & prolis.

40.) C. 6. Qui filii sint legit. Quod
Constitutio, etiam hodie autoritatem
tineat, ostendit BENEDICTUS XIV.
lar. tom. 1. Const. 113. contra argu
ta Archiepiscopi S. Dominici in Insu
spaniola, ex BOEHMERO depro
Neque audiendus est BESOLDUS,
part. 2. Consil. 55. n. 50. seqq. legi
ri putat per subsequens Matrimoniu
beros ex conjugato & soluta procre
cum conjunctio mariti cum soluta
leges civiles non sit adulterium, N
lior est ejusdem doctrina part. 5. Consil.

nequaquam legitimantur per ſubſequentes parentum nuptias.

§. 362. Legitimati per ſubſequens Matrimonium parentum, quoad omnes juris effectus, excepta ſola Dignitate Cardinalitia, æquiparantur legitime natis. 41.). Præbebantur olim *per Reſcriptum Principis ;*

---

ubi filium adulterinum legitimari cenſet, quando parentes oblatis precibus, manifeſtant Principi intentionem ſuam contrahendi Matrimonium ad effectum legitimandi prolem adulterinam ; Princeps enim, permittendo Matrimonium ad has preces, cenſetur concedere etiam effectum legitimationis, quamvis in Reſcripto expreſſa ejus mentio non fiat. Vid. PEREGRINUS de Fideicommiſs. art. 24. n. 76. ſeqq.

41.) JOAN. HARPPRECHT ad Inſt. lib. 1. tit. 10. §. fin. n. 31. ſeqq. putat, legitimatos per ſubſequens Matrimonium fungi non poſſe Aſſeſſoris officio in Camera Imperiali : quia ordinatio Cameræ p. 1. tit. 3. §. 2. requirit viros ex legitimo Matrimonio natos : Ehelicher (Ehrlicher) geburt. Hoc argumento infringerentur plerique effectus hujus legitimationis, quæ tamen cenſetur adeo favorabilis, ut neque Cardinalitia Dignitas illis neganda eſſet, niſi expreſſis verbis eam excepiſſet SIXTUS V. Conſt. POSTQUAM VERUS 50. ann. 1586. tom. 2. Bullar.

alii quoque modi, quibus proles
legitima natalibus reſtitueretur, ſc
licet oblatio Curiæ, nominatio fil
& arrogatio 42.), qui modi nunc
uſu receſſerunt. In viridi tamen ob
ſervantia eſt legitimatio *per Reſcr*
ptum Principis, quam JUSTINIANU
primus induxit 43.), & noſtris tem
poribus ad preces oblatas frequen
tiſſime expedit vel Princeps ipſe, v
alius, qui jus legitimandi a Princ
pe impetravit, *Comes Palatinus* hod
dictus 44.), ad illos juvandos, qu
rum parentes non contraxerunt i
ter ſe Matrimonium, aut *qui ex da*
nato coitu concepti & nati ſun
Princeps quidem Laicus legitimat a
effectus Civiles, Eccleſiaſticus ve
ad effectus Eccleſiaſticos.

§. 363.

42.) Novell. 89.

43.) Ibid. c. 9.

44.) Ejusmodi Comes Palatii non cen
habere facultatem legitimandi prop
filios ſpurios, quæ reſervata videtu
li ſupremo Principi. C. 13. §. in
cum Rex. Qui filii ſint legitimi. C
lib. 2. obs. 142. HARPPRECHT ad
1. c. n. 38. ſeqq. Etiam Comiti P
no id permittit DUARENUS in tit. D
adopt. c. 13.

§. 363. Adſtruitur etiam Summo Pontifici poteſtas diſpenſandi *in radice Matrimonii*, qua via tanquam legitimi cenſentur illi, qui nati ſunt ex Matrimonio mala fide contracto cum impedimento, cujus diſpenſationem retrotrahit Pontifex ad initium Matrimonii, ita ut, etiamſi parentes nunc jam ſint mortui, liberi tamen cenſeantur nati ex juſtis nuptiis, etiam in ordine ad effectus civiles 45.). *Aut per diſpenſationem in radice Matrimonii.*

§. 364. Tertium Matrimonii *Bonum*, ſeu proprietatem conſtituit *Sacramentum*, ſeu vinculi indiſſolubilitas. Hæc adeo conveniens eſt naturæ Matrimonii, ut etiam apud Ethnicos Romanos ante ſextum ſæculum ab Urbe condita nullum repudiatæ uxoris exemplum occurrat 46.): repetitur *Bonum Sacramenti*,

45.) Peregrinus de fideicommiſs. art. 23. n. 7. & art. 24. n. 83. Sanchez de Matrim. lib. 8. diſp. 7. Boërius deciſ. 263. n. 26.

46.) *Primus Sp. Carvilius uxorem ſterilitatis cauſa dimiſit, qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehenſione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei proponi debuiſſe arbitrabantur.* Valer. Max. lib. 2. c. 1. n. 4.

autem tum ex conjunctione animorum, quam minuit separationis libertas; tum ex obligatione educandi liberos non solum ad aliquod tempus, sed per totam prolis vitam.

seu Vinculi indissolubilitas firmata a Christo,

§. 365. Hanc naturalem Matrimonii stabilitatem mox in primæva ejusdem institutione agnovit Adamus dicens: *relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una* 47.), quæ verba refert Christus, & de perpetuo vinculo interpretatur: *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* 48.). Permisit quidem MOYSES dimittere uxores dato libello repudii: *sed ad duritiam cordis* Judæorum id concessum, *ab initio autem non fuisse sic*, respondit Christus 49.), abrogans simul usum libelli repudii: *omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mechatur: & qui dimissam a viro ducit, mechatur* 50.): dum autem Christus aliis fornicationis causam excipit, *omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornica-*

47.) Genes. II. 24.
48.) Matth. XIX. 6. Marc. X. 9.
49.) Ibid. Matth. 8. Marc. 5.
50.) Luc. XVI. 18. Marc. X. 11. 12.

nicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat 51.); sola separatio perpetua a thoro & cohabitatione ex causa fornicationis, non autem dissolutio vinculi cum libertate aliarum nuptiarum conceditur, ita ut dicta verba sensum habeant: quicunque dimiserit uxorem (quod non licet nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur. Hanc interpretationem firmat Apostolus PAULUS 52.), dum post longam & exactam disputationem de Matrimonii onere, non aliam ejus solvendi rationem assignat, nisi mortem alterius conjugis. Doctrina igitur Ecclesiæ Catholicæ est, Legibus Evangelicis conformis, Christianorum Matrimonium consummatum ex nulla causa, ne quidem ratione adulterii, vel derelictionis, humana potestate dirimi posse, definiente Con-

51.) MATTH. V. 32. & XIX. 9. BOEHMERUS tom. 4. Jur. Eccl. Prot. lib. 4. tit. 19. §. 24. INNOCENTIO III. crimen falsi imponit, dum in C. 8. de Divort. allegat verba Christi omissis vocibus *exceptæ fornicationis causa.* Sed responderi potest, INNOCENTIUM non stricte voluisse verba, sed sensum Evangelii referre.

52.) 1. CORINTH. VII.

cilio TRIDENTINO: *si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. &c. anathema sit* 53.): pro qua doctrina stat perpetua Ecclesiæ traditio 54.).

& observata in Ecclesia: §. 366. Fatemur multos 55.) præsertim Græcos Autores, indulgere novas nuptias, vivente adultera uxore. Ecclesiæ enim disciplinam circa hoc negotium vehemen-

---

53.) Sess. 24. can. 7. LAUNOIUS male contendit, hunc Canonem spectare non doctrinam, sed disciplinam. TOURNELY quæst. 5. de Matrim. art. 2. LAUNOIUM refellit.

54.) Concil. ELIBERIT. can. 9. MILEVIT. II. can. 17. INNOCENT. I. Epist. ad Exuper. Episcop. TOLOSANUM c. 6. S. HIERONYM. Epist. 30. ad Oceanum. S. CHRYSOST. hom. 17. in Matth. CLEMENS ALEXANDR. lib. 2. stromat. aliique, quos recenset LE DRUIN de re Sacram. tom. 2. lib. 9. q. 4. c. 1. TOURNELY Theol. tom. 4. part. 3. q. 5. art. 2. CALMET Dissert. de Divortiis præmissa Commentario in Deuteronom.

55.) Non tamen omnes, quos recen. LAUNOIUS de Regia in Matrim. pot. part. 3. art. 1. c. 5.

menter corrupere Leges Imperatorum 56.): vel malus rei abusus adeo invaluerat, ut tolli vix posse censeretur; vel leges istæ pro paganis inductæ fuerunt, quorum erat frequens in Imperio numerus. Certe Episcopis autoritas relicta est, ut subjectum populum juxta Ecclesiasticas Leges, receptasque apud Christianos traditiones moderarentur: Principibus interim jus ferendi leges, quas in tribunalibus politicis Judices servarent, sibi retinentibus. Unde quæ in contrarium allegantur, evincunt quidem, tolerata sæpe a singularibus Episcopis fuisse divortia in gratiam Imperialium Sanctionum; nunquam tamen esse probata. Græci potissimum ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina defecerunt. Hinc etiam Canoni TRIDENTINO supra allegato moderatio aliqua, & vocum mutatio adhibita fuit in gratiam Reipublicæ Venetæ, cujus subditi Græ-

56.) L. 1. & 2. Cod. Theod. de Repud. L. 8. & 9. Cod. Just. eod. Novell. 22. c. 16. 18. Novell. 117. & 134. Edictum Theodorici Regis c. 54. Leg. Wisigoth. lib. 3. tit. 6. Marculf. lib. 2. form. 30.

ci in quibusdam Insulis perseverant in errore suo, ut uxore adultera dimissa, aliam ducant 57.).

Judæi retinent usum libelli repudii.

§. 367. Hodie Judæi, sicut duritiam cordis, ita etiam usum repudii retinent. Quando autem hi vel alii infideles Baptismum suscipiunt, eorum Matrimonia sunt indissolubilia, sicut revera ante Baptismum fuerant, eo solo casu excepto, quo unus ex conjugibus Baptismum suscipit, & cohabitare alteri non potest absque contumelia Creatoris 58.). Matrimonium autem tale non solvitur per Baptismi susceptionem, sed per nuptias subsequentes Baptizati. Judæus tamen baptizatus non potest uxori in suis erroribus perseveranti dare libellum repudii ritu Judaico 59.). Hæc omnia intelligenda sunt de Matrimonio per carnalem

57.) Pallavicin. Hist. Conc. Trid. lib. 22. c. 4. n. 27. seq.

58.) 1. Corinth. VII. C. 7. de divort.

59.) De hac re edidit singularem Constitutionem Benedictus XIV. Bullarii tom. 2. Const. 38. & de Synod. Diœcesi. L. 6. c. 4. Ritus autem hodiernos libelli repudii recenset Bodenschaz loc. cit. sect. 3.

lem cohabitationem consummato: Matrimonium enim ratum dissolvi etiam quoad vinculum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum, est indubitata Ecclesiæ doctrina 60.).

§. 368. Ex his omnibus resultant jura & officia conjugum. Prima eaque mutua obligatio secundum regulas justi est fides conjugii, quæ non solum contra castitatem, sed etiam contra justitiam violatur per adulterium, consentiente quoque altero conjuge perpetratum, utpote cujus consensus omnino invalidus est in præjudicium prolis & status conjugalis ad bonum societatis humanæ publicum ordinati. II. Usus conjugii legitimus, scilicet ad generationem prolis, qui absque violatione justitiæ negari a neutro potest. III. Secundum regulas decori ac honesti, societati conjugali conformes, ad obligationem conjugum pertinet cohabitatio mutua, morumque attemperatio, ut per veram, sinceramque amicitiam alter alteri solatium

Officia Conjugum,

60.) C. 16. de Sponsalib. Conc. Trid. sess. 24. de Matrim. can. 6.

tium atque auxilium præstet, & utriusque fortunæ sint socii. IV. Mariti officium singulariter est, uxorem diligere, nutrire, regere, atque defendere. V. Uxoris officium est, maritum amare, honorare, adjutorio esse non solum in generandâ, educandaque prole, sed & in partecurarum domesticarum capessendâ, cum aliqua tamen subjectione sub potestate domestica & directiva mariti.

& Donationes inter se.

§. 369. Sicut autem hæc societas conjugalis intendit præcipue bonum commune conjugum & *prolis*; ita summopere ipsi adversatur, si alteruter lucris propriis inhiet cum damno alterius. Ideo leges declarant irritas donationes inter conjuges, ex quibus una pars ditior, altera pauperior reddatur 61.). Originem hæ leges traxerunt ex eo tempore, quo apud Romanos non solum mariti frequenter dimittebant uxores, sed etiam fæminæ sibi libertatem sumebant divertendi a maritis, postquam eos blanditiis conjugalibus spoliasent.

61.) Tot. tit. ff. & Cod. de donat. inter vir. & uxor.

sent. Quanta enim aviditate mulieres solicitarent maritos pro ornamentis, aliisque munusculis, passim perstringunt Scriptores veteres 62.): retrahendæ igitur mulieres erant a divortiis per leges, quæ ejusmodi donationes irritas declarabant, & facto divortio ad maritum redituras. Similiter uxoribus providendum erat, ne effusis in maritum donationibus ad incitas tandem redigerentur. Quamvis enim mulieres non censeantur facile donare 63.), nihilominus simulatis mariti blanditiis tandem expugnantur, qui his spoliis ditatus causam divortii quærebat. Malo huic

---

62.) Seneca de Benefic. lib. VII. c. 9. *Video uniones, non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se, & insuper alii binis superponuntur: non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* Prolixum catalogum ornamentorum secundum seriem alphabeticam exhibet Tiraquellus de Legib. Connubial. in leg. 3. glos. 1. part. 3. n. 27. multa etiam enumerantur tot. tit. præsertim l. 25. §. 10. ff. de auro, argento, mundo &c.

63.) L. 4. §. 1. ff. ad SC. Vellejan.

huic remedium posuerunt leges prohibentes, ne inter virum & uxorem donationes valerent 64.). Jus istud etiam sub Imperatoribus conservatum fuit, licet status connubiorum admodum esset mutatus. Auctoritate tamen SEVERI & ANTONINI robur adjectum fuit donationibus morte confirmatis 65.); aut quæ fiunt inter Imperatorem ejusque Conjugem 66.). Item restringitur hæc prohibitio ad eam donationem, quæ ex donantis patrimonio fit 67.); simulque donantem pauperiorem, & accipientem facit locupletiorem 68.); & quidem extra ordinem & præter morem consuetum 69.); ac inter vivos 70.).

Hodier-

64.) Varias alias hujus interdicti causas comminiscuntur PLUTARCHUS Quæst. Rom. tom. 2. pag. 265. HOTOMANUS Variar. disput. vol. 1. tit. de Donation. SCIPIO GENTILIS de Donat. inter vir. & uxor. lib. 1. c. 5. seq.

65.) L. 3. C. de Donat. int. vir. & uxor.

66.) L. 26. ibid.

67.) L. 5. §. 13. ff. eod.

68.) L. 5. §. 8. & L. 32. §. 9. ibid.

69.) L. 31. §. 8. ibid.

70.) L. 9. & 10. ibid.

Hodierno Jure Canonico, cum diſſolutio Matrimonii ſit abolita, poſſet fortaſſis juris vetuſti dogma de donationibus inter virum & uxorem pariter aboleri: retinetur tamen 71.), addita nova reſtrictione, ut validæ cenſeantur tales donationes, ſi juramento confirmentur 72.). In Germania pleræque Provinciæ habent peculiares conſuetudines, vel ſtatuta de Bonis Conjugum: unde frequens non eſt uſus juris communis in iſta materia 73.).

TITULUS XV.

DE DIVORTIIS, ET DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

Conf. Decretal. Lib. 4. tit. 18. 19. 20.

§. 370.

ALIA eſt *diſſolutio* Matrimonii quoad vinculum, aliud *Divortium* quoad *Ad diſſolvendum*

71.) C. 8. de donat. inter vir. & uxor.
72.) Arg. c. 28. de Jurejur. Vid. SERAPHIN. DE SERAPHINIS de Privilegiis Juramentorum. privilegio 71. n. 3. ſeqq.
73.) BOEHMERUS Jur. Eccl. Prot. tom. 4. ad lib. 4. tit. 20. §. 76. ſeqq.

Matrimonium

quoad cohabitationem. Matrimonia quidem legitime contracta dissolvi non possunt (§. 364. seqq.) conjunctiones tamen illegitimæ inter eos, qui impedimento dirimente laborant, tolerari non debent. Ad hoc malum præcavendum Sacri Canones suppeditant *Denuntiationem* antequam contrahatur; & *Accusationem* postquam contractum sit Matrimonium 74.). *Accusationis* quidem proprie dictæ usus duntaxat in criminalibus est: ad allegationem tamen & deductionem impedimentorum adhibetur, quia causæ matrimoniales, præsertim quando de earum vinculo agitur, causis arduis & publicis suo modo accensentur 75.), criminalibus in plurimis æquiparatur 76.). Accusatio hæc instituta potest etiam post longissimum tempus, quia nulla præscriptione tollitur impedimentum: imo etiam sententia pro valore Matrimonii lata nunquam transit in rem judicatam 77.), nisi conjuges jam sint mortui.

74.) C. 13. de desponſ. impub.
75.) C. fin. de procurator. in 6.
76.) C. 9. in fin. de reſt. in integr.
77.) C. 7. de ſent. & re jud.

& liberi illorum impugnentur tanquam illegitimi, quo casu etiam præscriptio habet locum, sicut contra alias actiones civiles, vel accusationes criminum.

§. 371. Judex legitimus pro cognoscenda causa, vel Matrimonii ob nullitatem dissolvendi, vel divortii instituendi, est Ecclesiasticus: cum enim Ecclesia habeat potestatem statuendi impedimenta (§. 299.), dispensandi in eis (§. 343.), & rata habendi Matrimonia; haud dubie eidem, & quidem soli competit Jurisdictio circa has causas 78.) etiam ex *Quis sit Judex?*

78.) Causæ matrimoniales hoc loco intelliguntur, quibus controversia & quæstio est de Matrimonii & Sponsalium natura, qualitatibus, contractu & benedictionibus nuptialibus: de Conjugum & Sponsorum juribus, & obligationibus, ortis ex contractu sponsalitio, vel matrimoniali: de Sponsalium & Matrimonii valore, & de legitimitate prolium ex isto orta: de ipsorum impedimentis, dispensationibus in hujusmodi impedimento; ipsius Matrimonii, vel Sponsalium ob ista dissolutione, aut redintegratione &c. P. Schmalzgrueber ad lib. 4. Decretal. tit. 18. n. 6.

ex officio cognoscendi, summa
tamen 79.). Nec tamen sufficit qu
libet Jurisdictionem Ecclesiasticam
habens 80.) : sed ordinarie solus
piscopus 81.).

Qui accusatores? §. 372. Quoad eos, qui Matrimo-
nium accusare possunt, faciendum
est discrimen inter impedimenta, ob
quæ valor Matrimonii in quæstio-
nem vocatur. Aliqua enim inducunt
nullitatem, non absolutam, sed se-
cundum quid, quæ scilicet ob priva-
tum alicujus interesse diremptionem
Matrimonii indulget, inter nolentes
autem non dirimit aut *annullat*, u
puta, si ex capite doli, *metus*, erro-
ris aut impotentiæ Matrimonium
impugnatur, quo casu lædens aut de-
ci-

79.) C. 1. ut lite non contest. &c. Clement.
2. de Judiciis.

80.) C. 1. in fin. de Consanguin. & affin.

81.) Concil. Trid. sess. 24. cap. 20. de
Reform. Postquam per Pacem Westph
licam Art. V. §. 48. Jurisdictio Eccles
stica contra Protestantes extra territoriu
Episcopi degentes suspensa fuit: divin
re non licet, quem Judicem adire debea
conjuges Principes Protestantes in Ge
mania, circa causam Matrimonialem
scr

cipiens non meretur audiri 82.) : læsus autem potest cessante errore vel metu consensum novum ponere, & posuisse censetur, si cessante metu vel errore sponte cohabitet 83.), sicque expresse vel tacite renuntiet juri suo. Alia est nullitas *absoluta*, quæ ob legis prohibitionem, ne quidem inter volentes & consentientes consistere nuptias patitur. Hoc ca-

scordes: cum summa Imperii Tribunalia, quæ alias Principum causas decidunt, non habeant Jurisdictionem fundatam circa Matrimonialia. Vid. Böhmerus Jur. Eccl. Prot. lib. 2. tit. 2. §. 17. 18. expeditissimum est, si confugiant ad Episcopum Catholicum (§. 302.) cum in tota Ecclesia Lutherana vel Calvinistica Judicem competentem non inveniant.

82.) Böhmer tom. 4. ad lib. 4. tit. 18. §. 3. dicit, Pontificem imprudenter diversum statuisse in casu doli c. 26. de Sponsal. Male hoc imputatur Pontifici, qui solummodo ait, Matrimonium non posse consistere, si ex parte unius non adfuerit verus animus & consensus. Sermo ibi est præcipue pro foro interno; nam pro externo difficile probatur defectus consensus, prout ipse Pontifex ibidem dicit ad Legatum suum: *quod qualiter tibi constiterit, non videmus.*

83.) C. 4. qui Matrim. accus. poss. c. 2. de conjug. servor.

su admittuntur ad denuntiandum vel accusandum impedimentum illi pra- primis, qui majorem notitiam tali impedimenti habere censentur, uti sunt parentes, consanguinei vel affines, quando agitur de impedimento consanguinitatis vel affinitatis 84.): Judicis dein erit æstimare, quanta fides sit ipsis adhibenda. Impotentiam accusare nemo potest, nisi ipsi conjuges: etiamsi enim illa subsit, poterunt tamen cohabitare ut frater & soror 85.). Nihilominus propriæ amborum conjugum confessioni de defectu *vel delicto*, quando agitur ad declarandam nullitatem Matrimonii, non est mo credendum propter periculum collusionis. Sicut autem ad accusandum impedimentum, quod absolutam Matrimonii nullitatem operatur, ordinarie omnes admittuntur 86.), qui conscii sunt impedimenti, illudque probare, vel saltem sufficientia indicia ad inquirendum dare possunt; vi-

84.) C. 1. 2. 3. XXXV. q. 6. C. 3. Matrim. accus. pos.

85.) C. 2. XXXIII. q. 1. C. 4. & 5. frigid. & malef.

86.) C. 6. qui Matr. accus. pos.

viciſſim non admittuntur illi, quorum fides merito ſuſpecta eſt, qui inhiant pecuniis 87.), qui impedimentum ſciverunt ante nuptias, & tamen non denuntiarunt 88.): pro Matrimonio autem ſuſpectum eſt teſtimonium eorum, quorum præcipue intereſt, illud contrahi, vel valere 89.). Qui jus potius ex prioribus Sponſalibus allegat, agere quidem poteſt ad impediendum Matrimonium re adhuc integra, nequaquam autem ad dirimendum illud, poſtquam verbis de præſenti fuit contractum.

§. 173. Quæ de accuſatoribus dicta ſunt, ferme etiam de teſtibus intelligenda ſunt: regulariter ad teſtimonium pro vel contra Matrimonium jam contractum admittuntur omnes, qui poſſunt accuſare, ſi alias ſint idonei teſtes juxta communem doctrinam de teſtibus 90.). Porro levior ſufficit probatio ad Matrimo- *Qui teſtes?*

87.) C. 5. ibid.
88.) C. fin. ibid.
89.) C. 22. de teſtib.
90.) Juramenti formula, qua accuſatores & teſtes uti deberent, traditur in C. 5. & 6. XXXV. q. 6.

nium impediendum, quam ad dissolvendum. Unus testis fide dignus, vel semiplena probatio sufficit, ut ob denuntiatum impedimentum interdicantur nuptiæ ad evitanda gravia scelera & fornicariam cohabitationem 91.) : econtra ut Matrimonium, quod humana potestate solvi non potest, decernatur irritum, & concedatur facultas aliud ineundi, pleniſſima requiritur probatio, cum sit periculum, ne homo separet, quod Deus conjunxit; & detur facultas ad aliud conjugium adulterinum ineundum; tum quia *conjuges* sunt in possessione, & *præsumptio* stat pro valore contractus: unde in defectu plenæ probationis potius pro valore Matrimonii pronuntiandum est 92.). Exigunt etiam Canones 93.), ut accusatio Matrimonii sit personalis: nam si fieret tantum per literas operaretur solummodo præsumptionem, nec sufficeret ad sententiam ferendam, nisi accederent alia adminicula: attendenda tamen est consuetu-

91.) C. 12. de Sponsalib. C. 2. de Cons sanguin. & affin.
92.) Arg. C. fin. de sent. & re judic.
93.) C. 2. Qui Matrim. accus. pos.

suetudo hodierna, quæ permittit, ut illustres personæ, & nonnulli alii testimonium in scriptis ferant. Hæc de impediendo, vel dissolvendo Matrimonio putativo sufficiunt.

§. 374. Divortium quoad thorum & mensam potest institui vel per mutuum consensum ipsorum conjugum, si ab uno votum solemne, altero consentiente, emittatur 94.): vel altero etiam invito, ob adulterium, cum frangenti fidem fides servanda non sit; modo altera pars non fuerit autor adulterii 95.), nec idem crimen commiserit 96.); paria enim crimina, mutua compensatione tolluntur 97.). Cum autem delicta carnis sint difficilis probationis, sufficiet etiam adulterium gravibus & violentis indiciis præsumptum 98.). *Divortium quoad thorum.*

94.) C. 4. 5. de Convers. conjug.
95.) C. 6. de eo qui cognov. consanguin. &c.
96.) C. 4. 5. de Divort.
97.) C. fin. de adulter.
98.) Talis præsumptio in Jure Canonicō c. 12. de præsumpt. allegatur, si quis reperiat virum alium, *solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto jacentem, multis locis secretis, & latebris ad hoc commodis & horis electis &c.* add. c. 27. de testib.

Ex causa adulterii datur jus ad d
vortium *perpetuum*: ad temporale au
tem sunt aliæ causæ, scilicet I. *Adul
terium spirituale*, per quod intelligi
tur *Hæresis*, aut *apostasia* a fide. II. *Pe
riculum animæ.* III. *Periculum corp
ris.* IV. *Sævitia* aut *furor mariti.* V
Molesta cohabitatio. Hæ similesve r
dentur sufficientes causæ, ob quas
*separationem inter conjuges quoad thoram
seu quoad cohabitationem, ad certum, i
certumve tempus fieri posse decernit Ec
clesia* 99.).

Soluto Matrimonio, §. 375. Dispiciendum adhuc est,
quid vinculo matrimoniali per mor
tem, aut ob latens impedimentum
dissoluto, vel post divortium quoad
cohab tationem perpetuum aut tem
porale statuendum sit de bonis, q
uxor

---

testib. c. 4. XXVII. q. 1. In Jure ci
L. 8. §. 2. & 3. C. de repudiis. Si u
maritum invenerit, *ad contemptum
domusve suæ, ipsa inspiciente cum impu
mulieribus, quod maxime etiam casus
asperat, cœtum ineuntem &c.* Et vici
si maritus uxorem invenerit, *extra
rum virorum, se ignorante vel nolen
convivia appetentem; aut ipso invito suæ
sta & probabili causa foris pernoctantem*

99. Conc. Trid. sess. 24. de Sacram. M
trim. can. 8.

uxor ad maritum attulit; vel maritus in ſecuritatem dotis conſtituit. Triplicis generis ſolent diſtingui Bona uxoris: *Dotalia, Paraphernalia* & *Receptitia*. Ex parte autem viri conſideranda eſt *Donatio propter nuptias, Morgenatica, ſponſalitia largitas, dotalitium*. Quid circa hæc bona ſoluto Matrimonio ſtatuendum ſit, dependet inprimis ex pactis dotalibus, quæ vel ſunt *ſimplicia*, & manent in terminis actus inter vivos; vel ſunt *mixta*, quando tranſeunt in actum ultimæ voluntatis, ac futuram conjugum ſucceſſionem continent. Deficientibus pactis dotalibus conſideranda eſt conſuetudo vel jus ſtatutarium ſingularum provinciarum aut urbium: nam ex Jure communi Romano difficulter aliquid decernitur, cujus compilatores congeſſerunt Leges & Conſtitutiones diverſis temporibus latas, & ſibi oppoſitas.

§. 376. Dos, cujus dominium naturale ſemper, quamdiu in rerum natura exiſtit, remanet penes uxorem, regulariter non repetitur, niſi ſoluto per mortem Matrimonio 100.). Nihilominus etiam ſtan- *quando Dos reſtituatur,*

100.) C. fin. de donat. int. vir. & uxor.

teMatrimonio eam repetere uxor potest, si maritus sua culpa ad inopiam vergat 1.): vel bona mariti propter crimen fisco inferantur 2.): vel si etiam Matrimonium solvatur quoad thorum & cohabitationem absque uxoris culpa & delicto 3.), quia tunc maritus Matrimonii onera portare desinit. Circa restitutionem dotis privilegium mariti & liberorum ejus est, ut ipsis competat beneficium *Competentiæ*, ob quod non tenentur in plus, quam reservata congrua sustentatione, etiam non obstante pacto contrario 4.). Privilegium autem uxoris est, ut in *rebus dotalibus*, si tamen extant, vindicandis omnem habeat post dissolutum Matrimonium prærogativam 5.): si autem non amplius extant, pro illis hypothecam privilegiatam habeat in om-

1.) L. 24. pr. ff. solut. Matrim.
2.) L. 31. pr. ibid.
3.) C. 1. de donat. int. vir. & uxor.
4.) L. 12. & 14. solut. Matri. Exceptiones vid. in Notis GOTHOFREDI ad hanc Legem 12. n. 8.
5.) L. 30. C. de Jure dotium.

omnibus bonis mariti 6.). Quod dicitur de dote, viciſſim dici poteſt de Donatione propter nuptias ad maritum redeunte. Paraphernalia & Receptitia debent quidem redire ad uxorem, ſingulare autem prælationis privilegium non habent.

§. 377. Leges Civiles antiquiores pluribus cauſis tolerant, illi parti, quæ cauſam diſſidii 7.) dedit, inter alias pœnas dictant mulieri quidem amiſſionem dotis, viro autem amiſſionem donationis propter nuptias 8.). Juſtinianus autem Imperator circa divortium, ejusque pœnas inconſtans fuit in diverſis conſtitutionibus 9.). Jus Canonicum, etiam-

vel perdaquæ diſſolutionem Matrimonii extur?

6.) L. 12. C. qui potior. in pignor. Privilegium *hypothecæ* competit omnibus hæredibus uxoris: ſingulare autem privilegium *prælationis* uxore mortua competit ſolis ejus liberis.

7.) Alii melius ſcribunt *discidii*, ut oſtendit Böhmer Jur. Eccl. proteſt. ad tit. de donat. int. vir. & uxor. §. 4.

8.) L. 8. ff. de captiv. & de poſtlim. L. 8. §. 4. & 5. C. de Repud.

9.) L. 10. & 11. C. eod. L. un. C. de rei uxor. act. Novell. 117. c. 8. ſeqq. Novell. 134. c. 10.

si dissolutionem Matrimonii ob adu
terium non permittat, imponit t
men ipsi adulterio pœnam, quae
adultera ex causa dissoluti culpabi
ter Matrimonii ex Legibus civilibu
patiebatur, scilicet amissionem do
tis 10.), ita quidem, ut institu
etiam propria autoritate & absq
judicio Ecclesiæ, ob adulterium d
vortio, post mortem mariti hæred
exceptionem adulterii opponere po
sint uxori repetenti dotem, vel d
talitium, id est, lucrum illud, quo
pactis dotalibus ex moribus Germ
niæ, viduis in solatium *viduitatis*
ut digne se exhibere *queant*, *consti*
tui solet 11.). Ad hanc pœnam
sufficit adulterium præsumptum
(§. 374.), imo etiam, si tantum
te adulterium probetur, scilicet p
contumaciam uxoris de adulte
accusatæ, citatæ, & non compare
tis 12.). Cum autem ex princip
Ju-

10.) C. 4. de donat. int. vir. & uxor.

11.) Dotalitium & Donatio propter nup
per abusum confunduntur in c. 15.
for. comp.

12.) Böhmer loc. cit. §. 31. contra
trum Barbos. ad L. 2. solut. Matr
p. 1. in pr. n. 75.

Juris Canonici amissio dotis sit pœna adulterii, inde infertur, quod maritus uxoris adulteræ dotem lucretur, quando dos constituta est ab adultera ex bonis propriis, vel ab alio quidem, sed ita, ut soluto Matrimonio, non ad dotantem, sed ad ipsam redire debuisset. Quando autem a patre, vel ab extraneo est constituta, & hic pactus est eam sibi reddi, adulterium fæminæ istis non nocet. Cessat autem amissio dotis I. ob remissionem injuriæ per adulterium illatæ expressam, vel tacitam per cohabitationem conjugalem. II. Ob exceptionem compensationis. III. Ob factum mariti, quo consensum suum adulterio accommodavit. IV. Ob justam uxoris defensionem, e. g. si ignorans, si per vim oppressa fuit. V. Ob privatam mariti vindictam, si adulteram in adulterio deprehensam occidit 13.). Porro

13.) L. 10. §. 1. ff. soluto Matrim. &c. Duarenus ad hanc Leg. infert, dotem cedere lucro mariti, ubi vetus consuetudo uxorem adulteram interficere licite contra rationem legis civilis permittit, ut in Italia & Germania: sed falso hoc supponitur de hodiernis moribus Germaniæ; quidquid sit de Italia.

ro antiquis Germaniæ legibus introducta fuit communio bonorum inter conjuges, postea multis in locis abrogata ex principiis Juris Romani: ubi autem per Leges statutarias hæc communio retinetur, uxor etiam per adulterium amittit partem ex bonis his communibus sibi competentem 14.): consequenter etiam amittit paraphernalia, cum sint communia marito. Extra has Provincias uxor adultera non amittit paraphernalia, multo minus bona receptitia, quia leges pœnales potius restringendæ, quam ampliandæ sunt. Quæ autem dicta sunt *de Dote* respectu uxoris, idem tenendum de Donatione propter nuptias respectu mariti.

TITULUS XVI.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Conf. Decretal. lib. 4. tit. 21.

§. 378.

Secundas Nuptias

VARIÆ gentes aversabantur secundas Nuptias ex politicis rationibus,

14.) C. 10. de Consuetud.

nibus, tum quod multa parerent incommoda, tum etiam quod liberis prioris Matrimonii ut plurimum essent infestæ, mutarentque adeo affectum erga illos, ut sæpe ex priori Matrimonio natis periculum vitæ & bonorum immineret. Christiani autem primorum sæculorum ex aliis longe principiis, scilicet ex continentiæ studio secundas Nuptias aversabantur, & in iis speciem quandam adulterii, ob affectum maritalem in alteram conjugem versum, deprehendere sibi videbantur 15.): qua in re nimium excedebant Montanistæ, quibus TERTULLIANUS favebat; *olim aversabantur*

&

15.) ATHENAGORAS in Legat. pro Christian. *Vel ut natus est unusquisque nostrum, manet, vel nuptiis copulatur unicis: secundæ enim, decorum quoddam adulterium sunt.* CLEMENS *Alexandr.* Lib. 3. Strom. c. 8. *Quemadmodum avaritia & plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quæ adversetur sufficientiæ: & ut idololatria est ex uno in multos Dei attributio: ita fornicatio est ab uno Matrimonio ad plura prolapsio.* Autor operis imperf. quem sub nomine Chrysostomi allegat GRATIANUS C. 9. XXXI. q. 1. de secundo Matrimonio dicit: *Dum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta fornicatio.*

& Novatiani, qui illas prorsus dan
nabant, nec communicare cum b
nubis volebant, damnati propter
a Concilio NICÆNO 16.).

Patres, §. 379. Quamvis autem nec ut
versim, nec absolute Ecclesia dam
naverit unquam secundas Nuptia
aliqui tamen Patres, & Synodi pa
ticulares, considerata intemperanti
& incontinentia, qua iterari conn
bia præsumebant, adeo severe u
gebant & inculcabant consilium
PAULI 17.), ut binubis publica po
nitentia, & consequenter tempora
quædam separatio a communione
delium fuerit imposita, *prohibitiq*
Presbyteri interesse convivio secu
darum nuptiarum, ne videantur e
ipso facto approbare 18.).

& Imperatores, §. 380. Hunc Patrum rigorem
marunt quidam Imperatores Gra
pra-

16.) Canon. 8. BEVEREGIUS ad hunc
nonem suspicatur, Novatianos non
nes, imo neque ipsum Novatum
doctrinam tenuisse.

17.) 1. Corinth. VII. 8. *dico autem non*
ptis & viduis : bonum est illis, si sic
maneant, sicut & ego.

18.) Synod. NEOCÆSAR. Can. 3.
quos refert GRATIANUS C. 8. XX
q. 1. LAODICEN. can. 1. S. BASIL
in Epist. ad Amphiloch. can. 4.

præsertim circa tertia aut quarta Matrimonia. LEO Imperator 19.) statuit, *ut qui ad tertium Matrimonium pervenerint, pœnæ, quam in ipsos sacer Canon* (Neo-Cæsareensis) *promulgavit, obnoxii sint.* Ipse tamen LEO post tres uxores absque liberis defunctas, quartum Matrimonium iniit, a NICOLAO Patriarcha propter hanc causam a communione Ecclesiæ segregatus: LEO autem vicissim NICOLAUM a Patriarchatu expulit: unde multa dissidia inter Episcopos, tandem composita sub CONSTANTINO Porphyrogenneta, edito Tomo Unionis 20.) ubi statuitur, si quis

19.) Const. 90.

20.) Tota formula hujus unionis initæ anno Mundi 6428. indict. 8. id est anno æræ Christ. 920. cum prævia narratione de quarto Matrimonio Leonis, habetur Jur. Græco-Rom. Tom. 1. lib. 2. Præcipua capita referuntur a BALSAMONE ad cit. Can. 4. S. Basilii, & a BARONIO Annal. Eccles. ad annum Christi 901. item inter Constit. Imperatorias Corpori Juris Civilis plerumque adjectas. De epocha græca a mundo condito, quæ æram Christianam præcedit annis 5508. agit Leo allatius Dissert. de Domin. & hebdomad. græcorum in fin.

quis ad quartum conjugium veni
voluerit, eum esse omni Ecclesiast
ca congregatione privatum: sub v
riis dein limitationibus permittunt
tertiæ Nuptiæ.

ob præsumptam incontinentiam,

§. 381. Nihil aliud primorum fi
culorum Patribus in secundis aut te
tiis Nuptiis displicere poterat, quam
præsumpta incontinentia. Cum re
tem sæpe necessitas, aut saltem ju
causa ad secundas impellat Nuptia
nec ulla ratio afferri possit, cur fa
cundæ potius, quam primæ Nuptiæ
sint noxiæ; hinc etiam Ecclesia Gra
ca rigorem hunc moderata est 21.)
prout fieri præceperat INNOCENTIUS
IV. Pontifex 22.): firmior autem
consensus Ecclesiæ Græcæ & Latinæ
circa

21.) In Synodo CPolitana sub Patriarc
JOANNE BECCO, anno Mundi 6785.
respondet anno Christi 1277. Epistol
synodalem ad Romanum Pontificem
fert ODORIC. RAYNALDUS Annal. Ecc
ad ann. 1277. HARDUIN. Collect. C
cil. tom. 7. col. 753. seqq.

22.) In Epistola ad OTTONEM Cardinal
Tusculanum art. 20. data anno Pon
catus undecimo, id est anno 1253.

circa istum articulum stabilitus fuit in Concilio FLORENTINO 23.).

§. 382. Legum Civilium Constitutiones, quibus hodie utimur, secundis nuptiis favores quosdam denegant, non in odium polygamiæ successivæ, sed ex politicis rationibus, præsertim contra fæminas intra annum luctus nubentes; vel in favorem liberorum primi Matrimonii; vel ad effectus ex natura Matrimonii per se fluentes. Sic naturale est, quod mutato statu viduitatis, uxor jura prioris mariti perdat, & in domum, potestatem, forum & dignitatem secundi mariti transeat 24.): in hoc autem nulla continetur pœna. In favorem liberorum primi thori cautum est I. Ut mater ad secundas nuptias transiens,

Hodie binubis negantur quidam favores,

23.) In Decreto pro Jacobinis apud HARDUIN. Collect. Concil. tom. 9. col. 1028. *declaramus non solum secundas, sed tertias & quartas, atque ulteriores Nuptias, si aliquod Canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse &c.*

24.) L. 22. §. 1. ad Municipal. Novell. 22. c. 36.

amittat eorum tutelam 25.). II. U
amittat conjux proprietatem lucro-
rum a priore conjuge ei relictorum,
quæ liberis prioris connubii accre-
scit 26.). III. Non possit superst
in alterum conjugem plus conferr
quam uni ex liberis, cui minimum de-
dit, obvenerit 27.). IV. Amittat
usumfructum sibi a prædefuncto con-
juge relictum, qui liberis prioris Ma-
trimonii obvenit 28.). V. Mater non
possit donata liberis primi Matrimo-
nii ob ingratitudinem revocare 29.).
Cum hæc mere in gratiam liberorum
primi Matrimonii constituta sint;
hinc deficientibus liberis, hoc ipso
cessant etiam isti effectus secunda-
rum Nuptiarum 30.). Fœminas ad
im-

25.) L. 2. Auth. Matri & aviæ. & ut
Sacramentum. C. quando mul. tutel. offi
fungi possit.
26.) L. 6. §. 1. & 3. L. 8. §. 1. C. de secu
Nupt. Novell. 98. c. 1.
27.) L. 6. pr. & L. 10. pr. C. eod.
28.) L. un. C. si secundo nupserit &c.
29.) L. 7. C. de revoc. donat. exceptis
bus casibus, expressis in auth. quod
ter. ibid. ex Novell. 22. c. 35.
30.) Videri merentur plures Dissertatio
Arnoldi Rath de secundis Nuptis

immaturum festinatumque connubium intra annum luctus properantes, tum ratione honestatis, tum ob perturbationem sanguinis 31.), Leges aversantur, notantque infamia, & aliis pœnis afficiunt 32.). Pœna infamiæ nominatim per Jus Canonicum aboletur 33.). Idem sentiendum de reliquis pœnis tali Matrimonio intra annum luctus inito dictatis: ratio enim Juris Canonici ex S. PAULO 34.) petita, quod scilicet mulier per mortem mariti ab ejus lege sit soluta, liberamque facultatem alteri nubendi habeat, pugnat etiam contra alias pœnas: usus quoque forensis hac in materia inhæret Juri Canonico 35.).

---

sive de variis Legum provisionibus in favorem liberorum primi Matrimonii adversus binubos parentes.

31.) Unde hæ leges non extendendæ sunt ad maritum.

32.) L. 1. C. de secund. Nupt.

33.) C. 4. & 5. eod.

34.) 1. Corinth. VII. 39. *si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat.*

35.) S. HIERONYMUS Epist. 11. ad Ageruchiam de Monogamia, refert exemplum mulieris, quæ tempore Damasi Pontificis suc-

etiam ab Ecclesia.

§. 383. Ecclesia hodierna, depo- sito secundarum Nuptiarum odio, retinet tamen aliqua antiquæ disci- plinæ vestigia, quamvis aliæ ratio- nes obtendantur. Nam Bigami sunt Irregulares, nec admittuntur ad Or- dines Clericales 36.): dein non ad- hibetur solemnis Benedictio (§. 338.), quam conjuges binubi jam in primis Nuptiis acceperunt 37.). Ratio ple- rumque datur, quia iterandæ non sunt solemnes rerum aut personarum benedictiones, ut sunt Consecratio Ecclesiæ, Altarium, Virginum, &si- militer etiam Nuptiarum, *ne vilipen-* dantur. Forte tamen hæc denegatio benedictionis occasionem trahit ex antiquis Canonibus, qui Sacerdotes prohibebant interesse secundis con- nubiis 38.). Non ubique idem ob- ser-

---

succesſive viginti duobus viris, quorum ultimus & ipse viginti uxores sepelierat nupsit.

36.) Vid. Hierarch. Eccl. §. 23.

37.) C. 1. & 3. de secund. Nupt. Conc. Salmantic. anno 1335. can. 11. Inno- centius IV. in Epist. ad Otton. Cat. Tuscul. art. 21.

38.) Menochius. de Arbitr. Judic. lib. 2 cas. 417. n. 9. putat, Capitulum 1, de se- cund.

servatur ritus: alicubi benedictio omittitur, si alteruter sit binubus: alibi si Sponsa sit binuba: nonnullibi si uterque sit binubus. In multis locis benedicuntur omnes secundæ Nuptiæ. Cum res ista ad disciplinam pertineat, quilibet sequi debet Statuta & Ritualia suæ Diœceseos.

§. 384. Quamvis cessaverit omne odium secundarum Nuptiarum, & pœnæ abolitæ sint, nihilominus certum est, in utroque foro tam Civili, quam Canonico, secundas Nuptias non æque esse favorabiles, ac primas, propter honorem & amorem prioris conjugis, & liberorum conservandum. Unde si hæredi vel Legatario, qui in Matrimonio nondum fuerat, conditio adjicitur, *si non nupserit*, ea habetur pro non adjecta 39.), ita ut hæreditas vel Legatum exigi possit, etiamsi nupserit. Ve-

Saltem secundæ Nuptiæ, non sunt tam favorabiles, ac primæ:

cund. Nupt. loqui de Sacerdote, qui benedixit secundas Nuptias contractas vivente prima. Quidquid sit de hoc primo Capitulo, certe per alios textus apertissime prohibetur benedictio secundarum Nuptiarum post mortem primæ conjugis. Vid. Gonzal. Comment. in cit. c. 1.

39.) L. 22. & L. 72. §. 5. ff. de condit. & demonstrat.

rum respectu viduæ, vel vidui, licita & valida, consequenter observanda est talis conditio, ita ut si legatum consequi velit, cautionem præstare debeat, quod illud cum fructibus iterum restituturus sit, casu quo ad alias Nuptias transeat 40.). Nullibi autem per Sacros Canones corrigitur Jus Civile quoad has conditiones legatis adjectas, quæ neque sunt inhonestæ, neque libertatem ineundi Matrimonii adimunt absolute, sed tantum sub conditione, si lucro & favore frui velit: cuilibet autem debet esse liberum *sua relinquere* sub quacunque *conditione honesta*, a legibus non improbata.

Nec permittuntur sine prævia certitudine

§. 385. Ut ad secundum Matrimonium uxor vel maritus transire possit, exigitur moralis certitudo de obitu conjugis 41.): quando autem ha-

40.) Novell. 22. c. 43. seq. ubi corrigitur Lex 2. C. de indicta viduit.

41.) C. 19. de Sponsal. c. 2. de secund. Nupt. Tam his Constitutionibus Pontificiis, quam etiam Novella Justinian. 117. c. 11. corrigitur Lex 6. ff. de divort. quæ dubitanti de morte conjugis absentis, licentiam concedit nubendi post quin-

quen-

habeatur moralis certitudo, regula universalis dari non potest, propter circumstantias tum remotæ regionis, tum diuturnæ absentiæ, tum etiam belli aut pestis grassantis in ea provincia, ubi conjux morabatur: tandem ob alias præsumptiones, quæ ex ætate ingravescente, aut adversa valetudine oriuntur, quæ omnia pensare debet Judex Ecclesiasticus, qui vel permittit transire ad alias nuptias, vel attentatum transitum punit 42.).

de morte conjugis.

quennium exspectatum, vel post quadriennium, ut habet L. 7. C. de repud. Ad alios Canones, qui facile novas nuptias concedere videntur, respondet Eman. Gonzalez ad cit. c. 19. de Sponsalib.

42.) Vid. Boerius decis. 288. Covarruv. de Sponsal. & Matrim. part. 2. c. 7. §. 3. n. 4. Gutierrez pract. quæst. Civil. lib. 2. q. 8. & de Matrim. cap. 51. Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 46. Farinacius Prax. Crim. part. 5. quæst. 140. a num. 42. aliique passim.

TITULUS XVII.
DE SACRAMENTALIBUS.

Conf. Decretal. l. 1. tit. 15. l. 5 tit. 47.

§. 386.

Usus SICUTI Divinus Servator noster ad significandas & conferendas gratias suas, signa quædam externa instituit, quæ *Sacramenta* dicimus: ita etiam Ecclesia assumit quosdam ritus externos, tum ad prodendum & promovendum internum Dei *cultum*; tum ut dispositiones ad *Sacramenta* 43.); tum ut per illorum usum obtineamus varia beneficia Divina, vel liberationem a malo, intuitu precum Ecclesiæ, quibus consecrantur.

Sacramentalium §. 387. Si vocem *Sacramentalium* stricte sumamus, intelliguntur solum-

43.) *Vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum & contra peccata venialia, vel etiam tãquam tatem quandam faciendo ad Sacramenti perfectionem & perceptionem, sicut consecratur altare & vasa, propter reverentiam Eucharistiæ.* S. THOMAS 3. p. q. 65. art. 1. ad 6.

lummodo exteriores actiones religioſæ ad ornatum & cultum debitum Sacramentorum ſeu Sacrificii inſtituræ. Cum autem etiam extra Sacramenta piæ quædam ceremoniæ obſerventur, ideo nomen *Sacramentalium*, ut etiam iſtæ ceremoniæ contineantur, latius uſurpamus. In hoc ſenſu Sacramentalia exprimi ſolent vulgari illo verſiculo : *Orans*, *Tinctus*, *Edens*, *Confeſſus*, *Dans*, *Benedicens*. Primo vocabulo ſignificatur *Oratio Dominica* : ſecundo *Aqua benedicta* : tertio *Panis benedictus* : quarto *Confeſſio generalis* : quinto *Eleemoſyna* : ſexto Epiſcopi vel Abbatis conſecrati *Benedictio*. Alii addunt Orationem in Eccleſia conſecrata, Tunſionem pectoris & ſacram Unctionem : alii Orationem Dominicam, Confeſſionem generalem, eleemoſynam & tunſionem pectoris pro Sacramentalibus non agnoſcunt. Latius enim vel ſtrictius vox *Sacramentalium* ſumi poteſt. De plerisque ritibus in adminiſtratione Sacramentorum adhiberi ſolitis ſuo loco jam egimus : de Oratione agendum erit infra : de quibusdam aliis pauca annotamus.

§. 388. Pios eſſe ejusmodi ritus *Antiquus*, & Fidelibus valde utiles, docet Con-

cilium TRIDENTINUM 44.). Ut ipse ab Apostolorum temporibus d ductus, sufficienter demonstrat, eo dem instituendi ac mutandi pot statem in Ecclesia esse, non ita t men, ut per quemcunque Eccles rum Pastorem immutari possint r tus, in universa Ecclesia, prae tim Romana, recepti, cum isti omn nem trahant ab universaliori & s periori potestate, cui derogare no possunt inferiores. In illis autem piis actionibus & ritibus, qui ad ali quam imitationem Sacramentalium privata devotione *assumuntur*, u de Benedictionibus *dicemus*, sum mopere cavendum est ab omni su perstitione.

& utilis. §. 389. *Effectus* Sacramentalibus attribui soliti enumerantur I. Auxil um aliquod, vel bonus motus gr tiæ. II. Remissio culpæ saltem v nialis. III. Remissio alicujus pœ næ temporalis. IV. Dæmonis ex pulsio, vel cohibitio ne lædat. Commodum aliquod temporale, sanitas &c. Qua ratione autem effe-

44.) Sess. 7. can. 13. de Sacrament. in g nere.

effectus producantur, Theologis examinandum relinquimus 45.).

§. 390. Primo loco ponimus varias *Unctiones*, quibus Ecclesia utitur exemplo Apostolorum, qui *ungebant oleo multos ægros, & sanabant* 46.). Nam oleum & Chrisma non solum adhibetur tanquam materia Sacramenti Confirmationis & Extremæ Unctionis: sed etiam *Oleo Catechumenorum* Ecclesia utitur in Baptismali fonte benedicendo, in Sacramento Baptismatis conferendo, in Ecclesiis & Altaribus tum firmis, tum mobilibus consecrandis, in Presbyteris initiandis, in Rege Reginaque benedicendis & coronandis. *Infirmorum Oleo* utitur Ecclesia etiam in Campanis benedicendis. Sacrum *Chrisma* adhibetur inter ceremonias Baptismi, in Consecratione Episcopi, Patenæ & Calicis, in benedictione *Variæ Unctiones.*

45.) Vid. SUAREZ in 3. p. S. Thom. tom. 3. disp. 15. sect. 4. VALENTIA tom. 4. disp. 7. q. 4. punct. 1.

46.) MARCI VI. 13. De Chrismatis usu in sacris Ecclesiæ mysteriis differit CLAUDIUS ESPENCÆUS in 2. Epistolam Pauli ad Timoth. c. 2. pag. 20. seq. item in adjecta Appendice VI. pag. 261. seqq.

ctione Campanæ 47.). Oleum a
tem ad hos usus certis Ecclesiæ p
cibus benedicendum esse, ex a
qua traditione jam pridem agno
S. BASILIUS 48.). Benedictio a
tem hæc fit ab Episcopo in Of
feriæ quintæ Cœnæ Domini, co
tu, qui in Pontificali Romano d
scribitur. Insuper benedicitur no
nunquam Oleum a Sacerdote ad
os usus communi illa benedictio
quæ ad quodcunque comestibile
Missali, & in libro Sacramentor
S. GREGORII ponitur, *Benedic*
mine creaturam istam &c. Imo et
privatim ab hominibus sanctis ben
dictum Oleum plurimos mirabiles e
fectus habuit 49.). Huc refer
Oleum ex tumulo *S. Walburgæ*
Nicolai, aliorumque Sanctor
stillans.

§. 39

47.) Olim etiam pias imagines Chri
inunctas fuisse, observatum est supr
Tit. de Imaginib. §. 73. not. 15.

48.) Lib. de Spiritu Sancto ad Amphil
consecramus aquam Baptismatis &
Unctionis: ex quibus scriptis? nonn
cita secretaque traditione?

49.) GRETSERUS de Benedict. lib. 2.

§. 391. Non minorem ætatem ac utilitatem habet benedictio *Aquæ*, cujus usum vetustissimum, & mirabilem virtutem præter plurimos alios integro libro erudite ostendit M. ANTONIUS MARSILIUS COLUMNA Archiepiscopus Salernitanus 50.), adjunctis etiam variis aquam benedicendi ritibus Latinorum, Græcorum, Armeniorum, Syriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, quos singularum harum nationum propriis characteribus exhibet 51.). Singularis est ritus benedicendi aquam pro conferendo Baptismo, pro consecranda aut reconcilianda Ecclesia &c. Pius est etiam usus aquæ pro aspergendis hominibus, aliisque rebus. Quando enim aquam benedictam & mixto sale exorcizatam adhibemus, pie confidimus, quod per orationes, in ejus benedictione a Ministro Ecclesiæ ad DEUM fusas dignaturus sit DEUS similia operari per aquæ asper- *Benedictio Aquæ,*

50.) Hydragiologia, sive de Aqua benedicta.

51.) Fuse etiam materiam hanc tractat GRETSERUS de Benedictionibus lib. 2.

ſperſionem in nobis, qualia or
do aut benedicendo prius pe
ſunt, dicendo . . . *virtutem tuæ b*
dictionis infunde, ut quidquid in do
bus, vel in locis fidelium hæc unda
ſperſerit, careat omni immunditia, li
retur a noxa: non illic reſideat Spiri
peſtilens, non aura corrumpens: diſſ
dant omnes inſidiæ latentis inimi
Multis etiam beneficiis DEUS co
firmat uſum aquæ contactu Re
quiarum, & invocatione quorun
dam Sanctorum, ut S. Ignatii, S
Xaverii &c. conſecratæ. Inter hæ
reticos, qui uſum aquæ benedict
impugnarunt, creduntur primi fu
iſſe *Flagellantes* 52.), quos ſtrenu
æmulati ſunt alii recentiores.

Panis; §. 392. Antiquiſſimus pariter uſ
eſt benedicendi *panem*, tam ſolem
ni, quam privata benedictione. Fo
mula ſolemnis benedictionis extat
Miſſali Romano. Græci poſt Litu
giam diſtribuunt præſentibus pane
illum, ex quo ad Sacrificium co
ficiendum particulam deſecerunt
vocant eum ἀντίδωρον, καταλαγ
latine

52.) Vid. ALPHONS. DE CASTRO adv
hæreſ. lib. 2. V. *aqua*. SIANDA Le
Polem. V. *Flagellantes*.

latine fractionem. Multa de hoc tradunt Commentatores Græcarum Liturgiarum 53.); & CONSTANTINO CABASILÆ, dubitanti, an Antistiti Græco liceat, Latinis fractionem distribuere, si sacro ministerio interfuerint, respondet DEMETRIUS CHOMATENUS, ut accedentibus Latinis fractionem prompte largiatur; hac enim ratione Latinos paulatim attrahendos esse sperabat ad ritus Græcos 54.). Eundem panem intelligimus sub nomine Eulogiarum, quæ Fidelibus sub Sacrificio non communicantibus, distribuebantur, etiam apud Latinos, & adhuc hodie a Græcis non nisi jejunis sumuntur 55.). Mittebantur etiam Eulogiæ in celebrioribus festis, uti Paschate & Natalitiis Domini

53.) Vid. NICOLAUS CABASILA in Expos. Liturgiæ. c. 53.

54.) Jus Græco-Rom. tom. I. lib. 5. pag. 321.

55.) LEO ALLATIUS de Eccles. Occid. & Orient. consens. lib. 3. c. 9. §. 1. Scriptores innumeri agunt de Eulogiis, quorum magnam copiam allegat DU-FRESNE Glossar. V. *Eulogiæ*. Videatur etiam Card. BONA Rer. Liturg. lib. 1. c. 23. GRETSERUS de Benedict. lib. 2. c. 24.

mini, privata benedictione consecratæ ab Episcopis & Presbyteris cum literis salutatoriis ad alios Episcopos, Reges aut amicos 56.), adjunctis sæpe aliis munusculis 57.). Panes etiam parvuli benedicuntur in honorem S. NICOLAI Tolentini in memoriam illius prodigii, quo dum NICOLAUS graviter decumbebat, a Deipara & S. Augustino recreatus, ipsiusque jussu sumpta quam aquæ intinxerat, panis buccella, subito convaluit 58.).

Clavium; §. 393. Ad hunc tractatum referuntur etiam alia pia *munuscula*, quæ vel ab inclusis Sacris Reliquiis vel a Benedictione Ecclesiæ singulare

---

56.) Formulas harum literarum exhibet MARCULFUS lib. 2. formul. 42. & seq. vid. not. BIGNONII ad hanc formulam.

57.) PAULUS quidam DESIDERIO Episcopo Cadurcensi grates agit de Eulogiis sanctis, de falerno nobili, vel vasculo decem &c. apud HENRIC. CANISIUM antiq. Lect. tom. 5. & Promptuar. Ecclesiast. p. 2. Epist. 11. ad Desiderium p. 545.

58.) Vid. Acta Sanctorum tom. 3. Septembr. pag. 650. & 730. seqq. ubi recensentur plurima miracula per hunc panem patrata.

rem efficaciam obtinent. Sæculo VI. S. GREGORIUS M. Childeberto Regi Francorum misit auream clavem, cui particulæ ex vinculis S. Petri inclusæ erant, e collo suspendendam 59.). Jam prioribus Pontificibus ejusmodi claves in usu fuisse, patet ex eodem GREGORIO 60.), dum mittit THEOTISTÆ illam ipsam clavem auream a Decessore suo ad quemdam missam, quam Longobardus quidam pro aliis usibus incidere volens, repente per Spiritum arreptus sibi ipsi cultellum in gutture defixit, eadem hora extinctus. Aliam misit RECAREDO Regi Visigothorum, in qua inest ferrum de catenis B. Petri inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat 61.). Simile donum sacrum misit GREGORIUS VII. ad Alfonsum Hispaniarum Regem 62.).

59.) S. Gregorius M. lib. 5. indict. 14. epist. 6. *Claves præterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, Excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ a malis vos omnibus tueantur.*

60.) Lib. 6. indict. 15. epist. 23.

61.) Ibid. lib. 7. indict. 2. epist. 128.

62.) Regist. Gregorii VII. lib. 7. ep. 6.

Plura

§. 394. His Clavibus aureis potis-
sima Religio accedebat ex inclusis
Numisma- Reliquiis: cum autem ingens esset
tum; Fidelium desiderium ejusmodi mu-
nuscula Pontificia obtinendi, hæc
etiam absque Sanctorum Reliquiis
missa fuerunt, scilicet dictæ Claves
aureæ attactu Sepulchri S. Petri 63)
consecratæ, item Cruces, Numis-
&c. quibus impertita erat Pontificia
Benedictio, addita etiam venia pec-
catorum. Nummorum ejusmodi
originem deducunt ex iis, quæ in
Bel-

Plura exempla recenset FERRANDUS in
Disquisit. Reliq. lib. 1. c. 3. art. 3. sect.
3. §. 1.

63.) In cit. epist. 128. S. GREGORIUS
fine addit: *præterea transmisimus clav*
aliam a sacratissimo B. Petri Apostoli C
pore, quæ cum digno honore reposita,
que apud vos invenerit, benedicendo
plicet. Talem fuisse clavem quidam
stimant, quam GREGORIUS III. misit
CAROLUM MARTELLUM apud BA
NIUM ad ann. 740. n. 22. GRETSER.
edit. tom. 6. pag. 686. Sed in Chron
FREDEGARII missæ dicuntur *claves*
nerandi sepulchri cum vinculis S. Pe
quas Pontifex Carolo *ad rogum* dire
id est, ad preces, seu pro honore
Vid. DU CANGE V. *Roga. Rogus.*
Baronius & Gretserus posuerunt
ad regnum.

Belgio acciderunt 64.), ubi hæretici, assumpto Gheusiorum nomine nummum suspenderunt e collo, tanquam signum conspirationis. His ut se opponeret PHILIPPUS CROIUS Aresschoti Dux, pro sua in Hallensem Virginem pietate, Deiparæ imaginem ipse, quique cum eo erant Nobiles complures in galeri spiram eleganter inseruere: quæ res PIO quinto Pontifici adeo grata accidit, ut ad augendam Belgarum religionem, Numismata illa rite consecrasse, atque gestantibus noxarum veniam pro Pontificia potestate dilargitus esse dicatur. Inde factum memorant, ut Belgarum exemplo ubique terrarum certatim excepto, sacrorum ex metallo numismatum religio aut originem duxerit, aut certe suam tunc primum celebritatem derivaverit. Hæc consuetudo benedicendi nummos magis invaluit tempore SIXTI V. Pontificis. Cum enim sub dirutis quibusdam muris Lateranensis Palatii invenirentur multi nummi aurei a variis antiquis Imperatoribus & Regibus in memoriam suæ erga SS. Apostolos devotionis

64.) Narrante FAMIANO STRADA de Bello Belg. Dec. 1. lib. 5. ad ann. 1566.

nis ac liberalitatis ibi olim abscondit
Pontifex plerosque summis Viris di
stribuebat: cum autem ejusmodi mu
nera essent gratissima: nummi vero il
demum deficerent, facti denique sunt
alii Sanctorum imaginibus & Benedi
ctione Pontificia insigniti.

Agni Cereis §. 395. Sicut nummi isti ex vario
metallo, ita etiam fieri & a Pontifice
benedici solent formæ quædam ce
reæ, quibus figura Agni imprimi
tur, in memoriam JESU Christi, qui
Agnus est sine macula, & pro nobis
occisus: unde formæ illæ vocari so
lent *Agnus DEI*. Incertum est, quo
tempore introductus sit hic ritus 65.)
Anno 1544. Romæ effossus est tu
mulus Mariæ filiæ Stiliconis, Hono
rio Imperatori desponsatæ 66.)
mortuæ tamen in Virginitate, a
tequam nuptiæ complerentur: i
in sarcophago marmoreo præter ce
tera pretiosissima monilia invent
est *Agnus DEI* 67.). Suspica
GRET.

65.) Videri potest THEOPHIL. RAYNA
DUS tom. 10. tract. de Agno Cereo. c.
HONORATUS A S. MARIA animadv
in Regul. Critices tom. 3. lib. 5. Dis
2. art. 3.
66.) Epithalamium cecinit CLAUDIAN
67.) MÜNSTERUS Acatholicus, Cos
gra

GRETSERUS 68.), non fuisse ceream Agni cœlestis effigiem; sed vel Agni figuram ex auro, argento, gemmisve compactam; vel eandem in auro, argento, vel unione quopiam sculptam, sive cœlatam &c. At vero BENEDICTUS XIV. 69.) testatur fuisse *Cereum* Agnum DEI, ex quo liceret conjicere harum formarum vetustatem 70.). Certe Ordo Romanus, Liber sæculo octavo antiquior, non tanquam de re nova, sed inter alios ritus vetustissimos, simul cum ritu benedicendi Cereum Sabbato Sancto, mentionem facit

graph. lib. 2. de Italia. dum narrat, ibi reperta varia muliebria ornamenta, addit: *in quibus bulla earum, quas hodie Agnus Dei vocant, per cujus ambitum inscriptum erat, Maria nostra florentissima.* idem refert SURIUS Commentar. rerum in orbe gestar. ad ann. 1544.

68.) De Benedict. lib. 2. c. 36.

69.) De Canonizat. l. 4. p. 2. c. 21. n. 12.

70.) An Agnus in sarcophago Mariæ inventus referendus sit ad sacras ceras, de quibus hic sermo est, dubium facit profana inscriptio, quæ Mariam Stiliconis filiam omnium pulcherrimam prædicabat. forte Agnus ille, ex quacunque materia fuerit confectus, symbolum erat ipsius Mariæ ex Baptismi fonte renatæ.

de distributione Cerei Agni benedicti 71.). Conficiuntur autem hæ formæ ex cera alba, cui antiquitus miscebatur oleum Sacrum 72.): imprimitur imago Agni: pro earum consecratione benedicitur aqua, infuso balsamo & Chrismate: huic immergit Pontifex cereos hos Agnos DEI, precibus DEUM exorando, ut eas formas benedicere, sanctificare & consecrare dignetur, iisque tantam impertiat virtutem, ut quicunque recta fide, ac vera pietate iisdem usus fuerit, ea dona ac beneficia consequatur, quæ *in forma* benedictionis exprimuntur 73.). Solet

71.) Eosdem ritus recensent sæculo octavo & nono, ALCUINUS de Divin. Offic. tit. de Sabbatho S. Paschæ. AMALARIUS FORTUNATUS de Eccles. offic. lib. I. c. 1

72.) AMALARIUS loc. cit. dicit: *quum Agnum de cera videmus, Agnus passus ratus & in Pascha immolatus, ad memoriam reducitur, cui Sanctus Gregorius oleum infudit, quando mysteria Paschalis Agni reseravit.* Per oleum sæpe apud antiquos intelligitur Chrisma.

73.) Vid. formula impressa Romæ ann. 17 quæ continetur in Appendice ad Tom. Bullarii BENEDICTI XIV. num. 5. pag.

let autem Pontifex eas consecrare aliquo die post Pascha, & distribuere Sabbato in Albis, anno primo, & postea quovis septennio Pontificatus sui; ac insuper tempore anni Jubilæi, quando in ejus Pontificatum incidit 74.).

§. 396. Alia a Summo Pontifice instituitur solemnitas, Dominica quarta Quadragesimæ 75.), qua festivus Introitus *Lætare Hierusalem* ab Ecclesia cantatur, & *Rosa aurea* consuetis precibus benedicitur, balsamo inuncta, contrito odorifero musco perfusa, thure adolita, & aqua benedi- *Rosæ aureæ &c.*

565. Inter omnes Catholicos constat, ejusmodi ceris sicut etiam aliis rebus benedictis, non inesse intrinsecam virtutem producendi supernaturales effectus, sed hos exspectari a Divina bonitate per merita Christi. Unde formulæ, qua consecrantur hi Cerei Agni, immerito impingit notam blasphemiæ HOSPINIANUS de festis Christianor. pag. 76.

74.) Ritus Benedictionis & distributionis recensent Ceremoniale ROMANUM lib. 1. tit. 7. & lib. 2. tit. 2. rubr. de Sabb. in Albis.

75.) Hæc Dominica ob benedictionem Rosæ aureæ vocatur *Dominica Rosarum*, etiam in quibusdam locis Germaniæ, uti Geisenfeldæ in Bavaria.

nedicta aſperſa. Solet Pontifex hanc dono dare præſenti cuipiam Principi Viro, interdum etiam ad abſentem transmittere. Nimis longum foret, hoc loco diſcurrere de antiquitate, ritibus & myſteriis hujus Roſæ 76.), uti etiam de *Pileo* & *Gladio* ab eodem Pontifice in nocte Natalis Domini benedici ſolitis 77.).

Aliæ Benedictiones variæ.

§. 397. Benedictio, de qua hactenus, fit cum conſecratione quadam & dedicatione rei, cui impenditur; ad quem finem etiam benedicuntur paramenta, cerei, thus &c. ad uſum Officiorum Divinorum *deſtinata*: vel ſaltem adhibentur *certæ preces* ab Eccleſia præſcriptæ: ſic benedicitur vinum cum invocatione S. JOANNIS *Evangeliſtæ*, qui venenum ſine ullo damno bibiſſe traditur; carnes, herbæ, aliaque comeſtibilia; item do-

76.) Vid. THEOPH. RAYNAUD. tom. 1. tract. de Roſa Mediana. a pag. 405. ANTON. BALDASSARRI tract. qui inſcribitur *La Roſa d'oro*. BENEDICTUS XIV. in Epiſtola, qua Roſæ aureæ donum Bononienſem Eccleſiam transmiſſum commulavit. Bullar. tom. 3. conſt. 42. Ceremoniale Romanum lib. 1. tit. 7.

77.) De his idem RAYNAUD. tom. 10. pag. 530. Ceremoniale Rom. loc. cit.

domus, naves, agri, thalami &c. adversus dæmonum & infernalium potestatum insidias & fraudes: Vexilla quoque bellica, arma &c. pro impetranda Divina protectione 78.). Alia Benedictio præcise est fausta apprecatio, quæ a Sacerdotibus, vel Viris sanctis prolata, semper a Fidelibus summopere æstimabatur, adeo ut quandocunque sibi obvii, vel simul conversati fuerunt, passim benedixerint aliis, vel benedictionem petierint 79.). Infideles etiam Saraceni obviam processere S. HILARIONI, submittentes colla, & voce Syra *Barach*, id est, *Benedic*, inclamantes 80.): S. SIMEON stylites

78.) Formulæ harum benedictionum continentur in Missali, Ceremonialibus, Ritualibus, Manualibus &c. consuli etiam possunt Commentatores Rubricarum, Bartholomæus Gavantus, Cajetanus Merati, aliique.

79.) Paphnutius Abbas appropians ad speluncam S. Onuphrii, secundum consuetudinem monachorum clamare cœpit, benedictionem humillime petens. apud Rosweydum in Vitis PP. lib. I. pag. 101.

80.) S. Hieronym. in Vita S. Hilarionis. Communis est Juris regula, minorem be-

ne-

tes concurrentes ad se barbaros m
fit ad Theodoretum, ut Sacerdot
lem acciperent benedictionem, d
cens fore, ut magnum hinc fructu
perciperent: barbari illi tanto in
petu pro impetranda benedictio
irruerunt in Theodoretum, ut is p
ne fuisset compressus, nisi Simeon
sua columna clamorem edens, om
nes dispersisset 81.). Dissimulare
non possum, inde profectum etiam
esse morem apud Germanos, pro
pinandi aliis in convivio, ubi offer
tur alteri poculum ad petendam b
nedictionem, quam *impertire* alte
solet, dicendo, *Deus benedicat*, qu
for-

---

nedici a majore. Id Nicolaus Pap
c. 6. dist. 21. desumit ex Epist. S. P
11 ad Hebræos VII. ubi ex eo, q
Melchisedech benedixerit Abraham
infertur Sacerdotium Christi secund
ordinem Melchisedech, majus esse
vitico, cum Levi adhuc in lumbis Ab
hæ existens benedictionem accepe
Melchisedech.

81.) Hæc & alia ad hanc rem na
ipse Theodoretus in Historia Relig
sa, quæ inscribitur Θεοφιλης cap.
Similia passim occurrunt apud Roswe
dum in Vitis Patrum, & in Actis Sa
ctorum.

formula apud plebejos adhuc hodie in usu est. Verum pius hic ritus apud multos omnem pietatem amisit, versusque est in ebrietatis & intemperantiæ occasionem 82.).

Purificatio post partum.

§. 398. Inter Ritus sacros Ecclesiæ, de quibus Canones mentionem faciunt, numeratur etiam *Purificatio post partum.* Lege Mosaica, qua certi dies Purificationis mulieribus præfiguntur 83.), non teneri fœminas Christianas, declarat Innocentius III. 84.): devotionem tamen earum non credit improbandam, si ex veneratione voluerint aliquamdiu ab ingressu Ecclesiæ abstinere. Consuetudo invaluit, ut etiam nostris temporibus mulieres post partum per aliquot hebdomades ex decentia laudabili domi se contineant, & ante ingressum in Ecclesiam præscriptis in Rituali precibus benedictionem a Paro-

82.) De ejusmodi benedictionibus privatis Vid. GRETSERUS tract. de Benedict. lib. 1. c. 9. seqq. Nullo autem modo probandus est modus benedicendi, qui insinuatur a Glossa in c. absit. 14. XI. q. 3. v. sinistrum.

83.) Levitic. XII.

84.) C. un. de Purif. post part.

Parocho suo recipiant, candelas offerant, & honorarium eidem relinquant. Quamvis autem hæc consuetudo vim juris obligantis non habeat: ubi tamen illa viget, non possunt Regulares in suis Ecclesiis absque speciali privilegio hanc ceremoniam peragere, nisi sint proprii Parochi. Nam administratio utii Sacramentorum, ita etiam Sacramentalium publica & solemnis, cum superpelliceo, stola, & aqua benedicta, cum oblatione candelæ, quæ sunt signa jurisdictionis, ad solum Parochum intra fines suæ *Parochiæ*, tanquam habentem *jurisdictionem*, intentionem fundatam in oblationibus, spectare videtur 85.). Regulam dat GAVANTUS 86.), quod benedictiones, quæ sunt in Missali, possint expleri a quocunque Sacerdote; quæ vero sunt in Rituali, solo

85.) PIGNATELLI tom. 5. Consult. MONACELLI Formular. Legal. for. clef. p. 1. tit. 10. form. 18. n. 10. LAURETUS de FRANCHIS controv. Episc. & Regul. p. 2. q. 69. cui tamen contradicit ZACHARIAS PASQUALIS in addit. ad hanc quæst. 69.

86.) Thesaur. Rubric. p. 4. tit. 19.

solo Parocho. Regulam hanc sæpe limitat consuetudo.

TITULUS XVIII.

DE INSTRUCTIONE POPULI PER CATECHESES ET CONCIONES.

§. 399.

TEMPLA ad eum etiam finem constructa sunt, ut populus in iis commodius instruatur (§. 6. & 176.). Hæc instructio duobus potissimum modis solet fieri. Sicuti enim ARISTOTELIS, aliorumque Philosophorum 87.) alia est methodus *Exoterica*, qua rudiores primis disciplinæ cujusdam principiis imbuuntur; alia *Acroamatica*, qua doctrinæ graviores accurate traduntur: ita etiam Religionis Christianæ capita secundum duplicem hanc methodum tradi solent. Ad Exotericam Theologiam spectat *Catechetica*, quæ præcipuas tantum & maxime necessarias doctrinæ Christianæ veritates in se continet, & methodum *Catecheses*

87.) A. GELLIUS Noct. attic. lib. 20. c. 5.

dum requirit, captui atque indo
ſimpliciorum, rudiorumque hom
num accommodatam. Altera m
thodus accuratiorem tradit rerum
Divinarum cognitionem, ſolidiorem
veritatum demonſtrationem, vari
rum opinionum enumerationem,
falſarum refutationem &c.

Juſſu Concilii Tridentini

§. 400. Per *Catecheſin* intelligitur familiaris explicatio doctrinæ Chri
ſti, myſteriorum & veritatum Re
ligionis, quarum notitia ad ſalutem eſt neceſſaria. Solicite hæc adhibe
ta eſt ab Apoſtolis 88.), & primis Eccleſiæ Patribus 89.): inculcatu
que hæc ſummi momenti obligati
a Concilio TRIDENTINO 90.

Ut

88.) Vid. Joan. Georg. Walchius de
Apoſtolorum Inſtitutione Catecheſeos.

89.) Extant Cyrilli Hieroſolymitani C
techeſes. S. Gregorii Nyſſeni ſeu
Catecheticus, præcipuos Religionis Chri
ſtianæ articulos per quadraginta ca
complectens. S. Gaudentii Epiſc
Brixiani Orationes Catecheticæ, q
ſcripto tradidit in gratiam Benevol
qui morbo impeditus, illis concionan
intereſſe non potuit.

90.) Seſs. 24. c. 4. de Reform. Epiſcop
ſaltem Dominicis & aliis feſtivis di
p

Ut ista rite executioni daretur, visum est Patribus Tridentinis maxime referre, si liber sanctæ Synodi autoritate ederetur, ex quibus Parochi certa præcepta petere, atque depromere ad Fidelium ædificationem possint. In lucem igitur prodiit *Catechismus ex Decreto Concilii Tridentini ad Parochos*, ubi per quatuor capita omnis vis & ratio salutaris doctrinæ distribuitur, scilicet per Symbolum Apostolorum, Sacramenta, Decalogum & Dominicam Orationem. Cum autem hic liber in usum eorum, qui Catechismum tradunt, confectus sit, minores variæ præcipuorum capitum summæ sunt editæ, ex quibus vulgatissimus in Germania nostra est, Catechismus PETRI CANISII: Pontificum autem oraculis commendatur summopere libellus ex mandato CLEMENTIS VIII. a Cardinale BELLARMINO conscriptus, mox in deputata Congregatione diligenter examinatus

&

pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, docerī curabunt, & si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent.

& approbatus, ac denique ab e
dem CLEMENTE in lucem edi ju
ſus 91.).

ordinate tradendæ

§. 401. Hi & alii recentiores C
techiſtæ plerumque ita dividunt d
ctrinam Chriſtianam, ut primo lo
co tradant, quæ ad *Fidem*, expl
cando Symbolum Apoſtolorum
ſecundo quæ ad *ſpem*, explanand
Orationem Dominicam; tertio lo
co quæ ad *Charitatem* pertinent, in
culcando Præcepta Decalogi & Ec
cleſiæ. Quarto loco tradunt doctri
nam Sacramentorum, quæ ſunt in
ſtrumenta ad obtinendas & conſer
vandas virtutes, obtinendæ ſaluti
neceſſarias, de quarum variis ſpecie
bus, uti & vitiis oppoſitis quinto
loco differere ſolent. Quacunque
materiarum diviſione uti libeat, i
ſummopere curandum, ut doctrina
Chriſtiana congruo ordine tradatur.
Apta ad id comparatione utitur
CYRILLUS 92.): *ædificium quoddam*
eſſe intelligas Catecheſin, ac niſi ordi
vinculis conſtringamus ſtructuram,
quid laxum & hians reperiatur, debi
fiet

91.) BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. I
Conſt. 42.

92.) In Præfat. ad Catechef.

fiet ædificium : sed est operæ pretium, lapidi lapidem apponi, & angulum angulo conjungi, atque superfluis abscissis, perfectas ædes perficere &c. ad eundem modum, afferimus tibi tanquam lapides cognitionis &c. Monet etiam BENEDICTUS XIV. 93.) non satis esse confusim & involute credere a Deo revelata, & ab Ecclesia Catholica proposita mysteria, sed singillatim hujus cœlestis doctrinæ capita explicentur, & eorum aliqua necessitate medii, aliqua vero necessitate præcepti Fidelibus ad credendum proponantur &c. &c. Unde etiam BENEDICTUS XIII. sua solicitudine non indignum censuit, ut Catechesin pro pueris, qui primum Confessionem peragunt, vel Eucharistiam suscipiunt, Synodo suæ Romanæ adjiceret 94.).

§. 402. Singulare semper fuit officium *Catechistarum* in Ecclesia, quorum erat, Catechumenos primis Religionis elementis instituere, & hoc modo ad recipiendum Baptismum præparare. Interdum ipse Episco-

ab iis, quorum id est officium;

93.) Loc. cit.
94.) Appendix ad Concil. Rom. §. 29. & 30.

pus hoc officium peragebat, scilic ultimis ante Pascha, quo Baptism conferendus erat, diebus 95.). Al temporibus Presbyteri 96.), & Diacon 97.), aut etiam inferioris ordinis Cl rici hoc munere fungebantur: OPT TUS Lector erat Ecclesiæ Carthag nensis, quem tamen CYPRIANU Catechisten fecit, sive ut ipse loqu tur, *doctorem audientium* 98.). ORI GENES quando Catechista Alexan driæ constitutus fuerat, certe majo ribus Ordinibus non erat initiatus, cum eo tempore solummodo anno rum octodecim ætatem *haberet* 99.).

Imo

95.) Colligitur ex verbis S. AMBROSII l latis supra §. 13. not. 40.

96.) S. CHRYSOSTOMUS cum esset Presby ter Antiochiæ, Homiliam vigesimam pri mam ad Populum Antioch. inscripsit: *Ca techesis ad illuminandos*, hoc est, ad Ca didatos Baptismi.

97.) Ex AUGUSTINO de Catechizandis rudibus cap. 1. discimus, DEO GRATIA Catechisten fuisse, cum esset Diacon Carthagine: quo rogante Augustinu hunc librum scripsit, subsidium quodda in hoc officio peragendo ei subminist turus.

98.) CYPRIANUS Epist. 24.

99.) EUSEB. lib. 6. c. 3. S. HIERONY de Scriptorib. in Origene.

Imo etiam Diaconissæ privatum Catechistarum officium, rudiores & rusticas fœminas domi erudiendo, implere jussæ sunt 100.). Censemus enim, ejusmodi Catecheses non in Ecclesiis ad Synaxes destinatis habitas, sed etiam Viros Catechumenos in separatis auditoriis, fuisse instructos. Unde DEMETRIUS Alexandriæ Episcopus indignatus est, quod ALEXANDER Episcopus Hierosolymitanus & THEOCTISTUS Episcopus Cæsareensis ORIGENI publice in Ecclesia concionandi autoritatem impertiti fuerint, cum tamen nondum esset Presbyter: ipse autem DEMETRIUS Catechistæ munus ipsi dederat: unde infertur, conciones has Catecheticas non fuisse habitas in publica Ecclesia; huic tamen conjuncta & ad tales usus aptata erant loca, quæ *Catechumenia* dicebantur 1.).

§. 403. His temporibus præcipua cura tradendi Catecheses in Ec- *Præsertim a Parochis:*

100.) S. HIERON. Comment. in Rom. XVI.

1.) Concil. Carthag. IV. c. 12. ann. 398. De his LEO Imp. Novell. 73. Can. TRULL. 97. ibique BALSAMON & ZONARAS.

clesia Parochiali incumbit Paro-
cho 2.). Advertit autem BE-
NEDICTUS XIV. satis experien-
tia compertum esse, imparem esse
solius Parochi laborem, cum
nequeat unus omnes instruere, ubi
Doctoris diligentiam numerus vin-
cit. Adjuvare eos debent Ludima-
gistri, patresfamilias, aliique, præ-
sertim ubi pia sodalitia erecta sunt,
quorum cura in explicanda Christia-
næ Religionis disciplina versatur.
Putant aliqui, Parochum actu ta-
lem non satisfacere coram DEO, si
toto anno ipsemet cessante justo
impedimento non Catechizat 3.):
sano

2.) Vid. P. SEBAST. D' ABREU specul. Pa-
roch. lib 2. c. 5. MONACELLI formul.
leg. pract. part. 1. tit. 10. form. 18.

3.) Recentissimus Autor de *Modo rite &
utiliter catechizandi* pag. 40. mediam ha
viam tenere dicit *Barbosam de offic. &
potest. Parochi. p.* 1. *c.* 11. *n.*11. *La Cro
l.* 4. *de Benef. Eccles. in addit. ad art.
q.* 127. *n.* 865. *cum pluribus aliis ab eod
cit.* Mihi non vacat, in errores typi
calami, qui in scribendis numeris fac
irrepunt, indagare. Certe neuter hor
Autorum in Editione, qua ego utor, l
cis citatis simile quid dicit.

sano in sensu doctrina hæc intelligi debet; nam si credatur Parochus satisfacere muneri suo, una alterave vice per annum catechizando, & ad id eum teneri, ego sane adoptare illam non auderem. Si enim Parochus *ordinarie* impeditus non sit, debet ipse fungi *ordinarie* hoc officio, potestque occurrente nonnunquam impedimento alterum substituere: si vero *ordinarie* impeditus sit, potest id munus constanter alteri committere; nec tenetur uno tantum, vel altero die commissam cuipiam functionem interrumpere. Id autem habebit solatii, quod sibi ipsi suggerit S. PETRUS DAMIANI, vocis raucedine a prædicando impeditus, dicens 4.): *quod si Sacerdos quispiam ad utrumque non sufficit, videlicet ut & vita clarus, & doctrinæ facultate sit profluus; melior est vita procul dubio, quam doctrina.* Quamvis autem Parochus consueto Catechismi per alium habendi tempore, functionem istam non obeat, non deerit tamen occasio, nisi omnem animarum curam negligat, periclitandi peritiam

4.) Lib. VIII. epist. 1.

suorum Parochianorum. Regularium, qui in propriis Ecclesiis Catecheses libere habere possunt, nemo se intrudet in Ecclesias Parochiales, invito Parocho: ubi tamen necessitas aliquando urgebat utendi per longum temporis spatium eorum operâ, inhumanus videbitur Zelus Parochi, si licet ipse ejusmodi officiis *constanter* fungi non possit, eos abdicare velit. Advertunt Interpretes, ex oraculo Sancti Spiritus Medicum honorandum esse, non solummodo *in necessitate*, scilicet tempore ægritudinis; sed etiam *eo tempore*, quo quis sano corpore fruitur, *propter necessitatem*, etiam futuram. Circa hoc negotium Catecheticum de removendis Regularibus, solent quidam multa exscribere ex VAN-ESPEN, dissimulato tamen hujus Autoris nomine: nam eo audito, Lector facile refricaretur memoria illius temporis, quo nonnulli Episcopi & Parochi nolebant subditos suos instrui doctrina mandatis Romanis conformi: unde remotos volebant quosdam Regulares, Constitutionibus Pontificiis obedientes. Quisquis demum Catechesin tradat; eam metho-

methodum tenere debet, quæ ætati, ingenio, moribus, conditioni audientium conveniat 5.); id agendo, *ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat* 6.).

§. 404. Obligatio audiendi doctrinam Catecheticam sane est maxima. *Existima*, ait S.CYRILLUS 7.), *tempus id esse plantationis arborum quo nisi fodiamus & inseramus, quando tandem poterit rectius plantari, quod semel est male plantatum?* Primis Ecclesiæ sæculis plerumque adulti, qui Catechumeni vocabantur, ante susceptum Baptisma principiis fidei & religionis imbuebantur: his temporibus idem Catechismus ante Baptismum instituitur, patrini tamen loco infantis respondent. Unde adultiores facti tenentur discere & scire ea, quæ per os patrini sui responsa & promissa fuerunt. Cum autem non levis sit multorum hac in re negligentia, hinc *eas frequentantibus*

5.) Videatur Procemium Catechismi Romani.

6.) S. Augustinus lib. 4. de doctrin. Christ. c. 28.

7.) Cyrillus Hierosolym. in Præfat. ad Cateches.

indagandum sæpe, an adultiores sint bene instructi, præsertim quando Sacramenta suscipiunt, vel Matrimonio junguntur &c. In Ecclesiis ruralibus curandum summopere, ne desit occasio audiendi Catechesin: in urbibus vero invigilandum, ne negligatur occasio, quæ frequens & abundans esse solet.

Concedun-tur Indul-gentiæ.

§. 405 Ad promovendam institutionem Catecheticam varias Indulgentias concesserunt Summi Pontifices. Primum quidem GREGORIUS XV. anno 1622. concessit *Religiosis* Societatis JESU, & aliis *cum iisdem* in tradenda doctrina Christiana cooperantibus insignes gratias spirituales, ut videre est in ejusdem Pontificis Constitutione, quæ incipit *Pietatis*, relata in Instituto ejusdem Societatis: item INNOCENTIUS XI. Fratribus S. Francisci de observantia 8.). Has aliasque Indulgentias & gratias confirmavit ac extendit Clemens XII. in Brevi *Cœlestium* anno 1735. 9.).

§. 406.

8.) Per Breve *Pietatis*. dat. 30. Maij 1686. N. 154.

9.) Bullarii tom. 15. Const. 157. Similia Brevia idem Clemens XII. edidit 15. Novemb. 1730. & 16. Maij 1736.

§. 406. Altera instruendi populi, & exactiorem mysteriorum notitiam tradendi methodus fit per Concio-nes, & prædicationem Verbi Divini. Hoc munus datur Diacono in ejus ordinatione; dicit enim Pontifex: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare* 10.), monetque eos, ut Ecclesiam Dei, velut tabernaculum, portent, & muniant ornatu sancto, *prædicatu Divino*, exemplo perfecto. Nihilominus cum munus prædicandi præcipue pertineat ad Episcopos & Presbyteros 11.); Diaconus illud suscipere non debet, nisi in eorum defectu, & eorum jussu, aut ex speciali privilegio; prout Clericis Societatis JESU prima tantum tonsura insignitis facultatem

Concionum habendarum obligatio

10.) Pontif. Rom. tit. de Ordinat. Diaconi. An per prædicationem solummodo intelligatur recitatio Evangelii, quam facit Diaconus inter Missarum solemnia? Vid. THOMASSIN. de vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. lib. 3. c. 86. n. 17.

11.) In Pontif. Rom. tit. de Ordinat. Presbyt. *Sacerdotem oportet prædicare... sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei.* Item S. GREGOR. Pastor. p. 2. c. 4. *Prædicandi officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit &c.*

Verbum Dei ubique prædicandi con
cessit PAULUS III. anno 1545.
GREGORIUS XIII. anno 1584.

inculcatur a Concilio Tridentino

§. 407. De hoc præcipuo Pasto
rum munere oportet & sufficit so
re, quæ Concilium Tridentinum
variis Sessionibus constituit & ho
tatur, ut quicunque Parochiales, v
alias curam animarum habentes E
clesias obtinent, per se, vel alios id
neos, si legitime impediti fuerint,
diebus saltem Dominicis & festis so
lemnibus plebes sibi commissas pr
sua & earum capacitate pascant s
lutaribus verbis; docendo, quæ sc
re omnibus necessarium est ad salu
tem, annuntiandoque eis cum bre
vitate & facilitate sermonis, viti
quæ eos declinare, & virtutes qua
sectari oporteat 12.): *ut frequen
inter Missarum celebrationem, ex is
quæ in Missa leguntur, aliquid expon
atque inter cætera sanctissimi hujus Sac
ficii mysterium aliquod declarent* 13.

ut

12.) Sess. 5. c. 2. de Reform. An in Ecc
siis Parochialibus inferioribus haben
beant conciones formales & solemne
an autem sufficiat instructio familiari
legi potest apud FAGNANUM in lib.
Decretal. part. 2. c. inter cætera. de Off
Ordin. n. 33.

13.) Sess. 22. c. 8. de Sacrif. Miss.

ut Episcopi, quorum præcipuum est prædicationis munus, in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos, saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum, quadragesimæ & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas divinamque legem annuntient &c. Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei 14.): ut Episcopi non solum, cum Sacramenta per se ipsos populo erunt administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu, explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant 15.):

apud

14.) Sess. 24. c. 4. de Reform.

15.) Ibid. c. 7. De Prædicationis munere ve-

apud rudem plebem difficiles ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus concionibus secludatur : incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant : ea vero quæ ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & Fidelium offendicula prohibeant.

Episcopis, & Parochis;

§. 408. Porro quando Patribus Tridentinæ Synodi in cœtu generali, Sessioni quintæ præmisso proposito fuit articulus de obligatione Episcoporum per seipsos concionandi, & de facultate Parochorum admittendi in suis Ecclesiis Regulares ad habendas conciones absque previo assensu Episcopi, magnæ contentiones ortæ fuerunt 16.). Demum post multas altercationes Constitutio Concilii VIENNENSIS 17.), quæ Men-

---

veterem & novam Ecclesiæ Disciplinam tradit THOMASSINUS part. 2. lib. 3. c. 82. seqq.

16.) Vid. PALLAVICIN. Hist. Conc. Trid. lib. 7. c. 4. & 5.

17.) Clement. dudum. 2. de Sepultur.

Mendicantibus prædicandi facultatem tribuit, moderationem aliquam passa est: decretum enim fuit 18.), Episcopos, aliosque Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum JEsu Christi Evangelium: impediti autem teneantur viros idoneos assumere ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum: Parochi per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis & festis solemnibus plebem pascant salutaribus verbis &c. Regulares vero nisi de Superiorum suorum licentia, & petita benedictione Episcopi etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint: in Ecclesiis vero aliis ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur. Advertit PALLAVICINUS, facilem fuisse in hoc decretum consensionem, cum inde Episcopis accesserit plurimum, Regularibus minimum sit detractum.

§ 409. Cum postmodum nonnul- *etiam re-*
la his saluberrimis Sacri Concilii *centioribus*
TRI- *Decretis.*

18.) Sess. 5. c. 2. de Reform.

TRIDENTINI Decretis haud qu
quam consentanea sensim in dive
sis Nationis Hispanicæ locis o
repsissent, INNOCENTIUS XI
Summus Pontifex 19.), iis oppo
tunum remedium adhibiturus, c
mente Congregationis particula
ad id deputatæ 20.) præcepit int
alia, ut omnes, qui animarum c
ram gerunt, munus pascendi pop
lum Verbo Divino, per seipsos, v
si legitime impediti fuerint, per alio
idoneos diligenter exequantur, a
guitque Parochos culpam amoli
nitentes, vel prætextu immemor
bilis, sed pravæ consuetudinis, v
quia hæc ab ipsis præstari necc
non videatur, suppetente nimirum
copia aliorum habentium sacras Co
ciones in aliis Ecclesiis &c.

Scriptores. §. 410. Plurimi libri variis linguis
scripti passim prostant, qui vitam
linguam Concionatoris Christia
formant, modumque utiliter conc
nan-

19.) Constit. *Apostolici Ministerii.* 13.
1723. §. 11.

20.) Hujus Congregationis Secretarius
PROSPER LAMBERTINUS, dein Be
DICTUS XIV. prout ipse narrat Bu
tom. 2. Const. 3. §. incredibilem, pag.

nandi tradunt. *Latine* NICOLAUS CAUSSINUS de Eloquentia Sacra & Profana. SEBASTIANUS D'ABREU Instit. Parochi lib. 5. per tot. *Gallice* Autor libri, qui inscribitur: Instructions Ecclesiastiques. tom. 1. tit. 5. c. 4. seqq. *Italice* Il vero modo di prædicare secondo lo spirito dell' Evangelio. Editus est Lovanii libellus & adjectus tomo 3. opusculorum D. MARTINI STEYAERT, qui inscribitur *Ecclesiastes*, sive de Ratione Concionandi Instructio triplex, S. FRANCISCI BORGIÆ, S. FRANCISCI SALESII & JACOBI JANSSONII. Ex innumeris autem, qui integras Conciones in lucem ediderunt, seligendi sunt optimi, cum major earum numerus potius ad corrumpendam Eloquentiam sacram videatur idoneus.

TITULUS XIX.

DE CALENDARIO ECCLESIASTICO.

§. 411.

Calendarium Ecclesiasticum.

DIVINO Officio publice aut privatim recitando aut psallendo a primordiis Religionis Christianæ, Ec-

Ecclesiæ fuerunt destinatæ. Cum a
tem ordo Divini Officii ad Calend
rii Ecclesiastici normam conform
dus sit; necesse est brevem doctr
nam de hoc ipso Calendario pr
mittere, cum Sacri Canones a
exigant a Clericis Computi Eccl
siastici & ordinandorum Festor
notitiam. Omissis igitur omnibu
quæ Philosophici aut Mathemat
fori sunt, ea solum afferemus, q
ad usus Ecclesiasticos, & ordinan
Festa scitu necessaria videbunt
22.). Ut omnia facilius comp
hendantur, mox ipsas Calendarii t
bulas oculis subjicimus.

Ca-

21.) C. 5. dist. 38. Conc. Trident. sess
23. c. 18. de Reform.

22.) De veteri Calendario Romano eg
Jacobus Christmannus, Thomas
Dempsterus, Lambecius, alique
quos Grævius inserit Tomo VIII. A
tiquit. Rom. De Calendario Romano-E
clesiastico exacta notitia hauriri pot
ex Petavio de Doctrina tempor
& Christoph. Clavio Romani
lend. explicat. Eandem materiam
tractant recentiores quidam Philos
Edmundus Purchot Instit. Philos.
3. Sect. 2. c. 9. P. Jos. Mangold
losoph. tom. 3. Dissert. 5. sect. 4.

CALENDARIUM ECCLESIASTICUM.

JANUARIUS.

Cyclus Epactar.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
*	A	Kal.	1
xxix	b	iv	2
xxviii	c	iii	3
xxvii	d	Prid.	4
xxvi	e	Non.	5
25. xxv.	f	viii	6
xxiv	g	vii	7
xxiii	A	vi	8
xxii	b	v	9
xxi	c	iv	10
xx	d	iii	11
xix	e	Prid.	12
xviii	f	Idib.	13
xvii	g	xix	14
xvi	A	xviii	15
xv	b	xvii	16
xiv	c	xvi	17
xiii	d	xv	18
xii	e	xiv	19
xi	f	xiii	20
x	g	xii	21
ix	A	xi	22
viii	b	x	23
vii	c	ix	24
vi	d	viii	25
v	e	vii	26
iv	f	vi	27
iii	g	v	28
ii	A	iiii	29
i	b	iii	30
*	c	Prid.	31

FEBRUARIUS.

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxix	d	Kal.	1
xxviii	e	iv	2
xxvii	f	iii	3
25. xxvi	g	Prid.	4
xxv. xxiv	A	Non.	5
xxiii	b	viii	6
xxii	c	vii	7
xxi	d	vi	8
xx	e	v	9
xix	f	iv	10
xviii	g	iii	11
xvii	A	Prid.	12
xvi	b	Idib.	13
xv	c	xvi	14
xiv	d	xv	15
xiii	e	xiv	16
xii	f	xiii	17
xi	g	xii	18
x	A	xi	19
ix	b	x	20
viii	c	ix	21
vii	d	viii	22
vi	e	vii	23
v	f	vi	24
iv	g	v	25
iii	A	iv	26
ii	b	iii	27
i	c	Prid.	28

Martius

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
*	d	Kal.	1
xxix	e	vi	2
xxviii	f	v	3
xxvii	g	iv	4
xxvi	A	iii	5
25.xxv.	b	Prid.	6
xxiv	c	Non.	7
xxiii	d	viii	8
xxii	e	vii	9
xxi	f	vi	10
xx	g	v	11
xix	A	iv	12
xviii	b	iii	13
xvii	c	Prid.	14
xvi	d	Idib.	15
xv	e	xvii	16
xiv	f	xvi	17
xiii	g	xv	18
xii	A	xiv	19
xi	b	xiii	20
x	c	xii	21
Æquinoctium Vernale.			
ix	d	xi	22
viii	e	x	23
vii	f	ix	24
vi	g	viii	25
v	A	vii	26
iv	b	vi	27
iii	c	v	28
ii	d	iv	29
i	e	iii	30
*	f	Prid.	31

Aprilis

Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxix	g	Kal.	1
xxviii	A	iv	2
xxvii	b	iii	3
25.xxvi	c	Prid.	4
xxv.xxiv	d	Non.	5
xxiii	e	viii	6
xxii	f	vii	7
xxi	g	vi	8
xx	A	v	9
xix	b	iv	10
xviii	c	iii	11
xvii	d	Prid.	12
xvi	e	Idib.	13
xv	f	xviii	14
xiv	g	xvii	15
xiii	A	xvi	16
xii	b	xv	17
xi	c	xiv	18
x	d	xiii	19
ix	e	xii	20
viii	f	xi	21
vii	g	x	22
vi	A	ix	23
v	b	viii	24
iv	c	vii	25
iii	d	vi	26
ii	e	v	27
i	f	iv	28
*	g	iii	29
xxix	A	Prid.	30

Majus				Junius			
Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxviii	b	Kal.	1	xxvii	e	Kal.	1
xxvii	c	vi	2	25. xxvi	f	iv	2
xxvi	d	v	3	xxv. xxiv	g	iii	3
25. xxv.	e	iv	4	xxiii	A	Prid.	4
xxiv	f	iii	5	xxii	b	Non.	5
xxiii	g	Prid.	6	xxi	c	viii	6
xxii	A	Non.	7	xx	d	vii	7
xxi	b	viii	8	xix	e	vi	8
xx	c	vii	9	xviii	f	v	9
xix	d	vi	10	xvii	g	iv	10
xviii	e	v	11	xvi	A	iii	11
xvii	f	iv	12	xv	b	Prid.	12
xvi	g	iii	13	xiv	c	Idib.	13
xv	A	Prid.	14	xiii	d	xviii	14
xiv	b	Idib.	15	xii	e	xvii	15
xiii	c	xvii	16	xi	f	xvi	16
xii	d	xvi	17	x	g	xv	17
xi	e	xv	18	ix	A	xiv	18
x	f	xiv	19	viii	b	xiii	19
ix	g	xiii	20	vii	c	xii	20
viii	A	xii	21	Solstitium Æstivum.			
vii	b	xi	22	vi	d	xi	21
vi	c	x	23	v	e	x	22
v	d	ix	24	iv	f	ix	23
iv	e	viii	25	iii	g	viii	24
iii	f	vii	26	ii	A	vii	25
ii	g	vi	27	i	b	vi	26
i	A	v	28	*	c	v	27
*	b	iv	29	xxix	d	iv	28
xxix	c	iii	30	xxviii	e	iii	29
xxviii	d	Prid.	31	xxvii	f	Prid.	30

Julius				Augustus			
Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxvi	g	Kal.	1	xxv.xxiv	c	Kal.	1
25. xxv.	A	vi	2	xxiii	d	iv	2
xxiv	b	v	3	xxii	e	iii	3
xxiii	c	iv	4	xxi	f	Prid.	4
xxii	d	iii	5	xx	g	Non.	5
xxi	e	Prid.	6	xix	A	viii	6
xx	f	Non.	7	xviii	b	vii	7
xix	g	viii	8	xvii	c	vi	8
xviii	A	vii	9	xvi	d	v	9
xvii	b	vi	10	xv	e	iv	10
xvi	c	v	11	xiv	f	iii	11
xv	d	iv	12	xiiij	g	Prid.	12
xiv	e	iii	13	xii	A	Idib.	13
xiii	f	Prid.	14	xi	b	xix	14
xii	g	Idib.	15	x	c	xviii	15
xi	A	xvii	16	ix	d	xvii	16
x	b	xvi	17	viii	e	xvi	17
ix	c	xv	18	vii	f	xv	18
viii	d	xiv	19	vi	g	xiv	19
vii	e	xiii	20	v	A	xiii	20
vi	f	xii	21	iv	b	xii	21
v	g	xi	22	iii	c	xi	22
iv	A	x	23	ii	d	x	23
iii	b	ix	24	i	e	ix	24
ii	c	viii	25	*	f	viii	25
i	d	vii	26	xxix	g	vii	26
*	e	vi	27	xxviii	A	vi	27
xxix	f	v	28	xxvii	b	v	28
xxviii	g	iv	29	xxvi	c	iv	29
xxvii	A	iii	30	25. xxv.	d	iii	30
25.xxvi	b	Prid.	31	xxiv	e	Prid.	31

September.				October.			
Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxiii	f	Kal.	1	xxii	A	Kal.	1
xxii	g	iv	2	xxi	b	vi	2
xxi	A	iii	3	xx	c	v	3
xx	b	Prid.	4	xix	d	iv	4
xix	c	Non.	5	xviii	e	iii	5
xviii	d	viii	6	xvii	f	Prid.	6
xvii	e	vii	7	xvi	g	Non.	7
xvi	f	vi	8	xv	A	viii	8
xv	g	v	9	xiv	b	vii	9
xiv	A	iv	10	xiii	c	vi	10
xiii	b	iii	11	xii	d	v	11
xii	c	Prid.	12	xi	e	iv	12
xi	d	Idib.	13	x	f	iii	13
x	e	xviii	14	ix	g	Prid.	14
ix	f	xvii	15	viii	A	Idib.	15
viii	g	xvi	16	vii	b	xvii	16
vii	A	xv	17	vi	c	xvi	17
vi	b	xiv	18	v	d	xv	18
v	c	xiii	19	iv	e	xiv	19
iv	d	xii	20	iii	f	xiii	20
iii	e	xi	21	ii	g	xii	21
ii	f	x	22	i	A	xi	22
Æquinoctium Autumnale				*	b	x	23
i	g	ix	23	xxix	c	ix	24
*	A	viii	24	xxviii	d	viii	25
xxix	b	vii	25	xxvii	e	vii	26
xxviii	c	vi	26	xxvi	f	vi	27
xxvii	d	v	27	25. xxv.	g	v	28
25. xxvi	e	iv	28	xxiv	A	iv	29
xxv. xxiv	f	iii	29	xxiii	b	iii	30
xxiii	g	Prid.	30	xxii	c	Prid.	31

November				December			
Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis		Cyclus Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis	
xxi	d	Kal.	1	xx	f	Kal.	1
xx	e	iv	2	xix	g	iv	2
xix	f	iii	3	xviii	A	iii	3
xviii	g	Prid.	4	xvii	b	Prid.	4
xvii	A	Non.	5	xvi	c	Non.	5
xvi	b	viii	6	xv	d	viii	6
xv	c	vii	7	xiv	e	vii	7
xiv	d	vi	8	xiii	f	vi	8
xiii	e	v	9	xii	g	v	9
xii	f	iv	10	xi	A	iv	10
xi	g	iii	11	x	b	iii	11
x	A	Prid.	12	ix	c	Prid.	12
ix	b	Idib.	13	viii	d	Idib.	13
viii	c	xviii	14	vii	e	xix	14
vii	d	xvii	15	vi	f	xviii	15
vi	e	xvi	16	v	g	xvii	16
v	f	xv	17	iv	A	xvi	17
iv	g	xiv	18	iii	b	xv	18
iii	A	xiii	19	ii	c	xiv	19
ii	b	xii	20	i	d	xiii	20
i	c	xi	21	*	e	xii	21
*	d	x	22	Solstitium Hyemale.			
xxix	e	ix	23	xxix	f	xi	22
xxviii	f	viii	24	xxviii	g	x	23
xxvii	g	vii	25	xxvii	A	ix	24
25. xxvi	A	vi	26	xxvi	b	viii	25
xxv. xxiv	b	v	27	25. xxv	c	vii	26
xxiii	c	iv	28	xxiv	d	vi	27
xxii	d	iii	29	xxiii	e	v	28
xxi	e	Prid.	30	xxii	f	iv	29
				xxi	g	iii	30
				19. xx	A	Prid.	31

§. 412.

§. 412. *Calendarium* a *Calendis*, græco quidem vocabulo, apud ſolos tamen Latinos ad ſignificandum primum diem menſis uſurpato, dictum, eſt dierum ac menſium, ex quibus annus conſtat, omniumque, quæ diebus ac menſibus adjuncta ſunt, ordinatio. Calendarium hoc exhibet nobis anni quæſiti dies, hebdomades, menſes, Epactas, quibus reſpondet aureus numerus, Literas Dominicales, & ex his ortum Cyclum ſolarem: item in eo reperiri poſſunt æquinoctia, Solſtitia, Novilunia, Indictio &c. *In Calendario*

§. 413. Dies vel eſt naturalis, vel artificialis. *Artificialis* dicitur tempus, quo ſol ſupra Horizontem verſatur ab ortu ad occaſum, quodque opponitur nocti: quæ eſt ab occaſu ſolis usque ad ortum. *Naturalis* eſt integra ſolis revolutio ab ortu in occaſum, & inde rurſus ad eundem fere locum, unde profectus fuerat, quæ vulgo in viginti quatuor partes æquales dividitur, quas *Horas* appellant. Non idem eſt apud omnes nationes Diei initium. Babylonii diem auſpicabantur ab ortu ſolis: Itali more veterum Athenienſium, initium dant diei *Notantur dies:*

a solis occasu; ita ut tempus hunc occasum prævertens denotet finem horæ vigesimæ quartæ præcedentis diei 23.). Romani olim, & Europæi hodie fere omnes a media nocte sumunt diei exordium, numerantque usque ad meridiem horas duodenas, & rursus a meridie ad mediam noctem alias duodenas 24.).

§. 414.

23.) Populi illi, quales sunt etiam Arabes qui menses Lunares habent, congrue incipiunt diem suum ob occasu solis: quam ortus Lunæ, quam observant, sit terpore occasus Solis, ut loquitur ALFRAGANUS Rudim. Astron. differentia 1. D. antiquis Gallis aliam rationem dat JULIUS CÆSAR de Bell. Gall. lib. 6. his verbis, *Galli se omnes ab Dite Patre prognatos prædicant: ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt: & dies natales, & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem diei subsequatur.* add. TACITUS de Mor. German. c. 11. ibique Notæ JULIANI PICHON.

24.) L. 8. ff. de Feriis. BRISSONIUS de Verbor. Signif. V. *Dies.* Videatur A. GELLIUS Noct. ATTIC. lib. 3. c. 2. ubi disputat quæstionem, ex hac de initio diei controversitate ortam, uter dies natalis habere debeat illius, qui tempore noctis nat- fuit

§. 414. *Horarum* nomen per tre- *Horæ*:
centos annos Romæ ignoratum esse creditur. Divisio enim diei in horas duodecim, & noctis in totidem, inducta censetur Romæ post reperta Horologia Solaria: quorum antiquissimum quod fuerit, nescitur: certe in Foro nullum prius fuit, quam id, quod M. VALERIUS ex Sicilia advectum ad rostra in columna posuit 25.). Primis igitur temporibus apud

fuit, an scilicet dies præcedens, vel subsequens?

25.) Livius Hist. lib. 16. c. 47. ad ann. U. C. 491. Cum autem Horologium istud ad Meridianum Romanum non fuerit accommodatum, post centum fere annos id Q. Marcius diligentius ordinavit. Ibid. in supplem. lib. 46. c. 17. ad ann. 590. Ex quo sequitur, Judæos pluribus sæculis ante Romanos habuisse horologia solaria. Nam tempore Ezechiæ sol recessit decem lineis in tali horologio anno ante Christum 712. quo Urbs Romana vix steterat annis 42. dictus autem annus U. C. 491. juxta Chronologiam Ricciolii respondet anno ante æram Christ. 263. Unde fallitur etiam Plinius Natur. hist. lib. 2. c. 76. ubi scribit, quod Anaximenes Milesius Gnomonicen primus invenerit, hanc enim umbrarum rationem a Judæis ad Ægyptios, ab his ad Græcos devenisse,

Romanos diem bifariam divisum meridies discernebat, unde legimus *ante meridiem*, *post meridiem* 26.) Alii tam diem, quam noctem quadripartito dividebant, quod testantur termini militares, *vigilia prima*, *secunda*, *tertia* & *quarta*. Plura noctis & diei tempora, aliis discreta nominibus inveniuntur apud Autores veteres, qui ponunt mediam noctem principium diei, sequentes deinpartes hoc ordine: *de media nocte*, seu *inclinatio mediæ noctis*, *gallicinium*, conticinium, *ante lucem*, *diluculum*, *secundum diluculum* seu *mane*, *ad meridiem*, *meridies*, *de meridie*, *suprema* 27.), *vesperа*, *crepusculum*, *face prima*, *concubium*, *intempesta* id est, multa nox, ad

se, ex horologio Ezechiæ colligit Cassius Gnomonic. lib. 1. fol. 7. & ex ipso Corn. a Lapide ad Isaiæ. c. 38. v. A quo autem & quando inventa fuerint Horologia rotata, quæ pulsu campanæ horas indicant, incertum est. Memorabile est Horologium, quod Rex Persarum misit Carolo M. quod describit Aimoinus de Gestis Francorum lib. 4. c.

26.) In fragm. Leg. XII. Tabul. tit. 7. Judic. l. 10.

27.) *Sol occasus suprema tempestas esto*. Ibi ubi Not. Gothofredi lit. a.

ad mediam noctem, demum *media nox* 28.). Apud plerosque viginti quatuor Horæ diei sunt æquales ; singulæ autem horæ in sexaginta *minuta*, quodvis minutum in sexaginta minuta *secunda*, quodvis secundum in totidem *tertia* dividuntur &c. Illæ tamen nationes, quæ tam diem, quam noctem seorsim in duodecim horas dividunt, non semper eas æquales habent : nam horæ nocturnæ breviores sunt diurnis æstivo tempore, longiores hyberno. Judæi quatuor præsertim horas diei orationi destinatas habebant, scilicet *Primam*, quæ incipit ab ortu solis; *Tertiam*, respondentem circiter nostræ horæ nonæ matutinæ: *Sextam*, quæ convenit cum meridie ; & *Nonam*, quæ respondet horæ nostræ tertiæ pomeridianæ.

§. 415. Continua septem dierum successio dicitur græce *Hebdomas*, latine *Septimana*. Hæc ipsum DEUM videtur habere institutorem, cum die septimo a creatione mundi requievit, jubebantur que Judæi pariter die illo, seu Sabbato quiescere: sed Christiani die *Dominico* propter *Hebdomades*:

28.) Ita Censorinus de Die Natali in fin.

pter Christi Domini Resurrectionem feriantur, qui proin est feria prima hebdomadis, cui succedit feria secunda &c. ita ut singuli dies vocentur feriæ more Ecclesiastico, retento tamen nomine Sabbati & diei Dominici. Ethnici dederunt singulis diebus appellationem a Planeta, ita ut vocetur Dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni 29.) Singuli dies in Calendario signantur septem literis, quæ totidem diebus Hebdomadis respondent, scilicet A, B, C, D, E, F, G. Litera A primum diem Januarii afficit: si iste sit dies Dominicus, necessario omnes dies hac litera signati, erunt Dominici, consequenter etiam dies ultimus anni eadem litera A notatus: proin primus dies sequentis anni, qui semper literam A affixam retinet, inchoabitur a die Lunæ, ac tandem Litera

G

29.) Judæi feriam sextam vocant *Parasceven*, id est, præparationem Sabbati. Gentiles autem Gentiles in nominandis diebus servaverint hunc ordinem Planetarum, Solis, Lunæ, Martis &c. duplex solet dari ratio, una Harmonica, altera Astronomica. Utramque ex Dione refert Falck de Christiano Paschate p. 1. c. §. 2. Vid. Seldenus de Jure natur. & gent. juxta discipl. Ebræor. lib. 3. c. 20.

G erit Litera Dominicalis eodem anno. Quid autem observandum sit anno Bissextili, & qua ratione formandus sit Cyclus Solaris, mox infra dicetur.

§. 416. Mensis est pars anni duodecima. Estque vel naturalis vel civilis. *Naturalium* mensium species duæ, quod partim Solis, partim Lunæ esse dicuntur. *Solaris* mensis fit, dum Sol unumquodque in Zodiaco orbe signum percurrit: *Lunaris* est, temporis quoddam spatium, quo Luna circuitionem unam perficit. *Civiles* menses sunt numeri quidam dierum, quos unaquæque Civitas suo instituto observat: tales menses sunt in Calendario Romano a Calendis in Calendas, habentque singuli dies totos. At vero menses *Naturales*, tam Lunares quam Solares, non habent dies totos, cum Sol annum suum, seu dies trecentos sexaginta quinque & horas fere sex in duodecim dividat menses: Luna vero singulos suos menses conficiat diebus undetriginta circiter, & dimidiato. In præfixo Calendario dies mensis nomen suum sortiuntur a *Calendis*, *Nonis* & *Idibus*. *Calendæ* primo cujuslibet mensis die accidunt. *Nonæ* vel in quin- *Menses:*

quintum, vel in septimum diem co-
dunt. *Idus* vel decimo tertio, vel
decimo quinto die mensis contin-
gunt 30.). Antiqui Romani decem
habebant menses: primus *Martius*
a Marte; secundus *Aprilis* ab aperi-
endo, quod tunc fere cuncta ge-
gnantur; tertius *Majus* a Maja, cui
res divina eo tempore fiebat; quar-
tus *Junius* a Junone dictus fuit: re-
liqui sex a numero suo nomen tra-
hebant, vocabanturque *Quintilis*,
Sextilis, *September*, *October*, *Novem-
ber*, *December*. Additi postea fue-
runt duo, *Januarius* a Jano, *Febru-
rius* a Februo 31.) appellatus. Duo-
rum mensium nomina immutata sunt.
Nam qui *Quintilis* fuit, Julius cogno-
mi-

30.) Memoriæ juvandæ causa sequentes
versiculi sunt compositi.
Majus sex Nonas, October, Julius & Mars
Quatuor at reliqui: dabit Idus quilibet octo
Inde dies alios omnes dic ante Calendas,
Quas retro numerans sumes a mense
sequenti.

31.) *Februum* apud Romanos erat, quid
quid piat, purgatque. Juxta Censo-
num de die Natali c. 22. dies Luperca-
lium, quo Roma lustrabatur, proprie Fe-
bruatus, & ab eo mensis Februarius vo-
citatur. De nominibus Mensium vi-
Hadrianus Junius de Annis & Me-
sibus.

minatus est 32.): qui autem *Sextilis* fuerat, in Augusti honorem dictus est *Augustus* 33.), quæ nomina ad hæc usque tempora permanent. Similem mutationem alii facere tentarunt, sed mox nomina pristina suis reddita mensibus fuerunt 34.). Carolus M. mensibus juxta patriam Germanorum linguam nomina imposuit: Januarium appellavit *Wintermonat*; Februarium *Hornung*; Martium *Lentzmonat*, Aprilem *Ostermonat*, Majum *Wunnemonat*; Junium *Brachmonat*; Julium *Heumonat*; Augustum

Ae-

32.) Julius Cæsar *appellationem mensis e suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit & dedit.* Suetonius in vita n. 76.

33.) Idem in Vita Octaviani Augusti n. 31. *Sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit, magis quam Septembrem quo erat natus: quia hoc sibi & primus Consulatus, & insignes victoriæ obtigissent.*

34.) Ælius Lampridius in vita Commodi Antonini scribit: *Menses quoque in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, pro Decembri Amazonium adulatores vocabant.* Post obitum ejus in Senatu acclamatum fuit: *menses his nominibus nuncupandos, quibus nuncupabantur, quum primum illud malum in rempublicam incubuit.*

Aernmonat; Septembrem *Herbſtmonat* octobrem *Winnmonat*; Novembrem *Windtmonat*; Decembrem *Heiligmonat* ut ſcribit EGINHARDUS in vita.

Annus, §. 417. Per *annum* intelligitur tempus, quo Zodiacum ſol percurrit, ſuoque ad alterutrum ex Tropicis acceſſu & receſſu annuam tempeſtatum Veris, Æſtatis, Autumni, Hyemis varietatem efficit. Qui utuntur menſibus Lunaribus, ſolent tamen annum ſuum per menſes Embolismales ſeu Intercalares ad ſpatium anni ſolaris reducere, exceptis Turcis, qui pergunt numerare *annos* Lunares ſuæ *Hegiræ* per *menſes duodecim* qui continent dies 354. vel 355. cen- ſent enim, annum perfici diebus 354. horis octo, & minutis 48. quas horas & minuta intra triginta annos undecies addito die non tamen ſcrupuloſe ad minuta mathematica compenſant 35.). Annus *Julianus*, pro-

a

35.) De Hegira Turcarum vid. PETAV. de Doctr. temp. lib. 2. c. 38. & 39. lib. c. 10. & lib. 7. c. 22. RICCIOLIUS Chronol. Reform. tom. 1. lib. 1. c. 24. JOSEPH. SCALIGER. de Emend. temp. lib. 2. p. 94. ſeqq. lib. 7. pag. 354. ſeq. & lib. p.

a Julio Cæsare ordinatus fuit, complectitur 365. dies cum sex horis, quæ quarto quoque anno collectæ diem conficiunt intercalarem, & constituunt annum *Bissextum*, quia secundum Romanam computandi rationem bis eo anno dici debet *sexto Calendas Martias* 36.). Deprehenso errore Gregorius XIII. constituit annum dierum 365. horarum 5. & minutorum circiter 49. Habet igitur hic annus hebdomades 52. cum uno die in anno communi, & cum duobus diebus in Bissextili.

§. 418. Initium anni diversum fuit apud diversas gentes. Romani olim a mense Martio; Hebræi ante Moysen ab autumnali æquinoctio, postea jussu Dei 37.) ab æquinoctio ver- *Cujus initium varium:*

pag. 415. LENGLET Tabul. Chronol. edit. germ. p. 1. pag. 141. seq. & pag. 339. seqq. Veteres Arabes annum inchoabant in Æquinoctio Vernali juxta SIMPLICIUM in lib. 5. Physic. Aristot. c. 4. Apud hodiernos, qui Mahometanos mores sequuntur, vagatur exordium anni per omnes nostros menses.

36.) Vid. ERYCIUS PUTEANUS de Bissexto.

37.) Exod. XII. v. 2. *Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.*

verno: Christiani a mense Januario initium anni ducunt, cum natus sit nobis Salvator ad solstitium brumale 38.); ratio autem habeatur ad Calendarium Julii Cæsaris, cujus menses initium ducunt a Calendis.

Litera Dominicalis: §. 419. Dictum est, & apparet in Calendario, singulis diebus affigi unam ex septem, literis alphabeti, ex quibus semper una respondet diei Dominico per totum annum communem, ita ut in ordine retrogrado post

38.) In subscriptione Brevium Pontificiorum anni initium ducitur a die Nativitatis Christi: in Bullis autem sub Plumbo a die Incarnationis Verbi Divini, seu die Annuntiationis B. V. Mariæ. Annus igitur 1758. quem nos Literis nostris adscribimus a Calendis Januarii, Bullis Pontificiis non adscribitur ante 25um Martii, hoc tamen discrimine, ut nos Calendis Januarii inchoatum annum 1758. a die Circumcisionis Christi numeremus: Curia autem Romana in Bullis notet hunc ipsum annum 25to. Martii jam completum a prima Incarnatione Christi. De hac Romanæ Curiæ & aliarum Provinciarum consuetudine videatur Scaccia de Jure dic. Cauf. Civil. &c. lib. 2. c. 11. n. 119. Gaitus de Credito c. 3. tit. 1. a n. 140. Card. Petra ad Const. Apost. tom. 1 Procem. §. 3.

post septem annos dies Dominicus regrederetur ad literam A. nisi cyclus iste per annos bissextiles, singulis quadrienniis recurrentes interrumperetur. Nam in anno Bissextili intercalatur dies mense Februario, qui proin numerat 29. dies: servitque eadem Romana appellatio pro duobus diebus, scilicet 24. & 25. Februarii, quorum uterque dicitur *Sextus Calendas Martias.* Unde etiam dicitur annus *Bissextus*, qui proin habet hebdomades 52. & dies duos: consequenter annus Bissextus, qui incepit a die Solis, finitur die Lunæ, & sequens annus incipit die Martis, cui tunc respondebit litera A. primo Januarii affixa; diem autem Dominicum designabit litera F. Ex eadem ratione annus bissextilis habet duas literas dominicales, priorem quidem, a Calendis Januarii ad diem 25. Februarii Divo Mathiæ sacrum; alteram ab eodem festo ad anni finem. Propter hanc interruptionem non singulis septenniis dies Dominica redit ad literam A. sed potius requiruntur septem quadriennia seu anni viginti octo, post quos dies Dominica rursus incidet in primam Januarii, & per totum annum signa-

bitur litera A. Et hæc annorum 28. revolutio vocatur *Cyclus ſolaris.*

Cyclus ſolaris: §. 420. Ad inveniendum numerum hujus Cycli ſolaris ſingulis annis reſpondentem, ſciendum, annum primum æræ vulgaris, ſeu annorum Chriſti incidiſſe in decimum annum Cycli ſolaris. Quare ſi annis Chriſti adjicias 9. & ſummam diſtribuas per 28. occurret tibi annus Cycli ſolaris quæſitus, ſcilicet ſi quid reſiduum fuerit, id denotabit, quotus in eo Cyclo ſit iſte annus: ſi nihil fuerit reſiduum, annus ille erit vigeſimus octavus Cycli. *E. G.* anno Chriſti 1758. addatur 9. ſumma erit 1767. hac ſumma per 28. diviſa, reſtabit 3. qui pro illo anno eſt Cyclus ſolis. Hæc regula obtinet ſemper ſuum uſum: nam per correctionem Calendarii nihil immutatur eſt circa Cyclum ſolarem, ſed ſolummodo circa literas Dominicales reſpondentes huic cyclo. Ut autem facile poſſit inveniri litera Dominicalis & reſpondens numerus Cycli ſolaris, ſaltem ab anno 1750. usque ad 1800. obſervanda eſt ſequens tabula.

de

d	c	b/a	g	f	e	d/c	b	a	g	f/e	d	c	b	
23.	24.	25.	26.	27.	28.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	
a/g	f	e	d	c/b	a	g	f	e/d	c	b	a			
9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.			
g/f	e													
21.	22.													

In hac tabella annus 1750. tribuatur primæ cellulæ, in qua Cyclus solaris 23. & Litera Dominicalis d. Sequenti anno 1751. respondet in altera cellula Cyclus 24. & Litera Dominicalis C. In tertio anno 1752. qui est Bissextilis, Cyclus solaris 25. & geminæ Literæ Dominicales b. & a. & sic deinceps, redeundo ad principium tabellæ, quando eam percurreris, scilicet anno 1778. usque ad annum 1799. cui respondet Cyclus 16. & Litera Dominicalis f. Cum autem sequens annus 1800. juxta correctionem Gregorii, bissextilis non sit, mutatio aliqua accidit circa Literas Dominicales: nam ei respondebit Cyclus solis 17. sed unica tantum Litera Dominicalis E: sequenti anno 1801. Cyclus solis 18. & Litera Dominicalis D. hoc ordine facile erit novam formare tabulam sequenti sæculo respondentem.

Cyclus Lunaris: §. 421. Cyclus Lunæ est periodus novendecim annorum, a METONE Athenienſi excogitata, ut Lunaris motus cum ſolari ad æqualitatem perduceretur. Vocatur *Numerus Aureus*, aureisque olim pingebatur characteribus ob præſtantem ejus uſum. Prout ſol annuo, ſic Luna menſtruo motu zodiacum luſtrat. Solum illum menſem Lunarem hic conſideremus, qui *Synodicus* dicitur, quo Luna ab una conjunctione cum ſole ad alteram redit, ſcilicet a Novilunio ad alterum Novilunium; & quidem non *Aſtronomicum*, in quo minuta minutorum obſervantur; ſed *Civilem*, quo vulgo populi utuntur, quique neglectis horis & minutis, alternis vicibus conſtat diebus 30. quæ vocatur *Lunatio plena*; & 29. quæ dicitur *Lunatio cava*. Ex his Lunationibus menſibus lunaribus, fieri poſſunt ani mere Lunares, quales in uſu et apud Turcas diximus; (§. 417. vel cum annis ſolaribus compon quod a Metone tentatum. Nempe duodecim menſes lunares, qui con tinent dies 354. comparentur cum duodecim menſibus ſolaribus, qu habent dies 365. quolibet anno ſo perſunt undecim dies, quibus annus

ſola-

solaris excedit lunarem : hi post tres annos conficiunt triginta tres dies: proin producunt mensem lunarem 30. dierum cum tribus diebus residuis : insunt igitur huic anno tredecim lunationes , scilicet duodecim communes, & una, quæ *emboliſmica* dicitur, seu intercalaris, ob quam causam ipse etiam annus appellatur *emboliſmicus*. Si hoc modo pergatur, & singulis annis addantur dies undecim, & ex triginta superfluis conficiantur menses emboliſmici, quorum sex habent triginta , & septimus viginti novem dies; apparebit denique, anni-lunaris & solaris exordium eodem rursus modo coincidere, quo se habuerat ante annos novendecim: nihilominus successu temporis deprehensum est, hunc Cyclum Metonicum errore non carere. Porro si retrocedendo singulas decennovenales periodos numeremus, primum Æræ Christianæ annum in eum incidere comperiemus, qui Cycli decennovenalis secundus est. Quare si annis Æræ Christianæ unitatem addideris, & summam per 19. diviseris ; si quid residuum fuerit, id numerum aureum isti anno debitum indicabit: si nihil sit residuum, annus Cycli hujus

Lunaris erit 19. Sic invenies annum 1758. esse Cycli undecimum.

Indictio: §. 422. Insuper pro indicandis annis Julianis sæpe usurpatur *Indictio*, quo nomine intelligitur pensitatio quorundam tributorum, quorum Canon & modus quot annis indicebatur 39.). Indictionum Cyclus, est 15. annorum periodus semper revolubilis, cujus notitia utilis est ad discernenda antiqua Instrumenta & Diplomata, quibus adjici solebat, & adhuc hodie a Notariis publicis adjici solet numerus Indictionis. Alia Indictio est *Constantinopolitana seu græca*, quæ a Calendis Septembribus initium sumit: alia *Cæsarea*, quæ incipit octavo Calendas Octobris: alia Pontificia, seu Romana, quæ in Pontificiis diplomatibus adhibetur, & a Calendis Januariis, quæ priores duas illas epochas sequuntur, sumit exordium 40.). Antiochiæ 41.) & per Ægyptum

39.) In Codice Theodos. habentur Titulus *de Indictionibus.* item *de superindicto.*

40.) Petavius Rationar. tempor. p. I. lib. 6. c. I.

41.) Colligitur ex Chronico Alexandrino pag. 439. ubi Epocha ducitur a mense Majo

ptum 42.) Indictio a Calendis Maij ducta olim videtur. Si per istam quindecim annorum periodum retrogrediamur ad primum æræ Christianæ annum, coincidit ille cum quarto Indictionis Pontificiæ. Cuivis igitur annorum Christi numero addantur 3. dividaturque summa per 15. si præter quotientem nihil est reliqui, annus Indictionis est 15. si reliquus sit numerus, is annum Indictionis indicabit. Sic anno 1758. addantur 3. erunt 1761. dividatur hæc summa per 15. prodibunt ultra quotientem 113. adhuc 6. quæ designant annum 1758. esse sextum Cycli Indictionis.

Majo, quo libertate donata est Antiochia a JULIO CÆSARE, additurque: *Incipit ergo Antiochiæ annus primus* (Caij Julii Cæsaris Dictatoris) *& annus primus Indictionis, quæ annos continet quindecim, a primo anno C. Julii Cæsaris.*

42.) L. 3. Cod. THEOD. de Indiction. jubet Imperator, eam Constitutionem, quæ de Indictionibus aliquid disponit, publicari per Ægyptum ante Calendas Maij: quia scilicet mense Majo messis perage-batur in Ægypto, ut testatur PLINIUS lib. 18. c. 18.

Periodus Juliana.

§. 423. Ex tribus memoratis Cyclis, nempe Solari, Lunari & Indictionis inter se multiplicatis, conficitur *Periodus Juliana* sic dicta, quia anni a Julio Cæsare ordinati rationem sequitur continens annos 7980. Hæc maximæ esset utilitatis, si antiqui scriptores cujusque anni cyclos notassent: nam inter annos 7980. ne unus quidem occurrit annus, qui tres illos cyclos prorsus eosdem cum alio habeat. Juxta superius dicta si a nostris temporibus retrogredienndo numeremus Cyclorum periodos, inveniemus anno primo æræ Christianæ tribui debere decimum Cycl Solaris, secundum Cycli Lunaris seu aurei numeri, & quartum Indictionis annum. Unde inferimus annum primum æræ Christianæ fuisse in periodo Juliana annum 4714. cum in tota periodo Juliana 7980. annorum nullus alius reperiatur annus, cui simul conveniat cyclus solaris 10. numerus aureus 2. & Indictio 4. Nam si summa annorum 4714. dividatur per Cyclum solarem 28. ultra quotientem 168. remanebunt 10. Si dividatur eadem summa per Cyclum Lunarem 19. ultra quotientem 248. remanebunt 2. Si dividatur per Cyclum In-

di

dictionum 15. ultra quotientem 314. supererunt 4. Unde si annos æræ Christianæ numeremus usque ad annum 1758. addendo scilicet hos annos anno Periodi Iulianæ 4713. qui præcesserat initium æræ Christianæ; patet, istum annum 1758. esse in periodo Iuliana annum 6471. Hanc summam si dicto modo dividamus per 28. dein per 19. demum per 15. restabunt post divisiones peractas 3. pro Cyclo Solari: 11. pro Lunari, & 6. pro Cyclo Indictionis ejusdem anni 1758. Cum autem ante Christum Natum, & sæpe etiam post istud tempus, horum Cyclorum usus non fuerit adhibitus; hinc inexplicabiles ambiguitates in Chronologia occurrunt, ita ut sciamus quidem, quot anni æræ Christianæ vulgaris hucusque effluxerint: ignoremus tamen, an annus primus hujus æræ mox secutus fuerit Nativitatem Christi, quæ ad finem Decembris contigit. Nam probabilius Nativitas Christi hanc Epocham æræ Christianæ quinquennio præcessit. Nec mirum, si aliquis error hac in re irrepsit. Quamvis enim quidam Autores antiqui annorum a Christo nato mentionem faciant; in Calendariis tamen aut

actis

actis publicis, Epocham Christi ante sæculum sextum adhibitam non reperimus 43.). Plura ut de ejusmodi Periodis & Epochis addamus, non est hujus instituti.

Calendarii Juliani

§. 424. Hucusque dicta Calendarii Juliani ordinationem explicant, quod in constituendo Festi Paschalis die Patres Concilii NICÆNI secuti sunt, & Ecclesia ad alios suos usus hucusque adhibuit, emendatis quibusdam vitiis, quibus laborare post plurium annorum lapsum, compertum est. Nam JULIUS CÆSAR tanquam certum posuit, annum 365. dierum, & 6. horarum integrarum curriculo definiri, cum illæ tamen sex horæ integræ non sint, sed undecim circiter minutis truncatæ, ex quorum neglectu singulis annis Ver sedem suam anticipavit, adeo ut anno 1582. æquinoctium vernum decem fere diebus antecederet sedem quam tempore Julii Cæsaris obtinebat, & a vigesimo primo mensis Martii die, cui Concilium NICÆNUM æquinoctium istud affixerat, ad undeci-

43.) Vid. RICCIOL. Chronolog. Reform. tom. 1. lib. 8. c. 1. PETAVIUS de Doctrina tempor. lib. 12.

decimum ejusdem mensis diem reduceretur.

§. 425. Alterum vitium Calendarii Juliani erat, quod Cyclus decennovenalis, seu numerus aureus, ita constans statutus fuerit, ut decimo nono quoque anno redeunte, Novilunia & Plenilunia in eosdem dies, horas & minuta redeant, cum tamen fere sesquihoræ tempus anticipent. Cum igitur NICÆNA Synodus sanciverit, celebrandum Pascha in perpetuum die Dominica proxima a Luna decima quarta, seu a decimo quarto die primi mensis lunaris, hoc est, ejus mensis, cujus luna decima quarta incidit in æquinoctium vernum, vigesimo primo Martii affixum, aut proxime post æquinoctium; animadversum demum est, quod Novilunia & Plenilunia quatuor & amplius diebus citius contingerent, quam Numerus aureus demonstraret, ita ut, quæ ex Cyclo habebatur Luna decima quarta, reipsa esset Luna decima octava, sicque Pascha non amplius a Luna 15. in 21. sed a Luna 19. in 25. inclusive celebraretur. *Vitia.*

§. 426. His incommodis jam dudum quærebatur remedium. PETRUS DE ALLIACO Cardinalis Cameracensis, *Per Gregorium XIII. emendata.*

meracensis obtulit JOANNI XXIII & Synodo Romanæ anno 1412. libellum de emendatione Calendarii formavit quidem Pontifex Decretum circa istam causam; noluit tamen istud executioni mandari, usquequo sedato schismate Deus Ecclesiæ suæ unionem dederit. Schismaticis igitur Pontificibus sedematis, dictus Cardinalis eundem libellum, adjecta formula Decreti Pontificii exhibuit Concilio CONSTANTIENSI anno 1417. 44.). Cum autem nec hoc loco res perfecta fuisset, NICOLAUS CUSANUS in Concilio BASILEENSI idem argumentum erudito opusculo tractavit 45.). Rursus constitutum erat LEONI X. Pontifici, negotio huic finem imponere in Concilio LATERANENSI V. Scripsit igitur ad MAXIMILIANUM Imperatorem, ut ejus jussu præsti-

tes

44.) Tam libellum PETRI ALLIACENSIS quam Decretum Pontificium sistit HERMANNUS VON DER HARDT Concil. Constant. tom. 3. part. 6. fol. 72. seqq.

45.) Hic libellus cum aliis opusculis Mathematicis NICOLAI CUSANI insertus operum Volumini 2. & inscribitur: *Reparatio Calendarii.*

tes Mathematici vel Romam venirent, vel per literas mentem suam aperirent in decima Concilii sessione Kalendis Decembribus 1514. habenda. Imperator voluntatem Pontificis aperuit Academiæ Ingolstadiensi, ex qua JOANNES ECKIUS doctum libellum ad Pontificem misit 46.): sed gloriam confecti hujus negotii Deus reservavit GREGORIO XIII. qui *ut res, quæ omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur*, anno 1577. *Compendium novæ rationis restituendi Calendarium* juxta Cyclum Epactarum ab ALOYSIO LILIO ordinatum, misit ad Principes Christianos & celeberrimas quasque Academias 47.), adhortans Mathematicos, ut re diligenter considerata, aut ea, quæ a Lilio proponuntur, probarent, aut

si

46.) Titulus libelli est: *De vera Paschæ celebratione Joannis Eckii Theologi Diarthosis ad Leonem X. Pont. Max.* Libellus hic cum Epistola Pontificis ad Imperatorem, & Imperatoris ad Universitatem Ingolstadiensem impressus est Ingolstadii 1515.

47.) Compendium istud exhibet CLAVIUS in Proœmio Explicationis Calendarii.

si quid istis rectius nossent, candid impertiri vellent, promittens insu per, quæ ratio majori doctorum ho minum parti aptior, convenientior que visa fuerit, eam quasi totius Christiani orbis consensum se essi probaturum atque secuturum. Au ditis igitur & ponderatis doctissimo rum hominum sententiis 48.), ne gotium hoc feliciter absolutum, & Calendarium novum per orbem Chri stianum promulgatum fuit, adjecta Bulla *Inter gravissimas.* 6. Kal. Martii 1582. Unde Calendarium, quod antea a Julio Cæsare *Julianum* dice batur, passim nunc appellatur *Grego rianum*, quo vitia quædam Juliani Calendarii emendata fuerunt.

omittendo decem dies,

§. 427. Ad primum vitium (§. 424.) emendandum, dicto anno 1582. de cem dies omissi sunt, ita ut post stum S. Francisci, quod incidit in diem quartum Octobris, mox sequen dies pro decimo quinto Romæ hu bitus

48.) Plures, quorum consiliis usus est Pon tifex, recensentur in Appendice Thom Histor. lib. 76. ad ann. 1582. & apud alios qui Historiam Calendarii narrant.

bitus fuerit 49.). Et hac ratione tempestates omnes, & solemnitates ad destinatas sedes in Calendario Gregoriano revocatæ sunt. Ad præcavendum autem eundem errorem pro sequentibus temporibus statutum est, ut quadringentis quibusque annis omitterentur dies tres intercalares, ita ut cum annus 1600. fuerit bissextilis, anni 1700. 1800. 1900. qui secundum Julii Cæsaris Calendarium bissextiles esse deberent, pro communibus habendi sint, nec intercalari die adaugendi.

49.) In Gallia mense Novembri, *anni novi emendatio promulgata est, exemptisque decem diebus sancitum, ut qui decimus dies Decembris erat, vicesimus numeraretur, & ita decimo quinto Decembris, Natalis Domini eo anno celebratus est.* Ita THUANI Histor. Appendix lib. 76. ad ann. 1582. ubi notatur, hoc Edictum conditum fuisse Thuano nuper defuncto, qui dum in vivis esset, fuerat acerbe de eo cum Rege ipso altercatus, & haud dubie, si viveret, publicationem fuisset impediturus. Pro aliis Provinciis, in quibus dicta emendatio mense Novembri non fuerat secuta, declarationem edidit GREGORIUS, ut sequenti anno post diem decimam Februarii mox transitus fiat ad vigesimum primum Februarii. Constitutio & Declaratio habetur Bullar. tom. 2. n. 74.

& ordinando Epactas,

§. 428. Alterum vitium (§. 425.) in Cyclo decennovenali animadversum, emendationem obtinuit per Cyclum Epactarum recens inventum ab ALOYSIO LILIO, Romano Medico & Astronomo, qui Cyclus in locum aurei numeri Calendario appositus, ad certam aurei numeri normam directus est, methodo tamen Liliana per P. CLAVIUM paulo immutata. *Epactarum* nomine intelligitur excessus anni solaris, supra lunarem. Undecim esse hos dies supra diximus, ex quibus per *plures* annos superadditis, conficiuntur *menses* embolismales anni lunaris, continentes dies triginta. Itaque Epacta prima est XI. secunda XXII. tertia III. sublatis scilicet triginta diebus pro mense intercalari: quarta XIV. quinta XXV. sexta VI. & sic deinceps per novendecim annos, quos numerus aureus designat. Cum autem propter intercalationes nonnunquam omittendas, & propter cursum Lunæ non exacte computatum, Novilunia & Plenilunia post 19. annorum curriculum non accurate redeant ad suam priorem sedem, ideo invenerunt triginta numeri Epactales, qui retrogrado ordine singulis anni

bus

bus solent apponi. Numerus quidem trigesimus non exprimitur, sed loco hujus asteriscus, ut consideranti patet in præfixo Calendario. Quare aliquibus diebus apposita sit duplex Epacta, aliquibus etiam numerus Arabicus 25. nec vacat, nec ad præsentis opusculi institutum, opus est hoc loco explicare.

§. 429. Juvat adjicere tabellam, in qua notantur aurei numeri & respondentes Epactæ ab Anno 1700. usque ad annum 1900. exclusive. Cur autem & ad quem usum subjungantur Literæ Martyrologii, patebit infra. *quarum tabella exhibetur.*

Aureus num.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.
Epact.	IX.	XX.	I.	XII.	XXIII.	IV.	XV.
Lit. Martyrol.	i	A	a	m	D	d	q
Aureus num.	17.	18.	19.	1.	2.		
Epact.	XXVI.	VII.	XVIII.	*	XI.		
Lit. Martyrol.	G	g	t	P	l		
Aureus num.	3.	4.	5.	6.	7.		
Epact.	XXII.	III.	XIV.	XXV.	VI.		
Lit. Martyrol.	C	c	p	F	f		
Aureus num.	8.	9.					
Epact.	XVII.	XXVIII.					
Lit. Martyrol.	f	M					

Ut quovis anno facilius reperiatur Aureus numerus & Epacta respondens, notandum est, sicut Aureus numerus 10. primo loco positus, in

usu est anno 1700. ita etiam Cyclo annorum novendecim completo, idem numerus in usu est anno 1719. 1738. 1757. 1776. 1795. 1814. 1833. 1852. 1871. 1890. Si igitur scire desideras, quisnam Aureus numerus & Epacta sit Anno 1758. notabis ex memoratis annis, quod Anno 1757. convenit primo loco positus numerus Aureus & Epacta, consequenter quæ secundo loco ponuntur, usum habent Anno 1758. scilicet Aureus numerus 11. & Epacta XX.

Ex Calendario deprehenditur Dies Paschatis,

§. 430. Calendarium *ita dispositum* servit ad hoc, ut *Festa mobilia* ad sua quæque tempora singulis annis referantur. Præcipua habenda est ratio Festi Paschalis, ex cujus constitutione pendent reliqua. Paschale autem festum a Luna XIV. primi mensis Lunaris repetendum est: & Lunæ XIV. notitia ex Epacta currente est deducenda. Hæc enim Epacta ex præcedenti Canone (§. 429.) investigata, indicabit in Calendario singulos anni dies, quibus Noviluvia contingent; unde Plenilunia & Quadraturæ innotescent. E. G. numerus Epactalis anni 1758. est XX. ubicunque igitur in tabulis mensium occurrit hic numerus XX. ibi Luna-

tio-

tionum hujus anni designatur initium, scilicet ad diem 11. Januarii, 9. Februar. 11. Martii, 9. Aprilis &c. Hoc tamen non accurate ac secundum calculum astronomicum accipitur, sed juxta calculum politicum, & ad populi mores accommodatum. Is vero apud Hebræos, ut supra dictum, vocatur primus mensis, cujus XIV. Luna vel cadit in diem verni æquinoctii, quod die 21. mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur. Primus autem mensis semper initium sumet inter diem octavum Martii, & quintum Aprilis utrinque inclusive: ille igitur dies faciet initium primi mensis Lunaris, cui intra spatium dictorum dierum Epacta ejus anni adscripta est: adscribitur autem Epacta XX. diei undecimæ mensis Martii: proin initium primi mensis Lunaris anno 1758. cadit in diem undecimam Martii: ab hac die inclusive numerantur dies quatuordecim, scilicet usque ad diem vigesimam quartam Martii, consequenter dies vigesima quarta Martii dicitur anno 1758. Luna decima quarta primi mensis. Sequens Dominica post hanc Lunam 14tam erit dies Paschalis: hoc desumitur ex Litera

Dominicali ejus anni, quæ Anno 1758. est A. Hæc litera post vigesimam quartam Martii primum occurrit die vigesima sexta Martii: proin hoc die celebratur Pascha isto anno. Si vero dies ipse XIV. Lunæ caderet in diem Dominicam, proximus dies Dominicus erit Paschalis, ne cum Judæis conveniamus.

& alia Festa mobilia, §. 431. Pro aliis Festis mobilibus inveniendis notanda sunt sequentia. Ante Pascha per sex hebdomades numeratur tempus quadragesimale, cujus dies Dominici sortiuntur nomina in Ecclesia, *Palmarum*, *Judica*, *Lætare*, *Oculi*, *Reminiscere*, *Invocavit*, seu prima Quadragesimæ: ascendendo adhuc per hebdomadem occurrit *Dominica Quinquagesimæ*, & feria quarta ejus hebdomadis *dies Cinerum*: hanc hebdomadem præcedit Dominica *Sexagesimæ*, istam autem Dominica *Septuagesimæ* 50.). Post diem Octavam Paschæ, quæ vocatur Do-

mi-

50.) De ratione Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ, præter alios rerum harum tractatores, legi potest Epistola Caroli M. ad Alcuinum, quæ in Bibliotheca SS. Patrum subjungitur Alcuini libro de Divinis Officiis.

minica *in Albis* numerantur quinque hebdomades, in quarum ultima sunt dies Rogationum, & feria quinta celebratur festum *Ascensionis.* Post sextam hebdomadem sequitur *Pentecoste*; octavo post die Festum *SS. Trinitatis*, & dein feria quinta Festum *Corporis Christi.* A Dominica Pentecostes numeris signantur Dominicæ usque ad *Adventum Domini*: hic celebratur semper a die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe a die 27. Novembris inclusive usque ad diem 3. Decembris inclusive; ita ut Litera Dominicalis ejus anni currens, quæ reperitur in Calendario a die 27. Novembris usque ad 3. Decembris, indicet Dominicam primam Adventus, quod anno 1758. ad ipsum diem 3. Decembris contingit. *Quatuor tempora* celebrantur quarta & sexta feria, ac Sabbatho post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis Sanctæ Crucis 51.).

51.) Cum anno 1757. festum Exaltationis S. Cru-

Etiam in anno Biſſextili.

§. 432. Porro in annis Biſſextilibus, Feſta mobilia, quæ occurrunt ante feſtum S. Mathiæ Apoſtoli, forte Septuageſima & dies Cinerum, inveniuntur per literam Dominicalem priorem in Calendario, in tabulis autem Paſchalibus, quas adjungere operæ pretium non cenſuimus, inveniuntur per literam poſteriorem, quæ curret poſt feſtum S. Mathiæ Apoſtoli, ita tamen ut Septuageſimæ & diei Cinerum inventæ in Januario aut Februario addatur unus dies. Sic Annus 1760. eſt Biſſextilis, *habetque* literas Dominicales F. & *E. ſi Septuageſimam & Diem Cinerum inveſtiges* in Calendario, deſignabit litera F. Dominicam Septuageſimæ tertia Februarii, & feria quarta occurrem die 20. Februarii prodit diem Cinerum: dies autem Paſchæ occurrem ſexta Aprilis notatur Litera Dominicali E. Si autem eosdem dies invenire velis in tabulis Paſchalibus, qua Bre-

---

S. Crucis, ſeu dies decimus quartus Septembris inciderit in feriam quartam, errorem nec aliqua Calendaria hanc ipſam diem poſuerunt pro feria quarta quatuor Temporum. Rubrica autem aſſignat feriam quartam *poſt* dictum feſtum.

Breviariis Clericorum præfigi solent, omnes illi dies investigandi sunt sub litera Dominicali E. ubi reperies diem secundam Februarii pro Dominica Septuagesimæ ; & decimam nonam ejusdem mensis pro die Cinerum : addendus est igitur utrinque dies, & computandus dies tertius pro Dominica Septuagesimæ, & dies vigesimus Februarii pro die Cinerum.

§. 433. Calendarium sic ordinatum magna gratulatione a plerisque Europæ Regibus ac Principibus receptum, ac in usum deductum fuit: Protestantes tamen Germaniæ non ex alia magis ratione, quam quod a Romano Pontifice profectum sit, maluerunt antiquum errorem prosequi, & adhærere Calendario Juliano, quod semper magis magisque a cœli motibus & mente Concilii Nicæni circa celebrationem Paschæ, aliorumque festorum recedebat. Unde in omnibus publicis Instrumentis, quæ Catholicis & Protestantibus communia erant, duplici opus erat nota pro designando anni die, stylo veteri & novo. Sic Instrumentum Pacis Osnabrugensis signatum est $\frac{14}{24}$ mensis Octobris 1648.

Calendarium Gregorianum recipitur,

non tamen a Protestantibus,

§. 434. Tandem ad finem sæculi decimi septimi, Protestantes cogitarunt se propinquius conformare cœlo, statueruntque, ineunte novo sæculo, scilicet anno 1700. ex Februario, qui eo anno, juxta Calendarium vetus Bissextili, deberet habere dies 29. delere 11. dies, ita ut Februarius haberet solummodo dies octodecim, & primus dies Martii computaretur juxta ordinem Calendarii Gregoriani. Ne autem prorsus cum hoc convenirent, decreverunt, rejectis Cyclis Lunaribus Epactarum, æquinoctium & initium primi mensis Lunaris determinare juxta calculum Astronomicum 52.). Circa modum id exequendi, recurrerunt ad Academiam Regiam Scientiarum Parisiensem per Literas Illustris LEIBNITII datas Hanoveræ 8. Febr. 1700. Respondit Academia, si præ Cyclis placeat adhibere calculum Astronomicum, nihil magis congruere, quam ut attendatur ad Tabulas D. de la Hire, propediem in lucem edendas 53.).

§ 435.

52.) Hoc Conclusum cum multis actis præviis exhibet Theatrum Europæum tom. 15. ad ann. 1700. a pag. 691.

53.) Referuntur hæc in Historia Academiæ Regiæ ad Ann. 1700.

§. 435. Dum Protestantes in Germania de mutando Calendario Juliano consilia agebant, etiam Romana Aula rationem indagabat conciliandi Lutheranos cum Catholicis in hoc negotio. Consultatum igitur, an opus esset aliqua Calendarii Gregoriani reformatione, ne Lutherani ullum haberent prætextum illud rejiciendi. Congregationi super hoc negotio constitutæ præficiebatur Cardinalis NORISIUS; Secretarium agebat D. BIANCHINI: communicabantur consilia cum D. CASSINI celeberrimo Astronomo in Gallia, & cum D. MARALDI, qui tunc Romæ versabatur. D. CASSINI 54.) censebat, Calendarium Gregorianum nulla indigere reformatione, sed solummodo mentem Gregorii exacte esse implendam, & Decimam quartam Lunam Paschalem suo in loco, a quo *quatuor & eo amplius dies* eo tempore distabat, reponendam: per emendationem autem hucusque factam solummodo per tres dies Lunam *qui non habent legitimam causam rejiciendi Cyclos Gregorianos,*

54.) Ejus Dissertatio *de la Correction Gregorienne des mois Lunaires Ecclesiastiques* inserta est Diariis Academiæ Regiæ ad annum 1701.

nam Paschalem retrocessisse ad tempus, quo fuerat tempore Concilii NICÆNI, consequenter non omnino impletam esse mentem GREGORII XIII. 55.). Quidquid de hoc sit, tam ipse D. CASSINI, dum vixerat, censuit; tum Academia Regia Parisiensis censet hucusque semper, retinendum esse Calendarium Gregorianum cum suis Cyclis, neque Lunam Paschalem computandam esse juxta calculum Astronomicum. Unde dum D. FILLIOL anno 1731. exhibuisset librum, inscriptum: *Nouvelle distribution politique du Tems*, ubi dies Paschatis determinabatur per calculum ex Tabulis Astronomicis deductum, laudavit quidem Academia

55.) In eundem sensum D. CASSINI scripsit aliam Dissertationem *Des Equations des Mois Lunaires & des Années solaires*, relatam in Diario Academiæ Regiæ ad ann. 1704. pag. 201. Contra hanc Diario Trivultiano ad Ann. 1728. mense August. art. 78. & Septembr. art. 87. inserta est *Analyse Astronomique de l'Hypothese Lunaire du Calendrier Gregorien par le P. Mahoudeau.* Huic Analysi in eodem Diario ann. 1730. mens. Jan. art. 4. & Febr. art. 12. opponuntur *Reflexions de M. Maraldi sur la Dissertation du R. P. Mahoudeau.*

mia diligentiam & eruditionem Autoris, censuit tamen, subtilitates Astronomicas in hoc negotio esse *nec necessarias*, *nec possibiles*, cum Astronomi nondum exacte convenerint circa veros motus Astrorum : insuper ex hoc calculo Astronomico sequi, quod Pascha non possit celebrari eodem die per totum orbem, quod omnino esset inconveniens 56.). Agnoverunt enim hi & alii rerum harum expertissimi Viri, quod CLEMENS VIII. Pontifex Maximus monet 57.), *mirandum non esse, quod Cyclus nostrarum Epactarum in dies Calendarii distributus, interdum in Noviluniis, ac Lunis XIIII. Paschalibus non omnino cum motibus cœlorum consentiat, cum hoc in omni Cyclo necessario eveniat, satisque sit, quod error hic, qui vitari nequit, multo rarior deprehendatur in novo hoc Calendario, quam in illo alio.*

§. 436.

56.) Histoire de l' Academie Royale ad ann. 1731. ubi articulus de Chronologia his verbis finitur: tout consideré, il se trouve que l' Eglise a agi avec beaucoup de prudence de s' en tenir au Calendrier Gregorien, sauf à y faire dans la suite du tems quelque réforme, si on le juge nécessaire.

57.) In Literis præfixis libro Christoph. Clavii de Explicatione Calendarii.

& Plenilunium Paschale

§. 436. Hæc, & plura alia permovere Protestantes non possunt ad amplectendos Cyclos Gregorianos, ne revereri Pontificis autoritatem videantur 58.). Fixum igitur ipsis manet, rejectis Epactarum cyclis, Plenilunium Paschale, quod terminum Paschalem vocant, ad observationes Astronomicas determinare: cum autem hæ in omnibus Regionibus ob diversos Circulos Meridianos non possint esse conformes, Specula Mathematica *Uranoburgica* legem debet præscribere aliis Provinciis 59.) ita ut Lutherani, si qui in Asia degant, censeantur accuratissime ad calculum Astronomicum celebrare suum Pascha, modo Meridiano Uranoburgico se conforment, quamvis phases Lunæ in Asia aliùd exigant.

Determinandi ad Meridianum Uranoburgicum.

§. 437. Cum igitur Ecclesia Catholica, id est, per totum orbem diffusa, nec velit, nec prudenter possit exigere Cyclum minutiis Astronomicis sem-

58.) Hollandi, quamvis non profiteantur singularem reverentiam erga Pontificem, suadente tamen prudentia receperunt Calendarium Gregorianum.

59.) Juxta Conclusum $\frac{1}{20}$ Januar. 17[illegible] apud SCHAUROTH tom. I. pag. 194.

semper conformem ; facile potest contingere, ut in Observatorio Uranoburgico Plenilunium determinetur una vel altera hora, aut etiam paucis minutis ante mediam noctem, quæ præcedit diem Dominicam : Cyclus autem Gregorianus designet terminum Paschalem ipsa die Dominica. In tali casu Protestantes mox illa die Dominica, quæ post Plenilunium incidit, Pascha suum celebrabunt: Catholici vero, qui Cyclo Gregoriano utuntur, illa ipsa die Dominica, in quam terminus Paschalis, scilicet decima quarta Luna incidit, non celebrabunt Pascha, ne cum Judæis conveniant, sed different ad Dominicam seqnentem. Hac ratione in celebrando Pascha te Lutherani a Catholicis per integram hebdomadem discrepabunt, licet quoad terminum Paschalem paucis horis, vel minutis distent. Hoc contigit Anno 1724. & 1744. non sine magna negotiorum turbatione per Germaniam. Idem rursus contingeret anno 1778. & 1798. si Protestantes vellent insistere calculo astronomico : nam his annis Plenilunium, quod ipsis est terminus Paschalis, jam die Sabbati, scilicet undecima Aprilis & 31. Martii occur-

curret 60.)consequenter Pascha mox sequente Dominica scilicet 12. & 1. Aprilis ipsis celebrandum esset: Cyclus autem Gregorianus Lunam XIIII. Paschalem his annis designabit in dictis diebus Dominicis 12. & 1. Aprilis: Canon autem Calendarii Gregoriani exigit, ut Pascha celebretur Dominica *post* Lunam XIV. scilicet 19. & 8. Aprilis. Ut igitur ipso opere fateantur Protestantes, solos motus cœlestes considerandos non esse, indagabunt illis annis cyclum Judæorum, licet sequi non dignentur Cyclum Catholicorum: cum autem deprehensuri sint, Judæos juxta suum cyclum dictis diebus Dominicis celebraturos Pascha, ipsi different hoc festum in sequentem Dominicam, ut potius cum Catholicis Pascha peragant 61.). Unde facile perspicitur, systema Protestantium, in quantum a Calendario Gregoriano differt, nullis constare firmis principiis 62.).

§. 438.

60.) Clavius pag. 426. Plenilunium medium anni 1778. ponit D. 11. H. 12. April. & anni 1798. D. 31. H. 13. Martii.

61.) Juxta Conclusum 30. Jan. 1723. apud Schauroth tom. 1. pag. 199.

62.) Si cui ad manum non sint majora volumi-

§. 438. Cum hanc totam notitiam Calendarii ad usus præcipue Ecclesiasticos inseruerimus, explicandæ restant Literæ & Numeri Martyrologii Romani, in quo Festa per annum distribuuntur & annuntiantur. Singuli dies in hoc Martyrologio inscribuntur iis notis, quas in Calendario Romano posuimus, *Calendis Januarii, Tertio Nonas Januarii &c.* Additur semper vox *Luna*, cui debet ab eo, qui diem añuntiat, adjungi numerus, denotans diem Mensis Lunaris, *Luna prima, Luna sexta &c.* Ut autem sciatur, quota Luna annuntiari debeat, singulis diebus supra Sanctorum historias dispositæ sunt Literæ triginta, quæ triginta Numeris Epactalibus respondent, subjuncto etiam alio numero sub qualibet Litera. Literæ autem Epactis respondentes sunt istæ: *Martyrologium Romanum*

lumina Petavii, Clavii &c. servient pro hac differentia inter Catholicos & Protestantes melius dignoscenda duo libelli P. Josephi Falc[illegible], unus inscribitur: *Animadversiones circa dubium, quod inter Acatholicos oritur ratione Paschatis anni* 1724. alter: *Christianum Pascha in Calendario Gregoriano rite celebratum.* Item P. Franc. Schuch Disquisitio astronomica de Correctione Calendarii Ingolstadii ann. 1699.

a b c d e f g h i k l m
I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII.
n p q r s t u
XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.
A B C D E F f
XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. 25.
G H M N P
XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. *

Utimur autem ſolummodo 19. Epactis, quot nimirum ſunt aurei numeri: & quidem ab anno 1700. usque ad finem anni 1899. eum ordinem Epactarum tenemus, qui ſupra expoſitus eſt (§. 429.). Ut igitur annuntietur, quota ſit Luna, ſumendus eſt primum Aureus numerus anni currentis in ſuperiori ordine tabellæ (§. 429.). vel Epacta currens in medio ordine illius tabellæ, reſpondens aureo numero illius anni: dein inquirenda Litera, quæ in tertio & inferiori ordine ejusdem tabellæ Aureo numero vel Epactæ ſubjuncta eſt. Hæc Litera vocabitur Litera Martyrologii per totum illum annum; & per numerum, qui in ipſo Martyrologio ſingulis diebus ſub ea reperietur, oſtendet, quota Luna ſit pronuntianda ſingulis diebus totius anni currentis. Exemplum: anno 1758. currit aureus numerus 11. & reſpondens Epacta XX. huic in tabella

bella (§. 429.) subjicitur Litera Martyrologii A majuscula. Unde singulis diebus annuntiatur in Martyrologio Luna adjecto illo numero, qui in serie numerorum & Literarum Catalogo Sanctorum præfixa, respondet Literæ A majusculæ. Quarta igitur Novembris Anni 1758. promulgationi Sanctorum hæc formula præmittitur: *Pridie Nonas Novembris Luna tertia.* Ad illum enim diem videbis in Martyrologio numerum 3. subjectum Literæ A. quæ respondet Epactæ XX. Hæc ipsa autem Epacta XX. in Calendario signat pro anno 1758. initium mensis Lunaris die secundo Novembris: quarta igitur dies Novembris, est tertia dies mensis Lunaris juxta Cyclum Gregorianum.

§. 439. In eodem Martyrologio in margine ex una parte singulis diebus solet poni numerus vulgaris, qui denotat diem mensis nostro vulgari modo numerandum. Ex altera parte ponitur una ex septem primis Literis Alphabeti, denotans diem hebdomadis, prout hæ septem Literæ in Calendario per totum annum disponuntur. Cum igitur Anno 1758. habeatur Litera Dominicalis A. hæc ipsa Litera in Martyrologio occurrens signabit *Servit pro Calendario.*

gnabit diem Dominicam per totum hunc annum. Huic Literæ insuper in Martyrologio solet adjungi Numerus Epactalis, sicut in Calendario posuimus, habiturus eundem usum, quem Epactis assignavimus (§. 428.). Cum igitur ex dictis numerus Epactalis XX. respondeat Literæ majusculæ A. Martyrologii, ideo ubicunque in Martyrologio Literæ Dominicali adjuncta apparet Epacta XX. semper in serie Literarum & numerorum Vitis Sanctorum præfixa, Litera Majuscula A. subjectum habebit numerum 1. quod signum est, illam esse primam diem mensis Lunaris juxta Cyclum Gregorianum. Si itaque ad manum sit Martyrologium Romanum novum, scilicet post Gregorianam Calendarii correctionem editum, non indigebis alio Calendario: nam præter festa immobilia, quæ ibi pro singulis diebus recensentur, possunt etiam festa Paschalia & alia mobilia, item Novilunia, Plenilunia, aliaque ex Calendariis peti solita, juxta Cyclum Gregorianum deprehendi ex Literis Dominicalibus, numeris Epactarum, & Literis Martyrologii ibidem appositis 63.). §. 440.

63.) Vid. Explicationes & Rubricæ Martyr-

§. 440. Ut notitia Calendarii Ecclesiastici serviat etiam pro intelligendis antiquorum Historicorum notis Chronologicis, juvat sub unum aspectum apponere voces quasdam scitu necessarias, cum sine Chronologia, mera confusio in studio Sacrorum Canonum & Legum oriri necesse sit. *Chronologia* est Scientia temporis. *Sæculum* est spatium centum annorum. *Lustrum* est spatium quinque annorum, intra quod tempus Romani dinumerabant & lustrabant populum suum. *Olympias* continet quatuor annos, quibus evolutis celebrabantur apud Græcos famosi Ludi Olympici, prope urbem Olympiam in Peloponneso. Antiqui Historici computabant Olympiades, sicut Romani Consules, ad denotanda tempora narrationum suarum, qui usus cessavit a sæculo quinto Christi. *Epocha* est fixus articulus Historiæ, notabilius factum continens, certoque tempori alligatus: Epocha *sacra* desumi-

Chronologiæ termini:

tyrologiis Romanis præfixæ. Exceptio quæ ibi ponitur pro lunatione Januarii quorundam annorum, non turbabit nos usque ad annum 1900. ultra quem terminum non sumus nunc soliciti.

tur ex SS. Bibliis, uti Diluvium anno Mundi conditi 1656. *Eccleſiaſtica* ex Hiſtoria Eccleſiæ, uti primum Concilium Nicænum anno Chriſti 325. *Profana* ſeu *Politica* concernit Imperia & Monarchias, uti Coronatio Caroli M. in Imperatorem anno Chriſti 800. *Æra* denotat fere idem ac *Epocha*, hoc tamen diſcrimine, quod *Epocha* fixa ſit ab Hiſtoricis: *Æra* autem ab integro populo ſeu Natione. Sic dicitur *Æra Chriſtiana*, qua Fideles numerant annos a Chriſto nato. Uſus hic obtinuit poſt DIONYSIUM Exiguum, qui vivebat ſæculo ſexto; & juxta communem Criticorum opinionem in calculo ſuo non nihil aberravit a vero anno Nativitatis Chriſti: pergimus tamen in hoc computo ad vitandam confuſionem ob diverſas Autorum opiniones.

& Epochæ concurrentes cum Æra Chriſtiana.

§. 441. Annos a creatione Mundi varie computant Chronologi: unde nihil determinandum ſumimus, cum locus hic non ſit reddendi rationem de ſingulis Epochis, nec Scientia Juris Canonici aſcendat ultra ætatem Chriſti. Adjungimus ſolummodo Æras & Epochas, quarum uſus ſæpius occurrit, concurrentes cum Anno primo

primo vulgatæ æræ Christianæ, cujus nunc agimus annum 1758.

Igitur cum anno Æræ Christianæ	1.
Concurrit Annus a Mundo condito juxta computum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quo recentiores Græci utuntur	5509.
Periodi Julianæ - -	4714.
Romæ conditæ a 21. Aprilis	754.
Æræ Nabonassaris, ad quam Ptolemæus computat suas Observationes Astronomicas -	748.
Olympiadis 195. a Neomenia proxima Solstitio æstivo ann.	1.
Annus Seleucidarum, quo utitur Liber secundus Machabæorum, a mense Tisri seu ab Idibus Octobris - - -	313.
Annus Græcorum, quo utitur Liber primus Machabæorum, a mense Nisan -	313.
Annus Julianus - -	46.
Æra Hispanica, quæ usurpatur in Conciliis & Scriptoribus Hispanis - - - - -	39
Cyclus Solaris - - -	10
Aureus Numerus, seu Cyclus Lunaris - -	2
Indictio - - -	4

TITULUS XX.

DE OFFICIO DIVINO.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 41. In Clement. tit. 14.

§. 442.

Officium Divinum PER *Officium Divinum* hoc loco intelligitur certa ratio publice laudandi Deum mente simul & voce, autoritate Pontificum Ecclesiæ instituta. Cum autem partes principaliores hujus Divini Officii per certas diei horas distributæ, & secundum certam regulam dicendæ sint, totum hoc Officium vocamus Horas Canonicas.

ex more antiquo §. 443. Morem certis horis nocturnis ac diurnis laudandi Deum in hymnis & canticis, populo Israëlitico usitatum, strenue prosecuti sunt Apostoli, qui hora *Tertia* orantes acceperunt Spiritum Sanctum 64.): hora *sexta* PETRUS in superiore ædium parte orationi vacabat 65.): ad horam orationis *Nonam* PE-

64.) Act. II. 15.
65.) Ibid. X. 9.

PETRUS & JOANNES ascendebant in templum 66.): *Nocturnas* preces Deo persolverunt PAULUS & SILAS in carcere 67.). Quanto studio primorum sæculorum Fideles æmulati sint devotionem Apostolorum, pleni sunt Annales Ecclesiastici, & Vitæ Patrum 68.).

§. 443. Cum autem David 69.) *septies* in die laudem se dixisse profiteatur, hoc exemplo instructi multi Viri pii, demum tota Ecclesia *Nocturnum*, *Diurnumque Officium* 70.) in septem distinctas horas distribuit. *Nocturnum* Officium complectitur *Matutinum* cum *Laudibus*; Diurnum habet Horam *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, *Vesperas*, & denique *Completorium*, antequam ad somnum nos conferamus 71.). Non eo sensu hoc

Septem Horis comprehenditur.

66.) Ib. III. 1.
67.) Act. XVI. 25.
68.) Exempla singulorum sæculorum recenset Cardinalis BONA de Divin. Psalmod. c. 1.
69.) Psalm. CXVIII. 164.
70.) Sic vocatur c. 9. de celebrat. Miss. & Clement. 1. eod.
71.) Nec in plures, quam in septem, nec in pauciores horas consuetum Ecclesiæ Offi-

intelligimus, acsi David, aut alii Viri sancti pietati suæ oratione septies repetita satisfecerint, cum alibi devotissimus Rex dicat, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* 72.): & ipse Divinus Servator noster instruat Apostolos suos, *quoniam oportet semper orare, & non deficere* 73.). Per septenas enim horas continuum orandi studium intelligitur,

---

Officium debere dividi, ostendit SUAREZ tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 6. Videtur quidem in c. 1. de Celebrat. Miss. septem dictis horis superaddi *Nocturnæ Vigiliæ*: sed tamen doctrina hujus Capituli non est desumpta ex disciplina Ecclesiæ Romanæ, aut universalis. Nam unde unde demum exscripta sit pars prior hujus Capituli, cum in nullo Concilio, nec AGATHENSI, cujus nomen præfigitur in Decretalibus, nec NANNETENSI, prout scribitur c. 2. dist. 91. reperiatur; certe altera pars, incipiendo a verbis *septies in die &c.* desumpta est ex Regula S. BENEDICTI cap. 16. ubi ex præcedentibus capitibus facile apparet, a S. hoc Patriarcha septem Horas Diurnas distingui a Vigiliis Nocturnis: sed extra hanc disciplinam Monasticam, Nocturnum ac Diurnum Officium, non nisi septem horas complectitur.

72.) Psalm. XXXIII. 2.

73.) Luc. XVIII. 1.

gitur, quia juxta S. AUGUSTINUM 74.) *septies in die significat semper*: nam numerus *septimus* universitatem designat, & singularem perfectionem continet 75.) Aptissime etiam numerus septenarius Horarum Canonicarum respondet variis mysteriis Passionis Dominicæ 76.).

§. 444. Cum autem Viri sanctissimi bene agnoverint, singulos non posse tota die insistere cantandis Dei laudibus; hinc congregarunt magnum numerum Servorum Dei in una Ecclesia, qui in plures turmas distributi sibi invicem succedebant, ut diu noctuque laudes Divinæ in eadem Ecclesia nunquam interrumperentur. Tale erat institutum *Acœmetarum* 77.), Mo- *Perpetuæ Dei Laudes.*

74.) Homil. 31. in Psal. 118.

75.) De Perfectione & mysteriis numeri septimi multa tradit PHILO Judæus in lib. de Mundi Opificio.

76.) Vid. THOMAS LE BLANC in Psal. 118. v. 164. art. 1. n. 538. Card. BONA de Div. Psalmod. c. 2. §. 2. seqq.

77.) Horum autor dicitur fuisse S. ALEXANDER, qui sæculo V. floruit. Vid. Acta Sanctor. ad diem 15. Januar. in vita Alexandri. HELYOT. Histoire des Ordres Monastiques part. 1. c. 29. Vid. Hierarch. Eccles. §. 413. not. 82.

Monachorum Agaunenſium 78.), Centulenſium, Cabilonenſium, Dionyſianorum prope Pariſios, Luxovienſium, Habendenſium, Laudunenſium &c. &c. 79.).

Horæ Canonicæ

§. 445. Singulæ ex iſtis Horis conſtant ex variis partibus rite ordinatis; in Breviario Romano hæ ſpecialiter numerantur: Pſalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Reſponſoria, Verſiculi, Benedictiones, Abſolutiones, Capitula, Invitatorium, Antiphonæ, Collectæ ſeu Orationes Eccleſiaſticæ, Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Fidei, Confeſſio, Antiphonæ peculiares de B. Virgine cum adjuncta oratione ad Deum. 80.).

§. 446.

78.) Fundante S. SIGISMUNDO Burgundionum Rege, de quo PAGIUS in Critic. ad Annal. Baronii ann. 522. §. 10. ſeqq.

79.) De his Card. BONA & PAGIUS ll. cc.

80.) De his omnibus vid. SUAREZ tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 2. AMALARIUS FORTUNATUS de Eccleſ. Officiis. RUPERTUS TUITIENSIS de Divin. Offic. HONORIUS in Gemma animæ. DURANDI Rationale Divin. Officior. ORDO ROMANUS de Officiis Divinis. MICROLOGUS de Eccleſiaſticis obſervationibus, aliique ſacrorum rituum explanatores.

§. 446. Officium hoc Divinum vel recitatur *publice* a tota aliqua communitate; vel *privatim* & a singulis. Communis oratio est, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur 81.), & quidem publice ad excitandum aliorum affectum erga Deum 82.): unde introducitur sæpe in quodam loco, Ecclesia seu congregatione præcipue ad usum populi, ut habeat Divina Officia publica, quibus interesse possit, & Deum precari, vel laudare per communes Ministros ejus, suo modo cooperando seu assentiendo; qui finis maxime intenditur in Ecclesiis Clericorum aut Canonicorum sæcularium. Aliquando vero in aliqua congregatione instituitur principaliter propter usum talis congregationis & personarum ejus, quæ ad chorum deputantur, ut in isto religioso ac præstantissimo actu occupentur; quod præcipue convenit communitatibus Monachorum. *vel recitantur,*

§. 447. Ad hos fines certius obtinendos, has laudes Divinas non pla- *vel cantantur*

81.) S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 12. c.
82.) Ibid. q. 91. art. 1. c.

plana ſolum voce, ſed modulato etiam cantu in Eccleſia ſemper peractas & peragendas eſſe, docet nos tota antiquitas. Ut veteris teſtamenti Viros nominatiſſimos DAVIDEM, SALOMONEM, aliosque omittamus; *in hymnis & pſalmis canendis, ipſius Domini* 83.), *& Apoſtolorum* 84.) *habemus documenta & exempla, & præcepta* 85.). Nec apparet, quid *in re tam utili ad movendum pie animum, & accendendum divinæ dilectionis affectum* 86.) carpi merito poſſit. Narrante S. AUGUSTINO 87.) *Hilarus quidam Laicus, neſcio unde adverſus Dei miniſtros, ut fieri aſſolet, irritatus, morem qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de pſalmorum libro, ſive ante oblationem, ſive cum diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione ubicunque poterat, lacera-*

83.) Qualem hymnum cantaverit Chriſtus poſt cœnam, inquirit HONORATUS A S. MARIA tom. 2. lib. 4. Diſſert. 7.

84.) *In Pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus.* Ad Epheſ. V. 19.

85.) S. AUGUSTINUS Epiſt. 55. alias 119. c. 18.

86.) Ibid.

87.) Lib. 2. Retract. c. 11.

lacerabat, asserens fieri non oportere 88.). Certum quendam morem canendi tum cœptum reprehendebat Hilarus: at vero nonnulli Novatores ultimorum sæculorum cantum omnem Ecclesiasticum reprehendunt 89.), quos Catholici Doctores egregiis tractatibus refellunt 90.), ostenduntque sanctissimum esse morem, ut horæ Canonicæ cum cantu & psalmodia in Ecclesia dicantur, utpote qui habet exemplum & fundamentum in S. Scriptura; confirmatur consuetudine ab initio Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis deducta; ac utilissimus est

88.) Contra hunc S. AUGUSTINUS scripsit librum, qui non extat.

89.) Aliter sentiunt Protestantes Germaniæ, qui cantum psalmorum & hymnorum vehementer amant: imo ex illis vir doctus CHRISTIANUS WOLFIUS Jur. Natur. p. 1. §. 1247. & Instit. Jur. Natur. §. 176. ponit hanc conclusionem: *ad hymnos componendos & canendos ipsa lege naturali obligamur.*

90.) BELLARMINUS tom. 4. Controv. lib. 1. de Bonis Operib. c. 16. BARONIUS Annal. ad ann. 60. n. 24. seqq. ALPHONSUS A CASTRO lib. 4. adversus hæres. V. *Cantus.*

est tum orantibus, tum audientibus 91.) : unde etiam Concilii Tridentini Patres voluerunt, ut qui in Seminariis aluntur, disciplinam cantus discant 92.).

per Ecclesiæ Ministros, §. 448. Munus canendi publice Horas Canonicas per se loquendo pertinet ad Ecclesiasticas personas, seu peculiares Ecclesiæ Ministros: non tamen ita proprium est Clericorum, ut non possint aliqui non ordinati ad hoc ministerium deputari, quales fuerunt Psalmistæ 93.). Unde etiam nunc non solum per Clericos, sed etiam Laicos, & per Religiosos, etiamsi Clericalibus Ordinibus initiati non sint, imo etiam per fœminas, ut in Monasteriis Monialium fieri videmus, Horæ Canonicæ publice recitantur, seu canuntur, etiam nomine totius Ecclesiæ. Non tamen omnes Clerici aut Religiosi occupandi sunt in hoc ministerio cantandi in Choro; sed illi tantum, qui in gravioribus Ecclesiæ ministeriis seu

---

91.) Latius hæc diducit SUAREZ tom. 2 de Relig. tr. 4. l. 4. c. 7. n. 9. seqq.
92.) Sess. 23. C. 18. de Reform.
93.) C. 20. dist. 23.

seu Officiis occupati non sunt 94.). Ad hanc rem notatu digna est Constitutio S. GREGORII M. 95.), ut in Romana Ecclesia *sacri Altaris Ministri* (Diaconi, quos ad prædicationis officium & eleemosynarum studium vacare congruit) *cantare non debeant, solumque Evangelicæ Lectionis officium inter Missarum solemnia exolvant: psalmos vero ac reliquas lectiones censet per Subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi* 96.). In hunc sensum loquitur etiam S. THOMAS 97.): *nobilior modus est provocandi homines ad devotionem per doctrinam & prædicationem, quam per cantum: & ideo Diaconi & Prælati, quibus competit per prædica-*

94.) DOMINICUS SOTUS de Justit. lib. 10. q. 5. art. 3. contra autoritatem Romanorum Pontificum varios Ordines Religiosos approbantium scripsit, si Ordo Regularis absque obligatione Chori admittatur, *vix nomen religionis meneri.* Vid. SUAREZ tom. 4. tr. 10. de Relig. lib. 1. c. 8. excusat Sotum HYACINT. DONATUS prax. Regular. tom. 4. tract. 18. q. 28.

95.) Lib. 4. Regist. Epist. 44. relata in C. 2. dist. 92.

96.) Mentem S. GREGORII prudenter, ut solet, explanat SUAREZ cit. tom. 2. l. 4. c. 9.

97.) 2. 2. q. 91. art. 2. ad 3.

dicationem & doctrinam animos hominum provocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc a majoribus retrahantur. Si hodiernum morem consideremus, Ministri & Clerici ad munus dicendi horas Canonicas ex præcepto deputati, sunt qui habent Beneficium, quod propter tale servitium Ecclesiæ, specialiter conceditur, ut sunt Canonici, & præbendarii 98.): vel quod annexam habet obligationem hanc, quales sunt Parochi. Et quidem in Cathedralibus ac Collegiatis Ecclesiis fieri debet Officium hoc singulis diebus; quod idem dicendum de Ecclesiis Regularium, juxta uniuscujusque institutum & consuetudinem: in Ecclesiis autem Parochialibus, si rigorem Juris attendamus, dicendæ essent omnes Horæ Canonicæ aliquo modo publico, saltem Domini-

98.) Hi non satisfaciunt suæ obligationi, si suam Officii partem ita submissa voce recitent, ut ab altero choro non audiantur. Benedictus XIV. Bullar. tom. I. n. 103. ex Concil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 12. ubi Canonici jubentur compelli ad Divina Officia *per se* obeunda, *atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.*

nicis & festis diebus 99.), præsertim si habeant reditus pinguiores, plura Beneficia suo servitio deputata, & populum copiosum ac nobilem; tunc enim major solet esse necessitas seu communis utilitas, ac decentia: consulenda tamen est consuetudo rationabilis. In aliis Ecclesiis & Capellis, standum est eorum statutis, & institutionibus, ac Fundatorum voluntate. Ubicunque autem obligatio publice peragendi Officium Divinum viget, fieri id debet in ipsa Ecclesia, utpote loco specialiter ad hoc deputato & aptissimo.

§. 449. Circa idioma, quo publice cantari vel recitari debet Officium Divinum, notanda est propositio QUESNELLI 100.): *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.* De Fidelibus primorum sæculorum nemo negat, *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere* *Lingua communi pluribus populis.*

99.) Desumuntur hæc ex Clement. 1. de celebrat. Missar.

100.) Propositio 86. damnata in Bulla *Unigenitus.*

cere *secum invicem* 1.). Non tamen verisimile est, inconditam multitudinem voces incompositas junxisse, unde nec decor, nec ordo, qui præcipitur, valeat exspectari, cum *omnia honeste, & secundum ordinem fieri* præcipiat Apostolus 2.). Multo minus probabile est, mulieres cum viris in Ecclesia cecinisse, quas tacere jubet idem Apostolus 3.). Unde juxta Concilium LAODICENUM 4.) *non oportet, præter Canonicos Cantores qui ambonem ascendunt, & ex Codice canunt, aliquos alios canere in Ecclesia.* Scilicet peritioribus canentibus, respondebat plebejorum turba infima, vocibus quoque elatis *Amen* 5.): pro multitudine autem, vitandæ confusionis gratia, solus Minister supplet locum plebis 6.). Dein quis credat, Psalmos

&

1.) Plinius *Secundus* lib. 10. epist. 97. ad Trajanum.
2.) 1. Corinth. XIV. 40.
3.) Ibid. 34.
4.) Can. 15. Vid. Balsamon, Zonaras & Beveregius in eundem Canonem.
5.) Justin. Apolog. 2. in fin. S. Hieronym. Epist. 137. ex Epist. S. Pauli I. Cor. XIV.
6.) Apostolus loc. cit. v. 16. hunc Ministrum intelligit per verba: *qui supplet locum Idiotæ.*

& alias orationes versas fuisse ab Apostolis in omnes linguas earum gentium, quibus Evangelium prædicarunt? Ecclesia Latina semper usa est lingua latina, Ecclesia Græca semper idiomate græco; quamvis populi diversissima habeant idiomata, apud quos Ecclesiæ tempore Apostolorum fundatæ sunt. Antiquissimus usus Ecclesiæ Latinæ est, cantare *Alleluja* & *Kyrie Eleison*, quæ tamen voces a populo non intelliguntur. Usa igitur semper Ecclesia est idiomate non vulgari singularum Provinciarum, sed communi multarum regionum, quale est Lingua Latina, Græca & Hebraica. Si quibusdam Provinciis aliud nonnunquam permissum fuit, ex singulari & gravi causa id factum est, qualis non ubique urget. Unde salvum manet, quod TRIDENTINA Synodus de idiomate vulgari in Divinis Officiis usurpato dicit, non expedire, ut *passim* concedatur7.).

§. 450. Quidquid sit de more primorum Ecclesiæ sæculorum, sane non omnia, quæ tempore Apostolorum & primis sæculis fuerunt ob- *Non tamen vulgari cujusque Provinciæ:*

7.) Sess. 22. de Sacrif. Missæ c. 8.

ſervata, nunc quoque obſervari neceſſe eſt, cum diſciplina Eccleſiaſtica pro variis temporum & locorum circumſtantiis poſſit, ac nonnunquam debeat mutari. Nihilominus etiam hodie frequens eſt cantus totius populi in multis Eccleſiis: non opus autem eſt, ut totum Officium idiomate vernaculo cantetur, cui vocem ſuam adjungat populus, cum primis ſæculis idem Horarum Canonicarum ordo non fuerit uſitatus: conſequenter non poteſt dici, quod recedatur a praxi Apoſtolorum, uſurpando tale idioma, quod non intelligit populus: ſufficit, ſi plebs ſciat, cantari laudes Divinas. Cum Novatores aliqui in Gallia fruſtra optarent celebrationem Divinorum in lingua vernacula; procurarunt ſaltem, ut Miſſarum formula verteretur in linguam Gallicam, tempore ſacrificii a populo legenda ſimul cum ſacerdote celebrante. Sed Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus Lutetiæ congregatus, ejusmodi translationes damnavit, & ad Summum Pontificem damnandas detulit 8.), eodem ſpi-

8.) Literas Cleri Gallicani ad Pontificem 7. Januar.

spiritu permoti, quo jam pridem S. GREGORIUS VII. Romanus Pontifex 9.) Uradislao Bohemorum Duci repulsam dedit, postulanti, ut Pontifex Bohemis concederet celebrationem Divini Officii in Lingua Sclavonica 10.).

§. 451. Sicuti in recitando Officio Divino tenemus Linguam Ecclesiæ Romanæ, scilicet Latinam, ita etiam observamus formam & ritum novi Breviarii Romani: a qua obli-

Juxta Ritum Romanum,

Januar. 1661. datas refert Autor Constitutionis *Unigenitus* Theologice propugnatæ tom. 3. ad propos. 79. c. 2. & ad prop. 86. c. 5.

9.) In Registro GREGORII VII. lib. 7. epist. 11.

10.) De Divino Officio in lingua vulgari non recitando, præter multos alios tractat NICOLAUS SANDERUS lib. 7. de visib. Eccles. Monarchia pag. 703. item in Oratione Lovanii habita *de Linguis Officiorum Ecclesiasticorum.* Præ aliis autem JACOBUS LEDESMA *De Divinis scripturis quavis passim lingua non legendis: simul & de Sacrificio Missæ, cæterisque officiis in Ecclesia Christi, Hebræa tantum, Græca aut Latina lingua celebrandis.* Qui liber primum editus anno 1574. jussu Cleri Gallicani cum insigni elogio novis typis Parisiis editus fuit anno 1661.

gatione PIUS V. 11.) illos solum ritus excipit, qui ex institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine ducentos annos superante retenti fuerint. Diversos ejusmodi ritus & varium Breviarii ordinem sequuntur multi Religiosi scilicet Benedictini, Cistercienses, Præmonstratenses, Prædicatores, Carthusiani, Carmelitæ: item Ecclesia Lugdunensis institutore S. IRENÆO; Mediolanensis confirmante S. AMBROSIO; quædam Ecclesiæ Hispanæ retinentes ritum Mozarabicum 12.); Ecclesiæ Græ-

---

11.) In Confirmatione sui Breviarii Dat. Romæ 7. Id. Julii 1568.

12.) Hispania per Mauros & Arabes occupata, Christiani his barbaris permisti, *Mistarabes* appellati sunt, quæ vox demum degeneravit in nomen *Mozarabum*. Vid. ALVARUS GOMECIUS de Reb. gest. a Ximenio Archiep. Tolet. lib. 2. Modum & ordinem hujus Officii refert JOAN. VASÆUS Rer. Hispan. Chronic. ad ann. Chr. 717. Abrogatum illud voluit GREGORIUS VII. in Regist. lib. 1. epist. 63. 64. Quomodo autem judicio Duelli & ignis retentum fuerit, narrat RODERICUS Archiep. Tolet. de Reb. Hispan. lib. 6. c. 26. Exactam historiam hujus ritus præfigunt BOLLANDISTÆ Tomo sexto Julii.

Græcorum 13.), Armenorum, Maronitarum, Abassinorum seu Cophtorum 14.).

§. 452. Breviarium Romanum, cujus ritum sequimur, fuit olim & inscribebatur *Psalterium ordine dispositum*: psalmi enim semper erant præcipua & essentialis Officii pars. Dicunt communiter, originem a S. PETRO esse repetendam, Romanos vero Pontifices subinde, quæ e re sibi visa essent, adjeciisse. S. GREGORIUS M. Officium a GELASIO plus æquo productum, ad breviorem formam redegit: plura resecuit GREGORIUS VII. Verum sæculo XIII. brevius contractum fuit 15.). Duplex videlicet olim in Urbe erat modus Divini Officii, alter brevior, quo Romana Curia, sive Capella Pon-

a variis in præsentem formam redactum:

13.) De Acoluthia Officii Græci consulendus Tractatus præliminaris ad Tom. 2. Junii BOLLANDISTARUM, autore NICOLAO RAYÆO.

14.) De his omnibus aliqua dicit Card. BONA de Div. Psalmod. cap. 18. EMANUEL DE AZEVEDO in Exercitationibus Liturgicis de Divino Officio Exercitat. 8. & 9.

15.) Qua ratione id contigerit, refert RADULPHUS *Tungrensis* De Canonum observantia propos. 22.

tificia, ob plurimas Summi Pontificis, Cardinalium, aliorumque Prælatorum Pontifici assistentium occupationes utebatur; alter prolixior pro cæteris Ecclesiis Urbis, qui propriè *Ritus Romanus* dicebatur. Cum vero S. FRANCISCUS *Seraphicus* Sodalibus suis mandasset, ut Divinum Officium *secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ* peragerent 16.), susceperunt isti contractum *Breviarium*, quod in Pontificis Sacello servabatur. Cum autem istud non bene digestum comperisset HAYMO Ordinis Minorum Generalis Minister, in id incubuit, *Officiumque Romanum* dictum ad eum ferme statum, qui hodiedum viget, perduxit 17.) quam Breviarii formam

16.) S. Franciscus in Regula prima c. 3. dicit: *Clerici faciant Officium & dicant pro vivis & pro mortuis secundum consuetudinem Clericorum.* In Regula secunda c. 3. dicitur: *Clerici faciant Divinum Officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria.* Quibus verbis jam datur facultas abbreviandi Psalterium.

17.) Wadingus Annal. Minor. tom. 3. ad ann. 1244. Observationem hujus Breviarii *a F. Aymone sanctæ recordationis pra-*

mam confirmavit GREGORIUS IX. 18.): NICOLAUS III. vero mandavit, ut in posterum in singulis Romanæ Urbis Ecclesiis adhiberetur 19.). Hoc ipsum Breviarium, brevius adhuc redditum fuit a FRANCISCO GUIGNONIO Cardinale S. Crucis, cui demandata fuit hæc Provincia a CLEMENTE VII. Postquam autem Concilium TRIDENTINUM 20.) curam Breviarii Romani reliquisset Pontifici Romano; PIUS V. inchoatam reformationem perfecit, Breviarium a prædicto Cardinale editum, quo plurimi specie Officii commodioris allecti utebantur, abolevit, suoque nomine & autoritate Breviarium Romanum edidit, quod dein CLEMENS VIII. demum emendatis hym-

---

cessore suo correcti gravissimis literis injungit suis Fratribus JOANNES *Parmensis* Minister Generalis, apud eundem WADINGUM ad ann. 1249.

18.) Literæ Confirmationis referuntur in Regesto GREGORII IX. N. 38. apud cit. WADINGUM tom. 3.

19.) *Unde hodie in Roma omnes libri sunt novi & Franciscani*, uti loquitur Radulphus loc. cit. qui obiit anno 1403. & innovationem istam minime probavit.

20.) In continuata sess. 25.

hymnis, & paucis aliis locis mutatis, URBANUS VIII. recognovit, prout Literæ horum Pontificum hodiernis Breviariis præfixæ docent.

Horis competentibus. §. 453. Cum Sacri Canones exigant, ut Officium Divinum, quando publice recitatur, *horis competentibus* compleatur 21.); *Matutinum* quidem proxime post mediam noctem inchoandum esset: non tamen scrupulose accipitur media nox, sed prout significat partem illam noctis, quæ post dimidiam noctis inchoatur, & sufficit ad absolvendum illud Officium usque ad auroram: in multis tamen Ecclesiis ex antiqua consuetudine *Matutinum* differtur usque ad auroram, statimque illi annectuntur *Laudes*. Reliquæ Horæ juxta nomina sua habent tempus determinatum, numerando horas diei duodecim ab ortu solis usque ad occasum, ita ut hora sexta designet meridiem. Similiter Vesperæ ante occasum, Completorium post occasum solis dici deberent. Omnes tamen istæ horæ & tempora patiuntur suam latitudinem juxta receptam cujusvis Ecclesiæ consuetudinem.

§. 454.

21.) Clem. 1. de Celebr. Miss.

§. 454. Quæ hucusque dicta sunt de publica recitatione Divini Officii, applicari pleraque possunt ad ejusdem recitationem privatam. Hoc onus ab Ecclesia annexum est cuilibet Beneficio Ecclesiastico, quod per proprium titulum spiritualem confertur, non obstante quacunque alia obligatione ad aliud Officium, ex vi talis Beneficii imposita. Itaque licet Episcopus, Parochus &c. teneantur ad spirituale regimen animarum, aliaque officia; nihilominus tenentur etiam ad recitandas Horas Canonicas. Expressos Canones antiquos vix reperiemus de hac obligatione: nihilominus sufficit communis consensus & traditio Ecclesiæ, quam declaravit Concilium Lateranense V. 22.), quod privat fructibus bene-

Privatim recitandum Officium a quibus?

22.) Sess. 9. in Bulla Reformationis. Hanc Constitutionem confirmavit & declaravit Pius V. Const. 135. in Bullar. Roman. Varia dubia de hac obligatione vid. apud Suarez. tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 1. c. 18. & seqq. & apud Theologos morales, inter quorum disputationes nihil magis consulendum est, quam ut inhæreamus verbis Pii V. *Statuimus ut qui horas omnes Canonicas, quo vel pluribus diebus intermi-*

Beneficiorum eos, qui Divinum Officium non dicunt. Justum omnino est, ut Clerici saltem id dent Ecclesiæ, ut pro populo, præsertim pro iis, qui per negotiorum multitudinem, nec sæpe nec diu precibus immorari queunt, Deum orent, inprimis pro iis, qui suas substantias Ecclesiæ ea conditione profuderunt, ut devotas pro se preces Clerici fundant. Unde extra Chorum ad quotidianam privatam recitationem Horarum Canonicarum tenentur ex præcepto Ecclesiastico omnes sacris Ordinibus initiati, etiamsi Beneficium non habeant, neque ex officio, neque ex peculiari obligatione Choro assistere teneantur. Difficile est assignare expressum Canonem, qui obligationem istam imponat, quæ proin potius ex consuetudine ortum trahere videtur 23.). Clerici in minoribus Ordinibus constiti-

---

termiserint, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittant &c.

23.) Suarez loc. cit. c. 16.

stituti, ex sola ratione horum Ordinum non tenentur ad Horas Canonicas dicendas, neque Regulares vi ullius Professionis: unde aliquæ Religiones, quæ vel sunt ad corporalia opera misericordiæ deputatæ, ut sunt aliqui Hospitalarii, vel Religiones militares quoad ipsos milites, non inducunt hanc obligationem: Religiones etiam Clericorum ad alias spirituales actiones & studia, vel contemplationem extra Chorum ordinatæ, peculiare hoc onus non assumunt, donec Religiosi sacris Ordinibus initientur. In illis Religionibus, quæ ex vi sui status Chorum profitentur, & ad illum in communi obligantur, Novitii quidem sub tali lege non comprehenduntur, cum non sint Religiosi; alii tamen Professi, etiam non ordinati in sacris, exceptis tamen conversis, juxta communem persuasionem tenentur privatim quotidie Horas Canonicas dicere, si in Choro non recitaverint. Obligatio hæc videtur solummodo fundari in consuetudine præscripta.

§. 455. Qui privatim recitant, tenentur haud dubie præcepto illo *in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis* — *& quo rintu?*

eis dederit Deus, ſtudioſe celebrent pariter & devote 24.): poſſunt tamen propter aliquam fatigationem, vel aliam cauſam dicere ſedendo, vel deambulando: & quidem juxta ritum & formam a PIO V. reformatam, exceptis iis, quibus antiquioris Breviarii uſus fuit permiſſus. Dicuntur autem privatim etiam ea, quæ videntur ſolum convenire pluribus pſallentibus. E. G. *Jube Domne benedicere*, *Dominus vobiscum & cum Spiritu tuo &c.* 25.) Poſſunt etiam privatim recitantes imitari modum recitandi in Choro uſitatum, ſcilicet alternando verſus cum ſocio. Quoad tempus, non videtur gravis obligatio recitandi ſingulas Ho-

---

24.) C. Dolentes. 9. de Celebr. Miſs.

25.) Vid. tractatus PETRI DAMIANI, cui inſcribitur *Dominus Vobiscum*. Ritus quo Eccleſia diebus Dominicis & tempore Paſchali orationes perſolvi cupit, non de genibus ſed ſtando, juxta Conc. NICÆN. I. Can. 20. etiam a timoratis ſcrupuloſe obſervatur, dum privatim orant: certe S. PAULUS cum ſociis ipſo tempore, quod interlabitur a Paſcha ad Pentecoſten, in Tyri littore poſitis genibus oravit. Act. XXI. 5. prout animadvertit CHRISTOPH. JUSTELLUS in Codice Can. non. Eccl. univerſæ ad dict. can. 20.

Horas tempore illo, quod in Choro illis destinatum est, modo intra spatium unius diei naturalis totum Officium absolvatur 26.). Quamvis autem dies quoad Horas Canonicas computetur a media nocte in mediam noctem: nihilominus quoad Matutinum incipit dies a vesperis præcedentis diei 27.): cum enim solemnitas diei sequentis a Vesperis incipiat; ideo merito usus obtinuit, ut post publicum Officium Vesperarum, & Completorii, preces nocturnas inchoare privatim liceat 28.).

TITULUS XXI.

DE JEJUNIIS ET VIGILIIS

Conf. Decretal. lib. 3. Tit. 46.

§. 456.

ANTEQUAM de Festis diebus Ecclesiæ agamus, notanda quædam *Jejunium*

26.) MARCELLUS FRANCOLINUS de temp. hor. Canon. c. 25. n. 1.

27.) Ibid. n. 3. LAYMAN. Theol. Moral. lib. 4. tract. 1. c. 3. n. 7.

28.) S. THOMAS Quodlib. 5. art. 28. Plurimas quæstiones circa hanc materiam mo-

sunt de Jejuniis & Vigiliis, quibus nos ad religiosam Festorum celebrationem præparamus. *Jejunium naturale* est abstinentia ab omni prorsus cibo & potu, quale requiritur in iis, qui Eucharistiam suscipere volunt. *Jejunium Ecclesiasticum* est abstinentia a pluribus refectionibus, certoque ciborum genere secundum Ecclesiæ regulas. Nomine *Cibi* ea intelliguntur, quæ apta sunt ad alendum corpus, sive per modum cibi solidi sumantur, ut panis, caro, ova; sive per modum potus, ut lac, mel, jusculum. Sub nomine autem Potus ea veniunt, quæ referuntur non ad corpus alendum, sed ad juvandam cibi digestionem, vel ad restinguendam sitim, ut sunt vinum, aqua, cerevisia. Quæ ad morbos pellendos referuntur, nec cibi, nec potus, sed pharmaca nominantur.

Quadragesimale: §. 457. Exemplo Virorum sanctorum veteris testamenti 29.), multo ma-

---

movent Theologi Morales & qui de Regibus Regularium scribunt: præter hos videri meretur Oliverius Bonartius de Institutione Horarum Canonicarum.

29.) Non putabant Fideles primorum sæculorum

magis autem adhortatione Christi Domini & Apostolorum 30.) Ecclesia a primis sæculis observabat statæ Jejuniorum tempora; inter quæ celeberrimum semper fuit *Quadragesimale* ante festum Paschatis. Disputant nonnulli, an nomen hoc primis temporibus impositum fuerit a numero dierum, vel horarum 31.), vel alia ex ratione 32.), cum olim quoad

lorum, se ad observationes Judaicas teneri, ut ait ORIGENES homil. 10. in Levit. *Est libertas Christiano per omne tempus jejunandi, non observantiæ superstitione, sed virtute continentiæ.*

30.) De nullo præcepto Christi vel Apostolorum ad jejunium obligante constat. Unde PRUDENTIUS Cathemerinon hymn. VIII.

Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neque nos severus
Terror impellit, sua quemque cogit
Velle potestas.

31.) TERTULLIANUS jam Montani erroribus addictus, de Jejun. c. 2. dicit, Catholicos existimare, in Evangelio illos dies jejunio determinatos esse, in quibus ablatus est Sponsus, scilicet a meridie Parasceves, quo tempore Christus crucifixus est, usque ad Ejusdem Resurrectionem, quod tempus complectitur quadraginta horas.

32.) Aliqui putant, jejunium hoc inchoatum esse quadragesimo die ante Pascha, quamvis non per omnes quadraginta dies jejunium fuerit servatum.

durationem hujus jejunii varius diverſarum Eccleſiarum fuerit uſus & obſervantia ; *quidam namque unum diem ſe jejunare oportere exiſtimant : alii duos, non pauci plures, multi quadraginta* 33.). *Unde*, ait SOCRATES 34.), *non mediocris me capit admiratio, quod ratione iſti, licet de numero dierum diſſentiant, omnes eodem nomine Quadrageſimam appellent.* Paſſim erat receptum jejunium ſex hebdomadarum ante Paſcha : his Romana Eccleſia, ob demptas Dominicas, addidit diem Cinerum, & ſequentes tres dies, ut compleretur numerus quadraginta dierum : quando id contigerit, incertum eſt 35.). Maxima tamen ſolemnitate, & ſeveritate obſervata fuit *Hebdomas* proxima ante Paſcha, quæ *Major* dicitur : multi enim ad vulgarem jejunandi morem fecerunt aliquas acceſſiones, quas Græci ὑπερθεσεις, Latini *ſuperpoſitiones* vocabant

33.) IRENÆUS Epiſt. ad Victorem apud EUSEBIUM Hiſt. Eccl. lib. V. c. 24.
34.) Hiſt. Eccl. lib. V. c. 22. Similia habet SOZOMENUS lib. VII. c. 19. CASSIANUS Collat. 21. c. 24. 25. 30.
35.) Vid. AZOR Inſtit. Moral. lib. VII. c. 12. q. 2. BENEDICTUS XIV. de Synodo Diœceſ. lib. VII. c. 54. n. 5.

bant 36.). Posterioribus temporibus plures per annum Quadragesimæ fuerunt servatæ 37.).

§. 458. Præter Jejunium Quadragesimale, observabatur solertissime triduanum Jejunium *quatuor temporum*, scilicet primi, quarti, septimi & decimi mensis; sive jejunium vernum, æstivum, autumnale & hyemale, observata mense Martio, Junio, Septembri & Decembri 38.). Hæc quatuor jejuniorum tempora jam prius erant usitata, antequam introductus fuerit mos, Ordinationes iis temporibus celebrandi 39.). *Quatuor Temporum:*

36.) Inter has superpositiones numeratur *Xerophagia*, jejunium arido victu, hoc est, quando panis duntaxat cum sale & aqua sub vesperam adhibetur. Epiphanius Expos. fidei, quæ habetur in fine Operis contra Hæreses.

37.) Capitular. Reg. Francor. lib. VI. c. 187.

38.) De Jejunio *verno* seu Quadragesimæ S. Leo I. Papa habet Sermones XII. De Jejunio *æstivo* seu Pentecostes sermones IV. De Jejunio *autumnali* seu septimi mensis sermones IX. De Jejunio *hyemali* seu decimi Mensis sermones VIII.

39.) De Ordinationibus cum jejunio quatuor temporum conjungendis mentionem facit Gelasius Pontifex Epist. 6. ad Episcopos

Et quidem Jejunium Decembris, sive mensis decimi olim celebrabatur a festo S. Martini usque ad Natalem Christi, ter per singulas hebdomades, scilicet diebus Lunæ, Mercurii & Veneris 40.): demum alicubi reductum ad ultimam hebdomadem ante Natalem Domini 41.).

Hebdomadale:

§. 459. Observabantur in Hispania Jejunia *menstrua* 42): consuetudine autem magis universali per totam Ecclesiam Jejunia *hebdomadalia*, die Mercurii & Veneris, dicta etiam *Semijejunia*, vel *Jejunia Stationum*, continuata solummodo usque ad horam nonam, exceptis quinquaginta Pentecostes diebus 43.). Unde TERTUL-

---

scopos Lucaniæ. item Capitular. Reg. Franc. lib. VI. c. 186. Vid. Hierarch. Eccles. Tit. VII. §. 82. n. 19.

40.) Conc. MATISCONENSE I. c. 9. Singulariter aliqua de Monachis disponit Conc. TURONENSE II. c. 17.

41.) Conc. SALEGUNSTAD. c. 2. & OXON. anno 1222. c. 8.

42.) Ex decreto Concilii ELIBERITANI c. 23.

43.) ORIGENES homil. 10. in Levitic. VICTORINUS de fabrica mundi apud CAVE Histor. Liter. tom. 1. ad ann. 290. CLEMENS

TULLIANUS 44.) distinguit tria abstinentiæ genera, scilicet *Jejunationum*, *Xerophagiarum*, & *Stationum*, quæ vocat officia *Recusati*, vel *Reciſi*, vel *Retardati* pabuli: item disciplinam gulæ frænos induentem per *Nullas* interdum, vel *Seras*, vel *Aridas* escas. Jejunium feriæ quartæ in Sabbatum translatum esse videtur in Ecclesiis Occidentalibus (in Ecclesiis Orientalibus Sabbatum fuit semper festum, in eoque Jejunium interdictum excepto Sabbato Sancto ante Pascha) forte jam tempore Concilii ELIBERITANI 45.), & demum ita temperatum, ut sola abstinentia a carnibus servetur.

MENS Alexandr. Stromat. lib. VII. c. 7. EPIPHANIUS expos. fidei. Horum dierum jejunium religiose observasse THEODOSIUM Juniorem, testis est SOCRATES Hist. Eccl. lib. VII. c. 22.

44.) De Jejun. c. 13.

45.) Can. 26. Hoc Canone putant aliqui cum NATALE ALEXANDRO Dissert. 4. ad Sæculum II. art. 6. Jejunium Sabbatinum recipi: alii cum CHRISTIANO LUPO ad Can. 55. TRULL. & ad Can. 8. Conc. V. ROMANI sub GREGORIO VII. credunt illud respui. Certe Romæ fuerat observatum Jejunium Sabbati sæculo IV. *c.* 11. *dist.* 12.

Rogationum.

§. 460. Jejunium novum sub nomine Litaniarum, sive Rogationum invexit in Gallia MAMERCUS Episcopus Viennensis per tres dies, festum Ascensionis Domini antecedentes 46.). Hæ *triduanæ Rogationes Græcis ignotæ sunt, nec ulla habent stata jejunia inter Pascha & Pentecosten* 47.). Unde etiam Hispani celebrabant olim has Litanias post Pentecosten, & aliam insuper cum jejunio Kalendis Novembris, qui dies postea omnium Sanctorum festivitas evasit 48.). Alias Litanias ejusdem Nationis Concilia instituerunt Idibus Decembris 49.): imo singulis mensibus celebrari voluerunt 50.).

Hodie servatur Jejunium,

§. 461. Hæc jejunia servabantur in Ecclesia primæva ex spontanea pietate, & studio continentiæ ac pœni-

---

46.) SIDONIUS APOLLINARIS lib. V. epist. 14. & lib. VII. epist. 1. ibique Joan. SAVARO in Commentar.

47.) GRETSERUS in Codinum lib. 3. c. 9. LEO ALLATIUS de Dominicis & Hebdomad. Græcor. §. 23.

48.) Concil. GERUNDENSE c. 2. & 3.

49.) Conc. TOLETANUM V. c. 1. & VI. Can. 2.

50.) Conc. TOLETAN. XVII. c. 6. anno 694.

pœnitentiæ 51.): demum prisca libertas accedente longa consuetudine in necessitatem præcepti Ecclesiastici conversa est. Hodie igitur in nostris regionibus Fideles jejunare jubentur a feria quarta Cinerum usque ad Pascha, exceptis diebus Dominicis; in Vigilia Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, S. Joannis Baptistæ 52.), S. Laurentii, Festivitatis omnium Sanctorum, & Apostolorum 53.), ex-

51.) Discrimen inter *Montanistas*, quibus favebat TERTULLIANUS, & *Catholicos* quoad jejunia consistebat in eo, quod illi jejunia quædam ex nova Spiritus Sancti revelatione & autoritate Paracleti in Montano residentis, sub præcepto Divino imponere Fidelibus auderent: hi autem tale præceptum inficiarentur, & Montani insaniam damnarent.

52.) Si festum Corporis Christi incidat in Vigiliam S. Joannis Baptistæ, jejunium fit pridie festi Corporis Christi, ex declaratione URBANI VIII. 1638. MERATI ad Gavantum in Indice Decretorum ad finem tom. 1. n. 602.

53.) Si Vigilia S. Mathiæ occurrat feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ, jejunandum est illo die juxta decretum S. Congregationis anno 1694. die 23. Januar. MERATI ad Gavant in Indice Decre-

ceptis Vigiliis SS. Philippi & Jacobi, ac Joannis Evangeliſtæ: item in quatuor temporibus feria quarta, ſexta & Sabbato. Si feſtum, in cujus Vigilia jejunatur, feria ſecunda celebrari contingat, Sabbato præcedenti jejunandum eſt 54.).

& abſtinentia a carnibus, nonnunquam ex Præcepto;

§. 462. Abſtinentia a carnibus præcipitur diebus Dominicis per Quadrageſimam, item feria ſexta & Sabbato per totum annum, niſi quando feſtum Nativitatis Chriſti incidit in utramvis horum dierum 55.). Varia tamen circa abſtinentiam Sabbati in diverſis Provinciis eſt conſuetudo, quæ ubique ſervanda eſt, utpote nulli Eccleſiæ præcepto contra-

ria,

---

cretorum n. 508. In quibusdam tamen Diœceſibus ex antiqua conſuetudine antic ipatur hoc jejunium. Vid. La Croix lib. 3. part. 2. n. 1273.

54.) C. 2. de obſerv. jejun.

55.) C. fin. de obſervat. jejun. In hac decretali ſola mentio fit feriæ ſextæ, ſi in eam incidat feſtum Nativitatis Dominicæ: exinde argumentamur ad diem Sabbati, cum abſtinentia feriæ ſextæ antiquior ſit, ſtrictiusque ſervanda: præſertim cum jam antea C. 31. diſt. 5. de Conſecr. permiſſus fuerit eſus carnium Sabbato, *majori feſtivitate interveniente.*

nia, nullo canone reprobata; nam postquam jejunium Sabbatinum servari desiit, non habemus præcisum præceptum antiquum Ecclesiæ de abstinentia a carnibus in Sabbato observanda 56.). Unde Hispani ex generali consuetudine in Sabbato nec piscibus, nec omnibus animalium partibus, sed tamen intestinis visceribus, pedibus &c. solent vesci, quæ consuetudo servatur etiam in Insulis Philippinis 57.): in quibusdam autem Galliarum Diœcesibus receptus est mos, comedendi carnes diebus Sabbati, inter solemnitatem Nativitatis Domini, & Festum Purificationis B. Virginis intercedentibus 58.). Tribus diebus Rogationum varia est Diœcesium disciplina.

§. 463.

56.) Gregorius VII. in Concilio Romano ann. 1078. can. 7. relatus in c. 31. dist. 5. de Consecr. non præcipit, sed *salubriter admonet.* Contineri autem hoc Canone *præceptum*, censet Gibert Corp. Jur. Can. tom. 2. pag. 399.

57.) Petrus Murillo Curs. Jur. Can. lib. 3. tit. 46. n. 426.

58.) Benedictus XIV. de Synod. Diœcef. lib. VII. c. 56. n. 8.

nonnunquam ex aliis rationibus.

§. 463. Præter dies ab Ecclesia designatos, potest quis ad jejunium, vel abstinentiam a carnibus teneri ex peculiari ordinatione Superiorum pro avertenda gravi calamitate, quo casu obligari etiam possunt adolescentes, qui jure communi ad jejunium non stringuntur, exemplo Ninivitarum, apud quos *homines & jumenta* quidquam gustare prohibebantur 59.): ex Voto peculiari: pro pœnitentia a Confessario imposita: vi Professionis Religiosæ: ad repellendas graves tentationes.

Præceptum Jejunii ad quid obliget?

§. 464. Porro Præceptum Jejunii Ecclesiastici tria includit I. unicam refectionem. II. Abstinentiam a carnibus. III. Tempus pro unica refectione præscriptum. Notio potissima Jejunii juxta communem omnium Gentium existimationem sita est in unica refectione, cujus hora primis Ecclesiæ sæculis fuit vespertina, id est, post solis occasum saltem tempore Quadragesimæ; deinde hora nona 60.) demum hora sexta, quæ

59.) Jonæ III. 7.

60.) D. Thomas 2. 2. q. 147. art. 7. S. Antoninus Summæ part. II. tit. 6. c. 2. §. 10. Alex. Alensis part. IV. q. 103. membr. 2.

quæ est meridiana, ita ut a media nocte, qua incipit dies naturalis, usque ad mediam noctem, qua dies finitur, unica sumatur plena refectio sub meridiem ejus diei: qui mos ad finem sæculi decimi quarti introductus, & hucusque ab Ecclesia toleratus est 61.). Inde secutus est ferotinæ collationis, seu refectiunculæ usus, de cujus quantitate Ecclesia hucusque nihil determinavit: regulæ tamen quorundam concedentes quartam solitæ Cœnæ partem, vel octo uncias, videntur nimis benignæ: attendenda etiam est cibi qualitas, cum collatiuncula hæc introducta præcipue sit ratione potus ad conciliandum somnum: unde nihil deberet sumi per modum veri cibi, sed solummodo ne potus noceat, nimirum panis, fructus, bellaria &c. Extra

61.) Ut tamen aliquod maneret vestigium ac monumentum veteris illius Disciplinæ, vespertinum Officium ante meridiem in Quadragesima celebratur, ut memores sint Christiani, olim refectionem in Quadragesima permissam non fuisse, antequam vespertinum Officium celebratum fuisset. Ita Henricus a S. Ignatio Ethica Amoris tom. 2. lib. II. c. I. n. 10.

tra tempus ordinariæ Cœnæ & collatiunculæ veſpertinæ, ſi quid habens rationem cibi ſumatur, violatur jejunium toties, quoties tale quid ſumitur, ſive id ſolidum, ſive liquatum ſit, uti *Chocolata*. Antiqua Eccleſiæ diſciplina etiam abſtinentiam a vino præceperat 62.) : quamvis hæc modo ſit relaxata; ſi quis tamen ſæpius de die vinum vel cereviſiam ſumeret ad pellendam famem & vacuitatem ſtomachi, peccaret eludendo finem legis, præſertim ſi ſemper aliquid cibi adderet, ne noceat hauſtus. Unde ſobrie intelligendum eſt effatum illud : *liquidum non frangit jejunium* 63.). A primordiis autem Ec-

---

62.) S. Fructuosus Martyr inter tormenta omnem potum reſpuebat die Jejunii ante horam veſpertinam, apud Prudentium Periſtephanon hymn. 6. *Quosdam de populo videt Sacerdos libandum ſibi poculum offerentes : jejunamus, ait, recuſat potum : nondum nona diem reſignat hora.*

63.) Natalis Alexander Theol. Dogmat. & Moral. Lib. IV. de Decalog. c. 5. art. 7. regul. 14. ſic concludit : *Ex his omnibus perſpicuum eſt, falſum eſſe, quod quis ignotum, ab Eccleſiæ doctrina & mente alienum vulgare illud Proverbium : Li-*

qui

Ecclesiæ Christiani semper in jejuniis suis & potissimum quadragesimalibus a carnibus abstinuerunt 64.). Quinam cibi sub nomine carnium intelligantur, habetur potissimum ex communi existimatione. Vetus Ecclesiæ institutum est, ut in Jejunio quadragesimali abstineatur a lacticiniis, caseo & ovis: denique qui a carne abstinet, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum convivia præparet: nam *piscium esus ita Christiano relinquitur, ut hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium* 65.). Extra quadragesimam in diebus jejunii lacticinia non prohibentur jure communi; sed quilibet debet sequi consuetudinem suæ patriæ. Universim debet attendi, ut obtineatur finis Jejunii, quod secundum D. THOMAM 66.) assumitur I. ad concupiscentias carnis reprimendas. II. Ut mens

---

quidum non frangit jejunium, Similia habet HENRICUS A S. IGNATIO Ethic. Amor. tom. 2. lib. II. c. 3.

64.) Contrarium non evincunt ea, quæ profert LAUNOIUS de veteri ciborum delectu. Oper. tom. 2. vol. 2.

65.) C. 6. dist. 4.

66.) 2. 2. q. 147. art. 1. C.

mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda. III. Ad satisfaciendum pro peccatis.

Quinam ab eo excusentur ?

§. 465. Causæ a jejunio excusantes sunt quatuor : *Impotentia*, *Labor*, *Pietas* & *Dispensatio*. Ratione *Impotentiæ* excusari censentur infirmi, valetudinarii, convalescentes, fæminæ prægnantes, recentes a partu, lactantes, adolescentes ante annum vigesimum primum ætatis expletum, *quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti* 67.). Deberent nihilominus adolescentes sani & vegeti assuefieri ad jejunium saltem per aliquos dies observandum, cum ex una parte tale jejunium sanitati non noceat ; ex altera parte valde utile sit ad refrænandos inordinatos appetitus 68.) : tenentur tamen abstinere ab esu carnium post expletum septennium. Senes autem non excusantur præcise ratione ætatis, cum in ipsis cesset necessitas augmenti, & prio-

67.) S. Thom. ibid. art. 4. ad 2.

68.) *Pueri sicut arbores novellæ, jejunio aqua irrigentur.* S. Basilius Homil. de Jejun.

prioris vitæ assuetudo levius faciat jejunium 69.) : frequenter tamen in senectute occurrunt causæ dispensationis, vel etiam Epiikiæ. *Labor* excusat illos, qui ex necessitate exercent artes vere laboriosas, nisi sint ita robusti, ut absque incommodo notabili jejunare possint 70.). *Pietas* eximit illos, qui opera misericordiæ, pietatis, religionis exercent, & nequeunt simul cum his operibus jejunare, sive ea exerceant ex officio & obedientia, sive libere & ex arbitrio, dummodo non in fraudem jejunii ea peragantur : sed potius differri nequeant, & simul sint majus bonum, quam jejunium, ob manifestam proximi indigentiam, quæ nostra charitate,

69.) *Senibus laborem affert non molestum vetus usus, & quasi familiaritas, quam cum eo habent: labores enim diuturna consuetudine exercitati, minus graves iis esse solent, qui se in illis exercuerunt.* S. Basilius loc. cit.

70.) *Omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* Hæc propositio est 30.ma inter damnatas ab Alexandro VII.

tate, pietate & religione sublevanda est.

Quomodo Dispensandum?

§. 466. *Dispensatio* justa a jejunio excusat. Quatenus Jejunii Lex humana est, dispensat in eo ex justa causa Romanus Pontifex in universa Ecclesia: Episcopus & Superiores Regulares cum suis subditis. Dispensatio autem non ultra se extendat, quam exigat causa dispensandi: unde si sufficiat secunda comestio, non dispensetur in ciborum qualitate: si carnium esus succurrat indigenti, non concedatur duplex refectio 71.). Cum autem agatur de duplici salute, corporis & animæ; ideo pro concedenda dispensatione utriusque Medici, tam corporalis quam spiritualis, judicium requiritur, & potior est Medicus animæ, cui proin ille, qui petit dispensationem, æquali sinceritate detegere debet infirmitates & morbos animæ, qua Medico corporis detegit morbos corporis 72.). Medicus

71.) Vid. Constitutiones Benedicti XIV. datæ 30. Maij. & 22. Augusti anno 1741. item Responsa ad Archiep. Compostell. 8. Julii 1744. item Const. 10. Junii 1745. tom. 1. Bullarii Const. 130.

72.) Elizalde de rect. doctr. morum. part.

cus igitur corporalis declarare potest, infirmum excusatum esse a jejunio, quando infirmitas vel incommodum grave, extraordinarium & manifestum est : si autem proxime immineat ea corporis molestia, quæ notabile detrimentum naturæ probabiliter inferet, potest Medicus attestationem dare Superiori, qui dispensare valet 73.). Similiter requiritur licentia Medici, seu Pastoris animæ, qui hac in re non utitur clave potestatis, sed principalius clave scientiæ; nec solum explorat Judicium Medici corporalis, ut ejus attestationi subscribat : sed potius exploratum habere debet statum animæ, ex quo si deprehendat, peccata ejus magnam

part. 2. lib. 6. quæst. 17. §. 11. sic ait : *Quod multi censent, se habita licentia utriusque Medici peccare non posse, falsissimum est : uterque Medicus peccare potest, & etiam qui sequitur.*

73.) Notandus est Can. 21. dist. 5. de Consecr. desumptus ex S. Ambrosio in psalm. 118. octonar. 22. v. *concupivi salutare &c. Contraria studiosis divinæ cognitionis præcepta sunt Medicinæ : a jejunio revocant : lucubrare non sinunt : ab omni intensione meditationis abducunt. Itaque qui se Medicis dederit, seipsum sibi abnegat.*

pœnitentiam poſtulare; eum arde-re totum in pravis concupiſcentiis, & in magno ſalutis periculo verſari, poſtponi corpus debet, & ejus Medicus; animæ autem Medico ſtandum, & jejunandum erit, donec corpus in ſervitutem redigatur, etiam cum aliquo valetudinis minuendæ periculo. Regulam æquitati conſonam INNOCENTIUS III. datBrachaренſi Epiſcopo 74.): *De illis, qui in Quadrageſima vel in aliis jejuniis ſolemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri: reſpondemus, quod cum non ſubjaceat legi neceſſitas, deſiderium infirmorum, cum urgens neceſſitas exigit, ſupportare potes & debes, ut majus in eis periculum evitetur.* Quando autem Epiſcopi noſtri rigorem Jejunii ob juſtas cauſas moderantur, alia ſolent imponere opera pietatis, quibus defectus jejunii compenſetur 75.).

§. 467.

74.) C. 2. de obſerv. Jejun.

75.) GEORGIUS Rothomagenſis Archiepiſcopus circa annum 1500. dum conſideraret, ſuam Diœceſin adeo olei penuria laborare, ut vix ſufficeret tempori quadrageſimali, hujus loco eis butyri uſum conceſſit, ea tamen conditione, ut ſinguli pen-

§. 467. Variæ possunt esse intentiones & motiva abstinendi a cibis quibusdam, vel a secunda refectione, juxta vulgatum versiculum: *Qua intentione jejunandum?*

Abstinet æger, egens, cupidus, gula, simia, virtus. 76.).

Ut igitur jejunium, de quo hic agimus, sit vere Christianum, optatumque fructum habeat, servari debet ex motivo supernaturalis virtutis, præsertim ex spiritu pœnitentiæ, adjunctis etiam comitibus, abstinentia a peccatis, oratione, eleemosyna, aliarumque virtutum exercitiis 77.), ad obtinendos eos fines, quos insinuant

---

penderent obolos sex Turonenses, ex qua collata pecunia extrui curavit turrim, quæ inde Butyri turris (la tour de Beurre) vulgo nuncupatur: in hac turri suspensa est campana, quæ totius Galliæ maxima esse censetur 40000. librarum. Ita FRANC. SWERTIUS in not. ad c. 20. MAGII de Tintinnab.

76.) Has intentiones explicat S. ANTONINUS 2. part. Summæ. tit. 6. c. 2. §. 8.

77.) *Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem* &c. &c. ISAIÆ LVIII. 4. Eandem doctrinam gravissimis verbis inculcant S. BASILIUS Homil. I. de Jejun. S. JOAN. CHRYSOSTOMUS Hom. 8. in Genes. S. LEO serm. 6. in Quadrages. S. BERNARDUS de Jejunio quadrages. serm. 3. 4. &c.

Orationes Ecclesiæ per tempus quadragesimale in Officio Divino recitari solitæ 78.) Unde etiam THEODOSIUS M. singulare mansuetudinis documentum editurus, criminalium quæstionum cognitiones fieri, & supplicia corporis sumi, quadragesimalis jejunii tempore prohibuit, quo scili-

---

78.) Præsta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Ut familia tua, quæ se affligendo carnem ab alimentis abstinet, sectando justitiam a culpa jejunet. Quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. Ut castigatio carnis assumpta, ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Ut sicut ab escis carnalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus. Ut quos jejunia votiva castigant, ipsis quoque devotio sancta lætificet; ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam saucietur medicinalis parsimoniæ studio reformetur. Ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam suppliciis deputemur æternis.

scilicet animarum absolutionem exspectarent tam subditi, quam ipsi Imperatores 79.), exceptis causis Latronum, in quorum quæstionibus nec venerabilis Paschæ dies excipiendus est, *cum facillime & in hoc summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur* 80.). Prohibitum quoque erat in quadragesima Martyrum Natalitia celebrare 81.), exceptis Sabbatis & Dominicis, qui dies erant festi in Oriente, & a jejunio exempti; multo minus licebat Natales privatorum cum solemnibus lætitiæ signis, aut Nuptias celebrare 82.): sed potius habebantur quotidiani conventus, & sermo-

79.) *Quadraginta diebus, qui, auspicio ceremoniarum, Paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.* L. 4. Cod. Theodos. de Quæstion. *Sacratis Quadragesimæ diebus nulla supplicia sint corporis, quibus absolutio exspectatur animarum.* L. 5. ibid.

80.) L. 10. C. Just. de Feriis. & L. 7. C. Theod. de Quæstion.

81.) Ea scilicet celebritate, quæ lætitiam afferat, & ut frequentes hominum conventus fiant, incitet, ut notat Balsamon ad Can. 51. Concilii Laodic.

82.) Can. 52. Conc. Laodic.

nes saltem in majoribus Ecclesiis 83.): frequentabantur synaxes &c.

Vigiliæ olim,

§. 468. Jejunia quædam ad eum etiam finem in Ecclesia susceptasunt, ut animi Fidelium ad imminens aliquod festum rite celebrandum præpararentur, adjunctis ex antiquissima Traditione nocturnis Vigiliis, ubi solebant Fideles noctem in Ecclesia in oratione & Divinis laudibus traducere, supplicationes instituère, cantare psalmos, audire lectionem librorum sacrorum: ut hac ratione ad majorem Mysterii, aut Sancti, cujus cultus est, venerationem inducerentur. In hunc sensum loquitur S. BERNARDUS 84.) : *Nec tutum omnino est celebrandas suscipere festivitates sacras, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo & digniores & capaciores inveniamur spiritualium gaudiorum.* Varia fuerunt Vigiliarum genera. Agebantur interdum Vigiliæ in extraordinariis supplicationibus, magna Ecclesiam premente necessitate fieri solitis, tum

83.) Tales sunt Sermones S. Chrysostomi in Genesin. item de Statuis ad Populum Antiochenum.

84.) Serm. in Vigilia S. Andreæ Apostoli.

tum a toto populo 85.); tum ab Episcopis coram Sanctuario per totam

85.) Ejusmodi Vigilias Mediolani habitas, scribit S. AUGUSTINUS lib. 9. Confes. c. 7. eo tempore, quo JUSTINA Imperatrix Ariana persequebatur S. AMBROSIUM: *excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, solicitudinis & vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat... tunc hymni & psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est; & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.* S. CHRYSOSTOMUS Homil. 40. de SS. Juventino & Maximo dicit, sub Juliano Apostata Fideles, contempta præsenti vita frequenter inclusos Martyres visitando, sacras apud eos *vigilias continuis psalmis perfeciisse*, & cum clausa esset Ecclesia, carcerem mutatum esse in Ecclesiam. Nequaquam laudatur supplicatio Cleri & populi in Hibernia, ubi ex voluntate Procerum, approbante etiam S. FECHINO Abbate tempore famis orabatur, ut Deus immissa pestilentia tolleret multitudinem vulgi, cujus numerositas erat occasio famis. Deus ita audiebat preces, ut S. FECHINUS & Primores regionis fuerint mortui. Act. SS. 13. Martii in vita S. Geraldi §. 2. n. 15. seq.

noctem in faciem proſtratis 86.). Aliæ Vigiliæ præmittebantur ſolemnioribus per annum feſtis 87.). Aliæ celebrabantur cum jejunio quatuor temporum 88.). Aliæ ſingulis diebus Sabbati & Dominicis in Eccleſia Græca habebantur Vigiliæ 89.). Quæ a conſueto Officio antelucano in hoc tantum differebant, quod hæ Vigiliæ longius continerent Officium, ad quod perſolvendum populus a medio noctis usque ad lucem perſeverabat in Eccleſia, cum viciſſim ordina-

---

86.) De ALEXANDRO CPtano contra Arium Deum deprecante vid. SOCRATES lib. 1. c. 37. SOZOM. lib. 2. c. 28. THEODORETUS lib. 1. c. 14.

87.) LACTANTIUS Divin. Inſtit. lib. 7. c. 19. de pervigilio Paſchatis dicit: *hæc ea nox, quæ a nobis propter adventum Regis ac Dei noſtri pervigilio celebratur.* SIDONIUS APOLLINARIS deſcribit, quo ritu celebratum ſit pervigilium S. Juſti Epiſcopi Lugdunenſis lib. 5. ep. 17.

88.) S. LEO plures ſermones de jejunio quatuor temporum claudit hac formula: *Quarta igitur & ſexta feria jejunemus; Sabbatho autem apud Beatum Petrum Apoſtolum pariter vigilemus &c.*

89.) SOCRATES lib. 6. c. 8. narrat æmulationem & tumultum Arianorum cum Catholicis, cantatis nocturnis hymnis.

dinarium Officium antelucanum inciperet circa gallicinium tempore matutino. Quacunque ratione demum celebratæ fuerint Vigiliæ, id certissimum est, quod frequens fuerit earum usus tam in Ecclesia Græca 90.); quam in Latina 91.). Quod autem posterioribus sæculis destitum sit ab ejusmodi Vigiliis, id desuetudini potius, ac populorum negligentiæ tribuendum, quam legitimæ Conciliorum vel Pontificum, male a quibusdam allegatæ autoritati 92.):

dum

90.) S. ATHANASIUS tempore conventus nocturni, insidiantium manus effugit. SOZOM. lib. 3. c. 5.

91.) TERTULLIANUS ad uxor. lib. 2. c. 4. S. HIERONYMUS Comment. in Daniel. IV. 13. item Epist. VII. ad Lætam. SIDONIUS APOLLINARIS lib. 1. epist. 2. LACTANTIUS, AUGUSTINUS locis citatis. ex quo ultimo BARONIUS in notis ad Martyrolog. die 5. Januarii demonstrat, quam mendaciter ineptus Autor sermonum ad Fratres in eremo, qui in recentiore editione Parisiensi S. AUGUSTINI in Appendicem Tomi Sexti rejecti sunt, serm. 25. dicat, S. AMBROSIUM ad persuasionem D. MONICÆ usum vigiliarum abrogasse Mediolani.

92.) Concil. ELIBERIT. c. 35. solis fæminis

dum viciſſim introducuntur nocturni conventus utriusque ſexus profaniſſimi ſimul & periculoſiſſimi.

& nunc uſitatæ.

§. 469. Hodie ſervantur hæ nocturnæ Vigiliæ per univerſam Eccleſiam in nocte Nativitatis Domini: & in quibusdam inſignioribus Eccleſiis in pervigilio aliorum feſtorum 93.). Cæteris vero Vigiliis abolitis, remanſit nihilominus vocis illius uſus ad ſignificandum jejunium 94.), quod ſive

---

nis iſtarum Vigiliarum obſervationem prohibuit, quæ tamen alibi admittebantur cum debita cautela. Unde S. HIERONYMUS Epiſt. 7. C. 5. ad Lætam monet, ut in ejusmodi pernoctationibus filia ne transverſum quidem unguem a matre diſcedat. Concilium ANTISSIODORENSE Can. 5. ſolummodo prohibet Vigilias quasdam anili ſuperſtitione in privatis ædibus inductas.

93.) Recenſet tales Eccleſias in Gallia CAROLUS GUYET Heortologiæ ſive de Feſtis propriis lib. 1. c. 17. q. 1.

94.) HOSPINIANUS de Orig. Feſtorum cap. 7. male dicit, inſtituta eſſe jejunia loco Vigiliarum pridie feſti celebrioris; nam utrumque ſimul ab initio æque ſervatum eſſe conſtat. C. 9. diſt. 76. quando autem c. 3. ibid. dicitur, Vigiliam ſimul & jejunium celebrari non debere, ſenſus eſt, quod jejunium quatuor temporum fieri non

sive jure, sive generali consuetudine servatur pridie Festorum solemniorum 95.).

TITULUS XXII.

DE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS.

Conf. Decretal. Lib. II. tit. 9. Lib. III. tit. 34 & 45. Ex Sext. Lib. III. tit. 22. Clement. tit. 16. Extravag. Com. tit. 12.

§. 470.

QUAMVIS Immensitas & Æternitas Dei cultum religiosum in omni loco, omnique tempore exigat: nihilominus sicut certa loca, scilicet Templa, cultui Divino singulariter sunt destinata (Sect. I. §. 4.), ita etiam constituit Ecclesia statos quosdam dies, in quibus Fideles illi, qui ex gravi socordia, rerum Divinarum dulcedine negotia & occupationes cæteras

Certi dies Cultui Divino destinati fuerunt

non debeat in Vigilia Pentecostes, prout etiam hodie istud jejunium celebratur post Pentecosten.

95.) Vid. c. 1. & 2. de observ. Jejun. item supra §. 461. De Vigilia Pentecostes erudite disserit GUYET. loc. cit. quæst. 6.

cæteras condire nesciunt 96.), se Deo, Christianæ Religionis mysteriis, virtutum & immortalis vitæ studio totos dedant. Verum experientia docet, quam longe ab intentione Ecclesiæ & obligatione sua aberrent plurimi, qui perfunctoria per modicam horæ partem præsentia in Templo & cessatione a quibusdam operibus satisfeciisse se credunt Præcepto celebrandi dies Festos, quos vel otio & desidia transigunt, vel potius scelleratis actibus, & profanissimis negotiis totos impendunt. Ex crassa ignoratione hoc procedere nobis persuasum est, in qua depellenda tam Pastores animarum, quam Laici Magistratus omnem operam ponere obligantur. Nos pauca de hoc amplissimo argumento tradimus, allegatis tamen iis Autoribus & libris, ex quibus plenior notitia ad propriam devotio-

96.) De Clericis meliorem opinionem fovet Ecclesia: unde singulos hebdomadæ dies *feriarum nomine distinctos appellari voluit, quo significaretur, quotidie Clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere.* In Lection. pro festo S. Silvestri ult. Decembr.

votionem, & aliorum instructionem hauriri possit.

§. 471. Jam condito Mundo Deus *benedixit diei septimo, & sanctificavit illum; quia in ipso cessaverat ab omni opere suo* 97.). Ad recolendum hoc beneficium Creationis Mundi, summo rigore exigebatur in veteri testamento feriatio hoc die *Sabbati*, quo nomine significatur *Requies*, seu *Cessatio* 98.). Huic adjiciebantur variis temporibus plures alii dies Festi, pro recolenda memoria certorum beneficiorum a Deo Judæis collatorum 99.). *a Mundo condito:*

§. 472.

97.) Genes. II. 3. An ex sententia Hebræorum universum genus humanum ad celebrandum Sabbatum fuerit adstrictum, non tantum præcepto negativo de vitanda Idololatria & blasphemia; sed etiam affirmativo per preces, adorationes, gratiarum actiones, oblationes ac vota, late discutit SELDENUS de Jure natur. & gent. juxta discipl. Ebræor. lib. 3.

98.) *Memento ut diem Sabbati sanctifices... non facies omne opus in eo.* Exod. XX. 8.10.

99.) Tale erat Festum Paschatis. Exod. XII. 3. seqq. Pentecostes. Levit. XXIII. 15. seq. Deuteron. XVI. 9. seq. Festum Tubarum mense septimo prima die. Levit. XXIII. 24. Dies Expiationum. Ibid. 27. seq. Festum Tabernaculorum. Ibid. 34. Dedicatio

Ecclesia determinat tempus & Ritum

§. 472. Præcepta de his Festis Synagogæ data, numerantur inter cæremonialia illius gentis, quæ nos non attingunt, ita ut nullo die abstinendum nobis esset ab operibus servilibus, nisi Ecclesia id ipsum inter nos firmaret. Imo determinatio diei septimæ non videbatur Apostolis adeo necessaria in nova Lege, ut Sabbato non posset substitui dies Solis, seu primus hebdomadæ, quem *Dominicum* vocamus ob plura mysteria in eodem a Servatore nostro patrata 100.). Aliquo nempe tempore, Supremo Numini cultus etiam exterior offerendus est: & hoc solum inter præcepta moralia & naturalia recen-

catio Altaris 1. Macchab. IV. 59. Festum Sortium. Esther. IX. 21. 22.

100.) Mysteria diei Dominicæ recenset SUAREZ tom. 1. de Relig. tract. 2. Lib. 2. de Festis. c. 4. Sabbatum non esse abrogatum, sed a Christo & Christianis spiritualiter ac mystice, proin longe perfectius celebratum, ob gaudium internum & animi Deum unice spectantis quietem, dicunt SS. Patres. S. GREGOR. M. lib. II. epist. 3. *quod de Sabbato scriptum est, spiritaliter accepimus, spiritaliter tenemus.* vid. THOMASSIN. de dier. fest. celebr. pag. 43.

censetur, ac proprie ad Decalogum pertinet, tanquam præceptum affirmativum, quo tempus aliquod *sanctificari* jubetur, quamvis Scriptura aperte non tradat, quibus positivis actibus Judæi cultum Deo exhibere in Sabbato debuerint. Dies itaque & Ritus, quo id præstandum, ad Præcepta Ecclesiastica referuntur: quos autem dies Ecclesia Cultui Divino piis ritibus exhibendo destinat, vocari solent dies *Festi*, *Feriati*, *Feriæ*, quæ communibus diebus opponuntur 1.).

per ferias.

§. 473. Feriæ aliæ sunt *Sacræ*, Cultui Divino destinatæ; aliæ *Profanæ* ex politicis rationibus per Magistratum indictæ, de quibus alibi recurret mentio. Inter sacras vocantur alia Festa *Chori*, alia Festa *Fori*. Priora solummodo a Clero in Ecclesiis Divino Officio & solemniore Liturgia: hæc autem etiam a populo solemnius celebrantur: suntque vel *Communia* universæ Ecclesiæ; vel *Propria* certæ Diœcesi aut loco.

1.) Convenienter institui dies festos, nec eos argui posse superstitionis Judaicæ, contra varios hæreticos, ostendit BELLARMINUS lib. 3. de Cultu Sanctorum c. 10. SUAREZ cit. lib. 2. de festis c. 2.

Inter has Cultum præcipuum

§. 474. A primis Ecclesiæ sæculis festi quidam dies celebrabantur, præsertim *Dies Dominicus*, de cujus cultu Apostoli mentem Divini Præceptoris sui in terris adhuc degentis intellexisse non incongrue dicuntur. Apostolorum Legem, & Ecclesiæ morem 2.) Edictis suis firmavit CONSTANTINUS M. & sequentes Imperatores 3.) Censuerunt semper Fideles, hæc cujusvis hebdomadæ solemnia instar præcipuarum celebritatum peragenda esse, nec facile impedienda per Sanctorum festivitates, in Dominicum diem incidentes 4.).

§. 475.

2.) Quam pie diem Dominicum transegerint primi Christiani, refert JUSTINUS *Martyr* in altera Apolog. circa fin. Quam fortiter ejus diei cultum professi fuerint, narrat BARONIUS Annal. Eccl. ad ann. 303. n. 46. seq.

3.) Vid. GOTHOFREDUS ad Cod. THEODOS. de Feriis. *Etiam ad ipsos gentium Præfectos Imperatoris nutu & voluntate Edictum perlatum est, ut illi perinde Dominicum diem venerarentur.* EUSEB. de Vit. Constant. lib. 4. c. 23.

4.) Concilium MOGUNTINUM anno 15[illegible] c. 61. sic statuit: *sed & Sanctorum celebritates, in diem Dominicam incidentes, [illegible] semu*

§. 475. In multis Ecclesiis Orientis, primis sæculis præter diem Dominicum, etiam Sabbatum Christianis erat festivum: & propterea jejunium eo die, excepto solo Sabbato ante Pascha, interdictum 5.), quia Judæis recens ad Christum conversis, & reverentiæ Legis Mosaicæ videbatur aliquid indulgendum. Synodus LAODICENA Sæculo IV. 6.) statuit quidem, *quod non oportet Christianos judaizare, & in Sabbato otiari, sed eo die operari.* Nihilominus aliquam ejus diei celebritatem permittit & supponit, dum vult 7.), *quod non oportet in quadragesima Martyrum Natalitia celebrare, sed Sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis & Dominicis.* Nam solis Sabbatis & Dominicis diebus perfectum Sacrificium *habent Dies Dominici,*

semus submovendas, & in feriam aliquam præcedentem vel sequentem transferendas, quo Sanctorum omnium Domino sua conservetur solemnitas: exceptis B. Mariæ, Apostolorum, & aliis summis festivitatibus.

5.) *Si quis Clericus Dominicum diem, aut Sabbatum, uno solo dempto, jejunare deprehendatur, deponitor: sin Laicus, a communione ejicitor.* Can. Apostol. 65.

6.) Anno 372. Can. 29.

7.) Can. 51.

fiebat tempore Quadrageſimæ; reliquis diebus per prius ſanctificata peragebatur Divinum myſterium, ut alibi dictum. Etiam Autor Apoſtolicarum Conſtitutionum monet Fideles, *ut potiſſimum die Sabbati & die Dominico ſtudioſius Templum Domini adeant:* commendatque magnificis verbis diem Sabbati, Dominicum tamen diem præſtantiorem dicit 8.).

præſertim quidam celebriores

§. 476. Quamvis omnes dies Dominici ſingulari cultu a Fidelibus ſemper celebrati fuerint, nihilominus ſanctius peragendos cenſet Eccleſia dies Dominicos in *Adventu* & *Quadrageſima*: illi viam ſternunt ad Natalem Servatoris Diem, iſti per pœnitentiam præparant animos ad gaudia Paſchalia. Ex monito S. CAROLI BORROMEI 9.) Parochus Fideles co-

8.) Lib. II. c. 59. & Lib. VII. c. 37. juxta interpretationem Turriani.

9.) Synod. Diœceſ. IV. Decret. 10. item Decret. Provinc. MEDIOLAN. lib. III. t. 26. c. 18. & alibi. Singularum Dominicarum ceremonias apud Græcos ſervatas ſolitas recenſet LEO ALLATIUS Diſſert. de Dominic. & Hebdomad. Ritus Latinos deſcribunt rerum Liturgicarum Scriptores alibi citati.

cohortetur, ut juxta antiquum statutum SILVERII Papæ, qui sæpius non communicant, singulis saltem Dominicis diebus in Quadragesima & Adventu Corpus Domini sumant. Longe majorem autem venerationem exigit Dominica Paschatis, ubi JEsu Christi Resurrectionem recolimus, cui tanquam solidissimæ basi innititur Christiana Religio. Secundo post Christum Natum sæculo fervebant contentiones de die, quo Mysterium hoc celebrari deberet 10.). Orbis fere totus sequebatur VICTORIS Pontificis sententiam: Ephesinam Ecclesiam cum paucis aliis adhuc repugnantem autoritas Concilii NICÆNI pervicit, ita ut universa Ecclesia unanimiter Pascha celebraret die Dominica, cum quibusdam diebus præcedentibus & subsequentibus 11.). Elapsis quinquaginta diebus

10.) Præter innumeros alios de hac Controversia videri potest SANDERUS de Visib. Monarch. Eccles. lib. 7. a n. 22. pag. 270. seqq.

11.) Diebus septem præcedentibus, & septem sequentibus judicialem strepitum conquiescere jubet VALENTINIANUS Imp.

non minore solemnitate celebratur Festum Pentecostes per aliquot dies 12.), quo per Spiritum Sanctum suprema manus Baptismo in Paschate collato imponitur.

& SS. Trinitati specialiter deputatus.

§. 477. Omnes dies Dominici vocari possunt SS. Trinitatis solemnia: *imo singulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, & cætera similia dicuntur ad laudem pertinentia Trinitatis* 13.). Unde Romana Ecclesia tempore ALEXANDRI III. 14.) nondum

---

Imp. L. 2. C. Theod. de Feriis. RECESWINTHUS Rex in Legibus Wisigothorum lib. 2. tit. 1. l. 11. GREGORIUS IX. C. fin. de feriis.

12.) Concilium INGELHEIMENSE anno 948. c. 6. diei Dominicæ feriam secundam, tertiam & quartam adjicit. GREGORIUS IX. in cit. c. fin. solummodo duos sequentes dies adjungit, quod hodierna praxis observat, exceptis multis agricolis, qui etiam feriam quartam habent festivam, & supplicationes instituunt ad avertendam grandinem.

13.) C. 2. de feriis.

14.) Citatum c. 2. adscribitur in Corpore Juris ALEXANDRO III. videtur tamen potius tribuendum ALEXANDRO II. cum illam doctrinam sub nomine Alexandri Papæ referat MICROLOGUS de Eccles. obser-

dum peculiariter celebraverat festivitatem *SS. Trinitatis.* Orationes quidem & Præfatio de hoc Mysterio reperiuntur in Libro Sacramentorum S. Gregorii : ille tamen aliis Dominicis diebus usurpari poterant 15.). RUPERTUS Abbas Tuitiensis 16.) sæculo XII. loquitur de hoc Festo tanquam passim in Ecclesia recepto 17.). Demum ab Apostolica Sede sub JOANNE XXII. qui obiit anno 1334.

vat. c. 60. cujus libelli Autor vixit circa annum 1080. tempore GREGORII VII. ut patet ex ejusdem Cap. 14. ALEXANDER autem III. vix non integro post sæculo ad thronum Pontificium evectus fuit, scilicet anno 1159.

15.) MICROLOGUS loc. cit. narrat, ALCUINUM Caroli M. Præceptorem, rogatu S. BONIFACII Missales orationes de SS. Trinitate composuisse, in omni Dominica recitandas.

16.) De Divin. Offic. lib. II. c. 1.

17.) Huic diversitati Ecclesiarum adscribunt aliqui, quod octava Pentecostes celebrata alicubi fuerit, secus alibi ob festum scilicet SS. Trinitatis. Unde C. 4. de Feriis festum Pentecostes dicitur carere octavis. Verum aliæ fuerunt hujus ritus rationes, quas fuse prosequitur BERNO AUGIENSIS in Libro de Quibusd. reb. ad Missam spectant. cap. 3.

fuſceptum eſt hoc feſtum, celebrandum prima poſt Pentecoſten Dominica 18.). Hæc de ſolemnitatibus Dominicarum ſufficiant 19.).

Feſta ſolemniſſima. §. 478. Solemniſſima feſta extra Dies Dominicos recenſet S. AUGUSTINUS 20.) *Aſcenſionem* & *Nativitatem* Chriſti, tanquam ex traditione Apoſtolica celebrandam. Alia Feſta Chri-

---

18.) EMAN. GONZALEZ ad lib. 2. Decretal. tit. 9. de feriis c. 2. n. 8. PAGI in Breviario Pontif. Rom. tom. 4. in vita Joannis XXII. §. 89. BENEDICTUS XIV. de Feſtis Chriſti §. 530. item de Canoniz. Sanct. lib. 4. p. 2. c. 31. n. 2. Cur autem Eccleſia Feſtum SS. Trinitatis minore ſolemnitate, quam alia quædam feſta celebret, rationem indagat THEOPH. RAYNAUD. Heteroel. ſpirit. part. 1. ſect. 3. punct. 3. n. 19. Operum tom. 15. pag. 268.

19.) Quidam conabatur annis ſingulis inducere feſtum ſpeciale, Divino Patri ſacrum, celebrandum Dominica quinta poſt Paſcha. Huic conſilio ſe opponit THEOPH. RAYNAUD. cit. loc. ſect. 1. punct. 2. pag. 24. ſeqq. BENEDICTUS XIV. loc. cit. n. 3. ſeq.

20.) Epiſt. 54. & 55. alias 118. & 119. ad Januar. ubi etiam rationem reddit, cur dies Natalis Domini affixus ſit certo diei menſis Decembris, ſecus ac dies Paſchatis.

Christi Domini variis temporibus celebrari cœperunt. Jam ante finem sæculi IV. solemnis Festivitas *Circumcisionis* Christi, quæ simul est Octava Nativitatis, oppositа fuit superstitioni Ethnicorum Calendis Januarii exerceri solitæ 21.). Sub *Epiphaniæ* nomine intellexerunt quidem SS. Patres varios modos, quibus Deus Filium suum mundo manifestavit, inter quos præcipuo loco venit Adoratio Magorum 22.): fuitque hoc festum adeo celebre, ut JULIANUS Apostata, qui clam Idolis thus adolebat, non ausus sit se hujus diei Officio subducere; dum Viennæ in Gallia agebat Anno 361. 23.): quem diem,

21.) D. MAXIMUS Homil. in Circumcis. Dom. S. PETRUS *Chrysologus* serm. 155. HONORATUS A S. MARIA Animadvers. in Art. Critic. tom. 2. lib. 3. Diss. 3. art. 1. & 2.

22.) Sub hac significatione habemus sermones antiquorum Patrum PETRI *Chrysologi* serm. 156. & seqq. S. LEONIS sermones octo. S. MAXIMI Homilias plures.

23.) AMMIANUS MARCELLINUS Autor gentilis lib. XXI. ita scribit: *Feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphaniam adfectant, progressus in eorum Ecclesiam, solenniter Numine orato discessit.*

quo Græci etiam Baptismum Christi recolebant, ipsum cœlum insignibus miraculis illustravit 24.).

Christi, §. 479. Alia mysteria Christi ita celebrantur, ut simul veneremur B. Virginem Mariam, cujus opera uti voluit Deus ad ea perficienda, & quorum intuitu eandem SS. Virginem singularibus donis cumulavit. Talis est *Annuntiatio* B. Virginis 25.), affixa diei vigesimo quinto Martii 26.), quo tempore Verbum Divinum Incarnatum censetur. Item *Purificatio* B. Virginis, ratione cujus crimen aliqui 27.) impingunt Catholicis, quod

---

24.) Vid. Benedictus XIV. De Festis Christi. c. 74. seq.

25.) Vid. Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 2. de dieb. fest. c. 5.

26.) Concilium Toletanum X. anno 656. c. 1. solemnitatem hujus festi, quod in tempus Quadragesimale vel Paschale, festivis solemnitatibus aliis minus opportunum solet incidere, transfert in diem 18. Decembris, quæ est Octava ante Nativitatem Christi, ubi etiam recolitur *Exspectatio Partus* in Hispania, & Festum Dominæ nostræ *de la O.* uti observat Garsias Loaisa in Not. ad cit. Concil. Tolet. Azor Inst. Moral. part. 2. lib. 1. c. 23. circa fin.

27.) Hospinianus de Festis Christianorum pag. 40.

quod festa *Februa* Gentilium mutaverint in Festum Purificationis, iisdem superstitionibus & ceremoniis impiis retentis. Etiamsi demus cum BARONIO 28.) festum Purificationis institutum fuisse tempore GELASII Pontificis 29.), ut sanctitate magni hujus mysterii profanæ illæ ceremoniæ delerentur, quæ in Lupercalibus apud Gentiles obtinuerant; nihil tamen inde criminis inuritur Religioni Catholicorum, si ad delenda vestigia impiorum rituum ethnicorum, substituantur decentissimæ ceremoniæ ad colendum verum Deum, sicut Templa Idolorum sanctissime dedicata fuerunt vero Numini. Verosimile tamen est, Festum Purificationis non a GELASIO institutum, sed a Græcis sub nomine *Hypapante* celebra-

28.) In Notis ad Martyrolog. 2. Februarii.

29.) GELASII Apologiam, qua Edictum suum contra Lupercalia latum, adversus Andromachum Senatorem, cæterosque Romanos defendit, inserit BARONIUS Annalibus ad ann. 496. n. 29. seqq. an Festum Purificationis oppositum sit saturnalibus, aut lupercalibus, aut potius amburbalibus Gentilium, non est hoc loco inquirendum. Vid. Card. GOTTI Verit. Relig. Christ. tom. 1. tr. 5. c. 12. §. 3.

bratum, ad Occidentalem Ecclesiam transiisse 30.).

& Beatissimæ

§. 480. Quædam Festa non attingunt Mysteria vitæ Christi, sed in honorem purissimæ Virginis instituta sunt, scilicet ejus *Conceptio*, *Nativitas*, *Præsentatio*, *Visitatio*, & *Assumptio*. *Conceptionis* B. Virginis Festum insertum legimus Constitutioni Manuelis Comneni Imperatoris ad diem Nonam Decembris sæculo duodecimo 31.), eodemque sæculo Lugduni celebratum a Canonicis illius Ecclesiæ, quos perstrinxit S. Bernardus 32.), quod festos dies inducant, non accedente Ecclesiæ Romanæ autoritate. Antiquior tamen hujus mysterii

30.) Vid. HONORATUS A S. MARIA loc. cit. Dissert. V. Item GODEFREDUS HENSCHENIUS in Comment. Histor. ad 2. Febr. in Actis Sanctorum.

31.) In Nomo-Canone PHOTII tit. VII. c. I.

32.) Epist. 174. Videantur Notæ MERLO HORSTII ad eandem Epistol. item Disputatio AMBROSII CATHARINI pro Veritate Immaculatæ Conceptionis ad S. Synodum Tridentinam. BENED. PLAZZA Causa Immac. Concept. propugn. Act. VI. art. I. testim. 8.

ejus cultus videtur fuisse in Anglia 33.). Demum celebritas hæc Romæ suscepta 34.), & tandem inter Festivitates de præcepto posita fuit 35.). *Nativitas* B. Virginis MARIÆ vix memoratur inter documenta Galliæ & Germaniæ 36.) ante S. FULBERTUM Episcopum Carnotensem, qui vixit circa annum millesimum, & quosdam de hoc Festo sermones habuit 37.). Forte tamen Romæ & in Italia jam antea celebrata fuerat 38.).

§. 481.

---

33. Vid. ILDEPHONSUS DE FLORES in Ecclesiasticum. n. 1704. seqq. BARONIUS ad Martyrol. 8. Decembr.

34.) Extrav. 1. & 2. inter commun. de Reliq. & Vener. Sanct.

35.) Bullar. CLEMENTIS XI. Const. 40. pag. 90.

36.) Neque in Concilio MOGUNTINO anno 813. can. 36. neque in Capitularibus CAROLI M. & LUDOVICI PII lib. I. c. 158. lib. II. c. 35. lib. VI. c. 189. ubi recensentur Festivitates per annum celebrandæ.

37.) Sermones tres de Nativitate B. Virginis extant inter ejus opuscula pag. 131. & seqq.

38.) Vid. BENEDICTUS XIV. de Festis B. Mariæ Virg. §. 134. seq.

Virginis §. 481. Festum *Præsentatæ* in Templo Virginis ex Oriente in Occidentem traductum fuit, narrante CAROLO V. Galliarum Rege, qui illud Anno 1374. celebrari curavit in Collegio Navarræo Academiæ Parisiensis 39.). Festivitatem hanc a PAULO II. Indulgentiis dotatam PIUS V. tanquam minus antiquam ex Breviario expunxit 40.); sed restituit SIXTUS V. Anno 1585. 41.), adnitente Francisco TURRIANO Societatis Jesu Presbytero 42.). Hæc ipsa Curiæ Romanæ Variatio forte in causa est, quod hoc festum in quibusdam Germaniæ Diœcesibus celebretur etiam in Foro ex præcepto, secus in aliis. Festum Virginis *Visitantis* Elisabeth instituit URBANUS VI. tempore funesti Schismatis, ut Dei-

39.) Epistolam Regis refert LAUNOIUS operum tom. 4. vol. 1. pag. 326. seq.

40.) Venerab. PETRUS CANISIUS de Maria Deipara. Lib. 1. c. 12. pag. 96.

41.) Bullar. Rom. tom. 2. inter Bullas SIXTI V. Const. VII.

42.) THEOPH. RAYNAUDUS operum tom. 7. in Diptychis Marian. part. 1. punct. 3. n. 1. SOTVELLUS Biblioth. Script. Soc. Jesu Verb. *Franciscus Turrianus.*

Deipara, quæ pacem annuntiavit universo mundo, pacem impetrare dignaretur Ecclesiæ 43.). BONIFACIUS IX. ejus successor id confirmavit perpetua Constitutione 44.). Patres quoque Concilii BASILEENSIS sess. 44. ad impetrandam Ecclesiæ pacem Patrocinium B. Virginis implorarunt edito Decreto, quo festum Visitationis Glorioſæ Virginis celebrari jubebant sexto Nonas Julii. Statuta autem est hæc dies secunda Julii, qua MARIA rediisse creditur ex domo Elisabeth, cum mense Martio, quo post Annuntiationem iter illuc instituerat, dies Quadragesimales aut Paschales occurrant 45.)

§. 482. Celeberrimum est Festum *Assumptionis* B. Virginis. Primi quidem Christiani, solum de fide in Christum soliciti, nolebant multis laudibus celebrare, aut externis honoribus colere Deiparam, ne Gentiles, qui variorum Deorum matres celebra- *MARIÆ:*

43.) Brietius in Annal. ad ann. 1289.
44.) Incipit Superni. data 5. Idus Novemb. 1390. Vid. Card. Petra ad eandem Constit.
45.) Vid. Azor Inst. moral. part. 2. lib. 1. c. 23.

brabant, in novum errorem incurrerent. Unde etiam S. EPIPHANIUS 46.) nolebat definire, an B. Virgo vere mortua sit. Postquam autem Ephesina Synodus contra Nestorium gloriam Deiparæ publice defendit, mox omnes in laudem Virginis proruperunt, cum Idololatria jam esset sublata, & Religio Christiana altas radices egisset. Censuit igitur, censetque Ecclesia, Deiparam vere obiisse 47.), & mox resumpto corpore in cœlos assumptam esse. Hujus Assumptionis festivitas quo tempore in Oriente celebrari cœpta sit, non opus est, ut hoc loco definiamus. In nostris partibus occiduis mentionem frequentem habemus sæculo IX. 48.): adjectum etiam fuit

46.) Hæres. 78.

47.) De loco Mortis & sepulchri, ingens est concertatio. ANTONIUS SANDINUS Hist. de Maria Virg. c. 7. Hierosolymis mortuam statuit, contra TILLEMONTIUM Annot. 15. ad Vit. B. V. & HYACINTHUM SERRY Exercit. 65. qui Ephesi mortuam dicunt. Card. GOTTI Verit. Relig. Christ. tom. 1. tr. 5. c. 40. seq. suspendit judicium.

48.) In Regula CHRODOGANGI interpolata cap. 74. apud HARDUIN. Concil. tom.

fuit jejunium in pervigilio 49.) & Octava 50.).

§. 483. Molem hujus opusculi excederet recensio singulorum Festorum, & historica narratio de eorum initiis 51.). Pauca hoc loco generatim *ac aliorum*

tom. 4. col. 1207. In Concil. MOGUNT. ann. 813. can. 36. Quamvis Decretum Moguntina Synodo antiquius, quod refertur Capitular. lib. I. c. 158. de Assumptione S. MARIÆ dubium, de quo interrogetur, relinquatur; apertis tamen Decretis Festivitas hæc celebranda præcipitur Lib. II. c. 35. & Lib. VI. c. 189.

49.) NICOLAUS I. Responsf. 4. ad Consulta Bulgar. sæculo IX. eam obligationem jam inductam supponit.

50.) Id statutum jam ante Nicolaum I. a LEONE IV. narrat SIGEBERTUS in Chronico ad ann. 847.

51.) Videantur Autores hoc Capite allegati, scilicet

BENEDICTUS XIV. de Festis Christi & Virginis Mariæ.

BARONIUS in Notis ad Martyrol. Rom. & passim in Annal. Eccles.

THOMASSINUS de Dierum Festorum celebratione.

AZOR Inst. Moral. part. 2. lib. 1.

SUAREZ tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 2.

GRETSERUS Oper. tom. 5. tr. de Festis Christianor.

BOLLANDUS & Continuatores in Actis Sanctorum.

tim annotasse sufficiat. I. Pleraque Festa Domini, & B. Virginis fuerunt jam pridem toti Ecclesiæ communia: celebritates autem aliorum Sanctorum plerumque fuerunt propriæ Ecclesiis, apud quas passi, vel sepulti erant, propagatæ postea in Diœceses vicinas, ac demum in remotiores, uti cultus S. LAURENTII ex Urbe Romana, cultus S. MARTINI ex Gallia in alias Provincias transiit. II. Sicut ex Græcia post rudiora quædam sæcula multarum scientiarum (supra §. 150.), ita etiam variorum Festorum & Sanctorum notitia ad nostras Regiones pervenit, immixtis Græcorum more Symbolis, quibus Virtutes & Acta Sanctorum eleganter illustrantur, & lectio eorum amœnior redditur, quod de SS. CHRISTOPHORO, GEORGIO, CATHARINA &c. contigisse videtur. III. Mos primis sæculis festive colebantur Sancti Martyres, qui sanguinem pro Christo fuderant 52.). Postea hic æqui-

52.) Jussu Constantini Provinciarum Præsides etiam inter Ethnicos, festos Martyrum dies observare debebant. Euseb. de Vit. Constant. l. IV. c. 23.

æquiparati sunt, qui Christum imperterrite coram Judicibus confessi fuerant, licet dimissi placida morte vitam finiverint, *Confessores* inde dicti. Annumerari his Martyribus & Confessoribus meruerunt, qui longævo quasi Martyrio rigidissimam vitam in Eremo aut Monasteriis duxerunt: demum alii, qui singularibus virtutum exemplis Ecclesiam illustrarunt: horum enim cultus ex Monasteriis vel particularibus Ecclesiis, præsertim ob famam miraculorum ad alia loca traductus fuit. Inter primos, quibus hic honor obtigit, erat S. MARTINUS.

§. 484. IV. Designatio dierum Festorum desumi maxime debet ex C. *conquestus.* fin. de Feriis: ex Decreto URBANI VIII. Idib. Septembr. 1642. demum ex statutis Synodalibus cujusvis Diœcesis 53.). Nominantur in Decreto URBANI, tanquam Festa fori, Dominici dies totius anni, Nativitatis Christi, Circumcisionis, Epi- *Sanctorum,*

53.) GREGORIUS IX. c. fin. de Feriis. post recensita festa, observandas dicit cæteras solemnitates, *quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & populo duxerint solemniter venerandas.*

phaniæ, Reſurrectionis cum duabus ſequentibus feriis, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus ſequentibus feriis, SS. Trinitatis, Solemnitatis Corporis Chriſti, Inventionis S. Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis & Nativitatis Deiparæ, Dedicationis S. Michaëlis, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi & Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis & Iudæ, & S. Mathiæ Apoſtolorum. Item S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii M. S. Silveſtri Papæ, S. Joſephi & S. Annæ, Solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque Regno ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque Civitate, Oppido vel Pago &c. 54.). His acceſſit dies Conceptionis B. V. MARIÆ ex Decre-

54.) Urbani VIII. Decretum coincidit cum Declaratione Caroli V. facta Auguſtæ fere centum ante annis, ſcilicet anno 1548. tit. 26. §. 12. qua inſinuatur, quid in Germania circa Religionem ſervandum ſit, donec exortæ controverſiæ per Concilium Generale decidantur.

creto CLEMENTIS XI. Ad aliorum dierum observantiam, non obstante quocunque præcepto vel consuetudine, nequaquam ex præcepto Fideles deinceps teneri decernit & declarat URBANUS: monetque Ordinarios, ut a novorum Festorum indictione de cætero abstineant. Cum autem præmittat Pontifex, se hoc Decretum ad diminutionem Festorum edere, mens ejus nequaquam fuisse videtur, ut Festum Inventionis S. Crucis, S. Silvestri & S. Annæ solemniter a populo celebretur in illis locis, in quibus antea celebratum non fuerat, ne contra intentionem suam augeret potius, quam diminueret numerum Festorum 55.). Quid autem sentiendum sit de Festo SS. Sebastiani, Georgii, Visitationis & Præsentationis B. V. S. Martini, S. Catharinæ, S. Nicolai, S. Magdalenæ, quæ festa in multis Germaniæ Diœcesibus, licet non sint principaliora Provinciæ, vel Regni, solemniter a populo celebrantur, judicio Ordinariorum relinquimus. Illud

55.) Carolus Guyet Heortolog. l. 2. c. 18. q. 8.

rite Canonizatorum. §. 485. Notandum V. Ne ullius Servi Dei veneratio publica permittatur, qui non autoritate Pontificia in numerum Sanctorum aut Beatorum sit relatus, vel antiquo jam cultu gaudeat a tempore immemorabili 56.): quod adeo accurate observatur, ut quando agitur de Canonizatione cujusdam Servi Dei, ante omnia institui soleat Processus *super non cultu publico*, aut de casu excepto ab URBANI VIII. Decretis 57.).

Observandi Festa §. 486. Præcepto observandi Festa, autoritate Ecclesiastica in ordine ad Cultum Divinum statuto, sub gravi 58.) tenentur omnes Christi Fide-

---

56.) Per tempus immemorabile ex declaratione URBANI VIII. in hac materia intelligitur *tempus centum annorum metum excedens*, computando scilicet ad annum 1634. quo emissa est Constitutio URBANI.

57.) De his omnibus consulendum est præstantissimum opus BENEDICTI XIV. de Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione.

58.) *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, sepposito scandalo, si absit contemptus.* Est propositio 52. proscripta ab INNOCENTIO XI.

Fideles rationis usu præditi 59.), regulariter a media nocte usque ad mediam noctem proxime sequentem 60.). Est autem hoc Præceptum tum *negativum*, tum *affirmativum*.

§. 487. Præceptum *negativum* jubet *ab operibus servilibus vacare*. Non est tam severa hæc lex in novo Testamento, sicut in veteri, ubi observatio Sabbati *figuralis* erat, repræsentans cessationem Dei ab omni opere 61.). Prohibentur autem sola ope-

Præcepto negativo jubemur

59.) An peregrini teneantur, decidendum est ex communi doctrina de Legibus. Prægogn. Jur. Can. §. 138. seqq.

60.) Potest Episcopus pro sua Diœcesi quædam Festa præcipere observanda ab aurora usque ad meridem &c. Antiquitas observabat festa a vespera usque ad vesperam: sed sublatis nocturnis cœtibus, diei naturalis termini observari solent.

61.) S. Thom. 2.2. q. 122. art. 4. ad 4. In Concilio Aurelianensi III. ann. 538. c. 28. sic statuitur: *Quia persuasum est populis die Dominico agi cum caballis, aut bubus & vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus exercere, (quæ res ad Judaicam magis quam ad Christianam observantiam pertinere probatur) id statuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat.*

ra corporalia, & quidem servilia, quæ scilicet, licet ab anima tanquam a principio proveniant, organo tamen corporeo exercentur, & per se corporis commoditatibus inserviunt, & per servos fieri solent, ut terram colere, domos ædificare, artefacta construere. His opponuntur opera *liberalia*, quæ a mente procedunt, & quamvis sæpe ab organo corporeo pendent, eo tamen maxime tendunt, ut mentem illuminent, animumque excolant, ut docere, prædicare, legere, scribere &c.

abstinere ab operibus

§. 488. Sola humanitatis consideratione, concedi nonnunquam deberet cessatio ab operibus servilibus: hæc autem requies opportune impenditur ad cultum Divinum 62.)

Lo-

62.) Id agnovit PLATO Lib. II. de Legib. *Dii genus hominum laboribus natura pressum miserati, remissiones laborum ipsis statuerunt, solemnia autem festa in honorem ipsorum Deorum.* Unde etiam Romanis Leges XII. Tabul. lib. 1. præcipiebant: *Feriis jurgia amovento: easque in famulis operibus patratis, habento.* Cui Legi brevem Commentarium adjicit CICERO Lib. II. de Legib. *Feriarum, festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium* &

Loquendo de ritibus Christianis, statuerat quidem CONSTANTINUS M. 63.), ut *cunctarum artium officia venerabili die solis quiescant : ruri tamen positi, agrorum culturæ libere licenterque inserviant.* Qua mente & intentione agricolis id permittat Imperator, mox adjecta ratio declarat : *quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa.* Scilicet propter necessitatem alimentorum facile aliquid indulgetur, si periculum sit, ne opportunum tempus variante tempestate elabatur, sicut ALEXANDER III. *ingruente necessitate* captionem halecum diebus festis permisit 64.). Unde LEO Im-

& jurgiorum : in servis operum & laborum. De Romanorum veterum Festis per Menses singulos agit JOANNES ROSINUS Roman. antiquit. lib. IV.

63.) L. 3. C. de Feriis.

64.) C. 3. de Feriis. Concordat responsum NICOLAI V. anno 1447. Transilvanis Saxonibus datum. apud RAYNALDUM Annal. Eccl. tom. XVIII. ad ann. 1447. n. 28.

perator 65.) metuens, ne agricolæ Constitutionem CONSTANTINI laxius interpretentur, universim statuit, *ut omnes in die sacro a labore vacent, neque agricolæ, neque quiquam alii in illo illicitum opus aggrediantur.* Insistendo igitur datæ notioni operis servilis, præter agriculturam & streperos labores, diebus festis prohibitum est non solum sculpere imaginem, sed etiam penicillo vel acu pingere: characteres typographicos ordinare: exercere venationem, aucupium vel piscationem. Ut agasones & aurigæ inceptum jam iter prosequantur, necessitas videtur concedere: sicuti etiam coquentes calcem, vitrum &c. possunt continuare ejusmodi opera jam cœpta, cum grave damnum ex interruptione sequeretur.

servilibus: §. 489. Opera aliqua ex sua ratione servilia permittuntur diebus festis pro necessitate corporali, ut coquere & præparare cibos 66.); vel pro cur-

65.) Novell. 54. opera servilia distinctius recenset, & prohibet CAROLUS M. in Capitulari AQUISGRANENSI ann. 789. c. 79.

66.) Opus culinarium ad eas res coarctandum esset, quæ nec conservari, nec anticipari facile possunt.

curandis infirmis, ut venas incidere &c. cum ejusmodi opera imperet charitas erga proximum 67.) : vel pro Cultu Divino, ut pulsare campanas &c. quæ autem facile anticipari possunt, differri non debent in diem festum, ut scopis Templum mundare, aulæa suspendere, hostias conficere &c. multo minus licita sunt, quæ solum remote & ex intentione operantis ad cultum Templi cedunt, ut agros Ecclesiæ colere, parietes Ecclesiæ dealbare, ligna ad ædificium vehere; nam præceptum ad Religionem pertinens, præferendum est operibus liberis pietatis. Universim causæ excusantes ab observatione præcepti opera servilia prohibentis, solent afferri, materiæ parvitas, necessitas, pietas, religio, denique dispensatio. Ut autem *consuetudo* excuset, plures requiruntur conditiones (Præcogn. Jur. Can. §. 367. seqq.): nam sub consuetudinis larva plures abusus & corruptelæ occultantur, a quibus

67.) Pro radendis barbis eadem charitas plerumque non urget: unde facile possunt peccare barbitonsores, magis autem ipsi radendi, si aliud ipsis tempus suppetat.

quibus abduci populus debet explicata criminis gravitate, & malis etiam temporalibus ex violatione festorum a Deo immissis 68.).

Mercatu, & Judiciis: §. 490. Præter opera servilia in diebus festis prohibentur *Mercatus* & *Judicia* forensia, cum hæc a divinis rebus mentem abstrahant 69.). Quoad *Mercatum* multa nunc tolerantur ex consuetudine & aliqua necessitate: curandum tamen, ne ejusmodi consuetudines vel recens introducantur, vel latius extendantur: respiciendumque est ad veras populi indigentias & necessitates. *Judicium* forense, seu *Placitum*, in diebus festis prohibitum, omnes actiones comprehendit, quæ ad causam tractandam proxime pertinent, nisi veræ necessitatis & pietatis ratio excuset. Mercatores tamen ac Judices ob ea, quæ ipsis die festo peragere licet, non excusantur ab audiendo Sacro.

Multo magis ab operibus illicitis: §. 491. Si juxta modo dicta in diebus festis prohibentur ea, quæ ab honestate non abhorrent, imo quibus operam dare interest Reipublicæ, & quæ

68.) Tales pœnas recensetCONCILIUM PARISIENSE VI. ann. 829. can. 50.

69.) C. omnes. C. conquestus. de Feriis.

quæ multoties non parum cum virtutum officiis conjunguntur: multo magis prohibita censeri debent, quæ mores corrumpunt, otium, luxus, voluptas, choreæ, ludi scenici &c. *Sane sciendum est* 70.), *quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis Divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus... his negletis, si quis ad cæteras mundi vanitates licitos labores convertit; melius illi fuerat laborare manibus suis, ut haberet, unde tribueret necessitatem patientibus.* Similiter S. AUGUSTINUS 71.): *melius est arare, quam saltare*: dumque Sabbatum Judæorum cum festis Christianorum comparat, ait, Judæos a bono opere vacare, ab opere nugatorio non vacare 72.). Unde illi, qui

70.) Verba sunt NICOLAI I. ad Consult. Bulgar. responsi. 10. & 11.

71.) In psalm. 91. n. 2.

72.) Similia passim occurrunt in Conciliorum

qui abstinendo ab operibus servilibus, festos dies ludendo, jocando, otiose vagando, aut spectaculis intendendo vane consumunt, Christiana festa ridiculo exponunt, ut de Ecclesia dici possit, quod olim de Synagoga: *viderunt eam hostes, & derisérunt Sabbata ejus* 73.). Cum enim SS. Patres diebus Dominicis & Festis censuerint abstinendum esse a licitis conjugii voluptatibus 74.), multo magis ab illicitis operibus cessandum erit.

Conceduntur tamen aliqua oblectamenta.

§. 492. Cum tamen non omnes severioris disciplinæ sint capaces, semper oblectamenta quædam diebus festis licita erant. Olim convivium in Natalitiis Martyrum instituebatur, *Agape* dictum, de quo Tertullianus 75.): *quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine face-*

---

rum Decretis & SS. Patribus. Vid. inter Opera S. AUGUSTINI olim serm. 251. de temp. nunc serm. 280. in Append. tom. V. Catechismus Conc. TRID. part. 3. de 3. præcept. n. 25.

73.) Threnor. I. 7.

74.) Vid. THOMASSIN. de dierum Festor. celebrat. lib. 3. c. 9.

75.) In Apologetico.

facere sumptum; siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Abusus quidem circa hæc convivia, jam tempore Apostoli Pauli in quadam Ecclesia irrepens 76.) adeo demum excrevit, ut vergente in finem sæculo IV. Sancti Patres abolendum hoc institutum crediderint: nihilominus lætari in solemnitatibus Martyrum, recens conversis concessit S. GREGORIUS THAUMATURGUS 77.): ipsosque sacros conventus cum hymnis & canticis instituerunt SS. Patres, ut per mutuam animorum, & voluntatum concordiam spiritualis lætitia excitaretur. S. GREGORIUS M. 78.) Anglis recens conversis indulsit, *ut die Dedicationis, vel Natalitio Martyrum tabernacula sibi circa Ecclesias de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitatem celebrent.* Mittebant in præcipuis solemnitatibus SS. Patres invicem, & ad alias personas honoratas munuscula quædam, quæ etiam

Eu-

76.) 1. Corinth. XI.

77.) S. Gregorius Nyssenus Orat. de Vita S. Gregorii Thaumat. tom. 2. pag. 1006. edit. Paris. ann. 1615.

78.) Lib. IX. ep. 71.

Eulogiæ nominabantur, ſicut EUSTOCHIUM HIERONYMO miſit Ceraſa, ut hilariter S. Petri feſtum diem produceret 79.): etiam Deus miſit Anachoretis epulas tempore Paſchali ſufficientes usque ad Pentecoſten 80.): & S. MARTINUS piſcem obtinuit diebus Paſchæ 81.): ex eadem ratione conceditur eſus carnium in Nativitate Domini, quando incidit in feriam ſextam aut Sabbatum.

Præceptum affirmativum

§. 493. Præceptum ſanctificandi Feſta *Affirmativum* præcipit Cultum Divinum, præcipue per Miſſæ auditionem exhibendum. Hæc obligatio gravis eſt, & comprehendit omnes Fideles uſu rationis præditos, ut Miſſæ *integræ* moraliter ſint *præſentes* in Parochiali vel alia Eccleſia publica 82.), ea intentione ac attentione, ut talis auditio Miſſæ pertineat ad Cultum Divinum; nam per actum pravum æque non ſatisfit præcepto audiendi Sacrum, ſicut per ſacrile-

gam

79.) S. HIERONYM. Epiſt. 19.
80.) RUFFINUS de Vit. PP. lib. 2. c. 7.
81.) SEVERUS SULPITIUS Dialog. 3. n. 15.
82.) Non ſatisfaciunt in Oratorio privato niſi illi, pro quibus eſt datum privilegium eorumque familia.

gam Communionem non satisfit præcepto Communionis Paschalis.

§. 494. Dum autem Ecclesia determinat modum sanctificandi Festa per auditionem Missæ, per hoc non decernit, nos vi naturalis & Divini præcepti ad Cultum Divinum obligantis, ad nihil amplius teneri: sed potius gravissimis verbis oppositum declarat, scilicet *die Dominica* (idem de aliis Festis) *nihil aliud agendum esse, nisi Deo vacandum* 83.): *ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur* 84.). Illi igitur, qui audito Sacro per reliquum diem negligunt Cultum Divinum, bene secum perpendant, an præcepto sanctificandi Sabbatum satisfaciant. Communiter tenent Theologi Morales, minime violare diem festum eos, qui serviliter operantur per mediam horam, cum parum pro nihilo reputetur: an igitur præceptum Affirmativum sanctificandi diem festum implebunt, qui sola media hora, quæ respectu totius diei pro nihilo reputatur, divi-

Audiendi Missam,

83.) C. jejunia 16. dist. 3. de Consecr.
84.) Nicolaus I. ad Consult. Bulgaror. c. 10.

nis vacant? Pondus & pondus abominabitur Deus. Certe nemo dicit, famulum aut operarium, diem aliquam hero suo impendisse, qui per mediam solummodo horam obsequio ejus est intentus. Exacta distributio Officii Divini per certas horas, non tam in Cleri, quam Laicorum ædificationem, devotionem & gratiam instituta fuit, remansitque usus earum saltem pro majore parte diebus Dominicis & Festis decantandarum, in pluribus Ecclesiis Parochialibus, præsertim in Civitatibus, ut nimirum populus iis diebus ad Ecclesiam istis horis conveniret 85.) : cavendum autem, ne hæc Officia adeo perfunctorie decantentur, ut mirum non sit, si a populo negligantur 86.)

Ita-

85.) Hæc præsentia *ad Vesperas & ad Matutinas* in die Dominico exigitur in Capitularibus Regum Francorum lib. 6. c. 205. ita ut *omnes eundo & redeundo Kyrieleyson decantent : similiter & pastores pecorum eundo & redeundo in campum & ad domum faciant, ut omnes eos veraciter Christianos & devotos esse cognoscant.*

86.) Ex tali negligentia alicubi ridiculus mos ortus est, ut ædituus post datum om-

nium

Itaque licet vi præcepti Ecclesiastici non alium Cultum Deo offerre diebus sacris teneamur præter auditionem Missæ: at vi præcepti Divini ad plura alia obstringimur, ut impleatur Lex Decalogi, *Memento ut diem Sabbati sanctifices.*

§. 495. Qui igitur ab audiendi Sacri obligatione excusatur per impotentiam, damnum, ignorantiam aut charitatem; nihilominus tenetur alio Cultu externo Deum venerari 87.): nam Ecclesiæ mens non est, omnem Cultum a Deo præscriptum, sola Missæ auditione definire 88.): sed ut fideles in precibus, Divinisque laudibus frequentes & assidui sint; ut Ecclesiis interfint; Sacramenta ad

aliaque pia opera exercendi,

nium campanarum signum ad Vesperas, mox discedat, & fores Ecclesiæ claudat, cum nec Clericus de iis cantandis, nec laicus de iis frequentandis cogitet.

87.) S. Augustinus olim serm. 251. de temp. nunc 280. in Append. tom. 5. part. 2. *veniat ergo, cuicunque possibile sit: qui vero non potest, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum ac reddere pensum servitutis.*

88.) Qua ratione primi Christiani diem Dominicum transegerint, videri potest apud Justinum M. loco supra allegato not. 2.

animæ vulnerum curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in his operibus, quæ veram pietatem continent: ut Sanctos una cum Christo regnantes, tanquam Patronos congruis officiis & honoribus prosequantur 89.): ut domi etiam sacra mysteria piis meditationibus recolant: Evangelia, aliosque libros sacros legant: status sui obligationes perpendant: domesticos instruant: Viros probos de vita recte instituenda consulant: eleemosynas liberalius erogent: ægrotos visitent: solatium captivis afferant, quos etiam Imperatores in summis Festivitatibus dimittendos sanxerunt 90.).

& percipiendi Verbum Dei.

§. 496. Mirantur nonnulli, quod sacri Canones & Concilia frequentius urgeant auditionem Missæ, quam obligationem audiendi Verbum Divinum, Instructionem aut Concionem. Ratio hujus peti potest ex veteri instituto, quo mox post Evangelium recitatum, sequebatur ipsius explapla-

89.) Benedictus XIV. Bullar. tom. I. Const. 60.

90.) L. 3. C. de Episc. audient. Capitular. lib. VI. c. 107.

planatio, quam hodie Concionem dicimus 91.). Hunc morem suppo-suit Synodus TRIDENTINA, & stu-diose retinendum præcipit 92.). Ur-gendo igitur auditionem Missæ, simul insinuatur obligatio percipiendi Ver-bum Dei.

§. 497. Inter alia pia opera 93.) ad Cultum Divinum diebus festis ex-hibendum numerari debet religio Vo-ti vel nuncupandi, vel exsolvendi, juxta illud: *vovete & reddite Domino Deo vestro* 94.). De Votis *solemni-bus* alibi dictum (*Hierarch. Eccl. §. 431. seqq.*). Votum *simplex* est *deli-berata promissio Deo facta de meliori bo-no.* Vota temere & sine matura delibe-ratione, item ex gravi metu & absque sufficiente libertate facta, Deus non censetur acceptare, uti nec illa, quæ intenduntur tanquam medium ad fi-nem malum consequendum; & ple-rumque nec illa, quæ videntur ali-

Ad Cultum Divinum pertinent Vota,

91.) Card. BONA lib. 2. Rer. Liturg. c. 7. n. 7.
92.) Sess. 22. cap. 8. de Sacrif. Miss. item Sess. 24. c. 7. de Reform.
93.) Multa congerit THOMASSINUS de dier. fest. celebr. Lib. 3. c. 6. & seqq.
94.) Psalm. LXXV. 12.

quid licitum intendere, posita tamen hypothesi prava, e. c. si ex duello vivus evasero, si in furto non deprehendar &c. nam missis metaphysicis abstractionibus, quas aliqui hac in re fingunt, in praxi diriguntur hæc Vota ad finem malum, scilicet ut furtum aut duellum peragatur securius ac felicius, sub qua ratione non potest pertinere ad Cultum Latreuticum Dei, qui necessario, saltem ultimato debet intendi per Votum, adeo, ut promissio homini, vel etiam Sancto facta, si nullo modo referatur ad Deum, verum Votum non esset. Similiter ad hunc Cultum non pertinent promissiones de re prorsus indifferente, quæ non sit de meliori bono, scilicet Deo magis grata, quam sit oppositum illius, nisi ad actum virtutis cujusdam referantur: item promissiones factæ ad finem omnino indifferentem, nisi ejusmodi res indifferens & temporalis petatur a Deo tanquam donum Divinæ largitatis, vel per Sanctorum impetrationem, qua ratione impetratio boni alias indifferentis fit honesta.

quorum obligatio per se est gravis;

§. 498. Votum *pure* factum, licet expressa verba honorem & memoriam Sanctorum videantur intendere, parit

rit obligationem Religionis erga Deum per se gravem 95.). Si fiat *conditionate*, obligat conditione impleta. Et quidem Votum *Personale* implendum est ab ipso vovente, nec transit ad hæredes vel successores 96): *Reale* autem, si ab ipso vovente nequeat, impleri debet per alium, transitque ad hæredes, non tamen ultra vires hæreditatis. *Mixtum* ex personali & reali, transit ad hæredes tantum quoad partem realem, nisi hæres se sponte obligasset etiam quoad partem personalem 97.).

§. 499. Obligatio Voti tollitur I. *per Irritationem*, quando alteri cuidam

Variis tamen modis tolli potest.

95.) Formulæ quædam, phrasin *vovendi* continentes, quæ tamen sub peccato non obligare dicuntur, improprie utuntur vocibus, deberetque dedoceri populus, si erronea persuasio deprehendatur.

96.) Votum a communitate integra factum de jejunio, vel festo die singulis annis celebrando, non imponit posteris obligationem Religionis: hi tamen tenentur vel ex legitima consuetudine, vel ex statuto, vel ex ultronea ratihabitione. Vid. Suarez tom. 2. de Relig. tract. 6. de Voto lib. 4. c. 9. & 11.

97.) Casus spontaneæ obligationis habetur in C. 6. de voto & vot. redempt.

est subjecta vel *Voluntas voventis*, prout liberi impuberes subjiciuntur parentibus & tutoribus ; Religiosi Superioribus suis circa materias Instituto suo conformes : vel *Materia Voti*, quo intuitu potest paterfamilias indirecte irritare Votum filii puberis, vel uxoris, quod cederet in præjudicium rei familiaris. II. *Deficientia Materiæ*, si hæc ex toto destruatur, si evadat impossibilis, si desinat esse de meliori bono. III. *Cessante tota causa movente proxima.* e. c. si quis voveat eleemosynam determinato pauperi erogandam ; hic autem dives evadat: si quis voveat non ingredi talem domum, ut evitet aspectum fœminæ cujusdam; hæc autem alio discesserit. Idem est, si notabilis rerum mutatio accidat. IV. *per Commutationem*, quando pro materia Voto promissa substituitur alia, vel minus vel æque bona. Hæc Commutatio requirit justam causam & autoritatem Superioris, nisi mutatio fiat in opus evidenter Deo gratius. Facultatem autem commutandi habent omnes, qui possunt dispensare. V. *per Dispensationem*, quæ fit autoritate Christi specialiter relicta in Ecclesia, ex gravi causa, & admixta plerum-

rumque Commutatione. Votum perfectæ & perpetuæ Castitatis, Religionis, Peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ & Compostellanæ reservatur Summo Pontifici. In reliquis dispensat Episcopus, vel qui Jurisdictionem quasi-Episcopalem, aut etiam speciale privilegium habent, quale privilegium multis Religiosis Ordinibus, etiam quoad externos Pœnitentes concessum est 98.). Plura, quæ ad materiam Votorum pertinent, fuse tractantur a Theologis Moralibus.

§. 500. Enumeratis obligationibus, quas Festa imponunt populo, supereſt, ut de multitudine, aut diminutione eorum pauca subjungamus. Nullo non tempore Viri docti & integræ Synodi agnoverunt, ex multiplicatione nimia Festorum sequi, ut observatio eorum vel omnino negligatur, vel plebi, quæ ex quotidiano labore victum sibi comparat, gravissimum damnum affe-

An diminuendus sit numerus Festorum?

98.) Vid. Compend. privileg. S. J. v. Dispensatio. §. 7. Donatus prax. regul. tom. 3. pag. 47.

rat 99.). Unde alicubi saltem eatenus Festa quædam reducta sunt, ut matutino tempore rei Divinæ detur opera; a meridie vero ad labores aut negotia redire liceat: qui modus celebrandi minora quædam Festa jam pridem usitatus fuit 100.). Nostra ætate acres concertationes super hoc negotio ortæ fuerunt: incommodis enim ex nimia Festorum multiplicatione oriri solitis obviaturus BENEDICTUS XIV., scripto publicis typis vulgato, rationes varias indicavit,

---

99.) In Synodo Provinc. SALISBURGENSI ann. 1420. c. 10. Ordinariis injungitur, ut festivitates Sanctorum nimium multiplicatas restringant. Id præstitit Synodus TREVIRENSIS ann. 1549. can. 10. cui præivit Card. CAMPEGIUS in Const. ad removendos abusus edita Ratisbonæ anno 1524. c. 20. postquam aliqui Germaniæ Principes inter centum Gravamina cap. 37. hac de re conquesti fuerant. Add. JOAN. GERSON Serm. in Concil. Rhemens. tom. 2. col. 630. URBANUS VIII. in Bulla supra citata.

100.) Novella MANUELIS COMNENI Imp. apud LEUNCLAV. Jur. Græco - Rom. tom. 1. pag. 160. de quibusdam Diœcesibus Belgii videri potest VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 17. c. 1.

vit, quibus ea imminutio fieri posset, consiliumque Episcoporum, & aliorum Virorum doctorum exquisivit. Varii Principes & Episcopi pro suis territoriis diminutionem aliquam petierunt, & facile impetrarunt. Indultum Archiepiscopi Firmani, ad mentem SSmi Pontificis editum displicuit Eminentissimo cuidam Cardinali, qui multo magis improbabat doctrinam MURATORII 1.), suam opinionem acri stylo tuentis. Ex his aliisque scriptis 2.) turbari posse pacem Ecclesiæ merito censuit BENEDICTUS: ideoque peculiari Constitutione silentium imposuit, prohibuitque, ne super decreto hujusmodi, neque super Indultis concedendis vel denegandis pro imminutione dierum festorum quidquam scribatur; quæcunque autem scripta antea jam facta, denuo non imprimantur 3.).

Huic

1.) Sub nomine LAMINDI PRITANII in Tract. Della Regolata Divozion de' Christiani c. 21.

2.) Omnia hæc scripta conjunctim edita sunt sub titulo: *Raccolta di Scritture concernenti la Diminuzione delle Feste di Precetto.*

3.) Bullar. tom. 2. Const. LXIII.

Huic præcepto morem gesturi, plura non addimus : id solummodo notantes I. ferme dimidia parte imminutos nunc esse dies festos, quos olim multis sæculis observabatEcclesia non solum Græca, sed etiam Latina 4.). II. Invigilandum summopere esse,ut diebus festis præbeatur populo occasio frequentandi pias exercitationes; impediaturque, ne abutatur otio ad multiplicanda scelera. III. Non toleretur, ut plebs vel tædio laboris, vel ex quadam superstitione,sibi propria autoritate injungat cessationem a laboribus, præter dies ab Ecclesia constitutos. IV. Si autoritate Ecclesiastica abrogentur aliqua Festa; hæc tamen in Choro & a Clericis more pristino celebrentur.

TITULUS XXIII.
DE SEPULTURIS.

Conf. Lib. 3. Decretal. tit. 28. ex Sext. tit. 12. ex Clement. tit. 7. Extravag. Com. tit. 6.

§. 501.

Pro Sepultura ULTIMUM obsequium, quod Christianis in Loco Sacro, aut Religio-

4.) Vid. THOMASSIN. de dier. fest. celebr. Lib. I. c. 11.

gioso exhibetur, est *Sepultura*, & consuetæ *Exequiæ*. Nam sicut omnes cultæ Gentes, & cum Patriarchis suis Judæi eximiam Funerum curam gesserunt 5.): ita etiam Christiani nihil contra Spiritum Evangelii facere censentur, dum servatis quibusdam, omni superstitione purgatis veterum ritibus, superadditis etiam aliis piis ac devotis Ceremoniis, Corpora Fidelium, utpote animarum immortalium domicilia, & templa Spiritus Sancti, in vitam aliquando reditura sepeliunt, eorumque Sepulchra congruis honoribus ornant 6.). Vocatur autem

5.) Vid. JOAN. MEURSIUS de Funere. JOAN. KIRCHMANNUS de Funerib. Romanor. JOAN. NARDIUS de Funerib. Athenienſium. JACOB. GUTHERIUS de Jure Manium. BOISSARDUS antiquit. Rom. tom. 2.

6.) *Solas rationales animas honorare novimus, & earum instrumenta solemni sepulturæ honore dignamur : meretur enim rationalis animæ domicilium non projici temere sicut brutorum cadavera, præsertim quod fuit animæ bene ac sancte instrumento suo in certaminibus usæ receptaculum.* ORIGENES lib. VIII. contra Celsum. Similia habet S. AUGUSTINUS. lib. I. de Civit. Dei. c. 13. & lib. de Cura pro mortuis. add. S. HIERONYM. Epist. 25.

tem *Sepultura Ecclesiastica*, tum a loco, tum etiam a ritibus in ea usitatis.

Corpora decenter componuntur:

§. 502. Prima est Corporis decenter componendi cura. Cum enim cadavera olim non loculis inclusa, sed patenter omnium oculis, quod apud Principes, Nobiles, Ecclesiasticos, multosque Religiosos etiamnum hodie in frequenti usu est, exposita, & sic ad sepulchrum delata fuerint; ad minuendum horrorem aspicientium, mox exhalata anima, os & oculi claudebantur, corpora lavabantur, aromatibus ungebantur 7.), pretiosisque vestibus induebantur: quos omnes ritus innoxie imitamur 8.): illum tamen hodie omittimus, quo olim Fidelium Corporibus Eucharistia imposita, simulque sepulta fuit 9.): ser-

7.) Unctionem a Maria factam ipse Christus ad funus suum retulit. Hanc etiam significationem Myrrhæ Christo a Magis oblatæ dant SS. Patres, allegati a MALDONATO in MATTH. II. 11.

8.) Quibus vestibus indui debeant Corpora Episcoporum, Sacerdotum, aliorumque Clericorum, distincte tradit Cæremoniale Episcoporum lib. II. c. 38. & Pastorale Roman. tit. *Cura pro defunctis gerenda.*

9.) Supra §. 229. not. 72.

servatur tamen aliquod ejus rei vestigium, dum multis in locis Sacerdotibus defunctis apponitur Calix cereus cum Hostia non consecrata.

§. 503. Cadavera dicto modo composita, interjecto post obitum saltem viginti quatuor horarum spatio 10.), olim inter tenebras, id est, ante solis ortum, præsertim si plebeja fuerint, efferebantur. Christiani post CONSTANTINI tempora passim id obsequii mortuis pleno die exhibebant. JULIANUS autem Apostata de die funera fieri prohibuit 11.), ex superstitione potissimum, ne aspectus cadaveris funestaret aspicientes, quo minus possent eo die venire ad Templa, & Sacrificia 12.). Antiquissimus Ecclesiæ mos est efferendi funera, non quidem ante solis *efferuntur*

10.) Hodie alicubi longius differtur Sepultura ex solicitudine, ne vivi sepeliantur.

11.) L. 5. Cod. THEODOS. de sepulchr. viol.

12.) GOTHOFREDUS putat, dictam legem in odium Christianorum latam esse: hoc si verum esset, THEODOSIUS eam non inseruisset suo Codici, ut putant alii. Videtur JULIANUS secretam rationem habuisse in odium Christianorum, quam non intendebant Collectores Codicis Theodosiani. vid. BINGHAM lib. 23. c. 2. §. 6.

lis ortum, matutino tamen tempore, ut mox præsente corpore offerri Missa possit 13.): unde non passim permittendæ sunt vespertinæ sepulturæ. Ex pio more Christianorum psallendi & orandi per antecedentem noctem coram corpore, nomen trahunt *Vigiliæ Defunctorum*, ipsumque Officium Defunctorum solummodo constat primis Vesperis,& Horis Nocturnis, absque Diurnis 14.).

§. 504.

13.) Pro AUGUSTINI commendanda Corporis depositione Sacrificium Deo oblatum esse, colligitur ex POSSIDIO in vita Augustini. Unde in Concil. CARTHAGINENSI III. can. 29. ann. 397. postquam statutum fuerat, *ut Sacramenta Altaris non nisi a jejunis celebrentur*; mox additur: *si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Unde colligitur, Communionem in Exequiis celebratam esse illo ævo. Vid. supra §. 236. not. 91. ubi addatur EVODIUS apud AUGUSTIN. Epist. 158. alias 258. qui tertio Depositionis die super sepulchrum Sacramenta Redemptionis oblata dicit.

14.) Formula precum pro Defunctis refertur a Collectore Constitution. Apostol. lib. VIII. c. 41. ubi nihil ad ignem purgatorium.

§. 504. Modus ducendi Funus varius pro diversis temporibus fuit, & varius pro diversis Regionibus, ac conditionibus personarum hodie observatur. Etiam diurnis Funeribus, ac monumentis suis lumina & lucernas adhibebant Gentiles 15.), & Judæi: sive hos, sive illos imitati dicantur Christiani, certe absque superstitione adhibent accensos cereos, non tam ad effugandas noctis tenebras, quam ad lætitiam insinuandam, & pium Religionis cultum amplificandum, simulque contestandam defuncti Fidem in JESUM CHRISTUM, veram Lucem, quæ illuminat omnem hominem 16.). Immodicos lu-

Consueto ritu:

rium referri posse, ait BINGHAM lib. 23. c. 3. §. 13. eodem modo refutandus, quo Illyricum similia inepte garrientem solide refutat TURRIANUS ad cit. loc. Constitutionum Apostol.

15.) L. Mævia. ff. de Manumiss. testam.

16.) De usu luminum in funere videri poteſt Card. BARONIUS Annal. Eccl. ad ann. 58. EUSEBIUS de Vita Constantini lib. IV. c. 66. S. HIERONYMUS adversus Vigilantium cap. 3. item in Epitaphio Paulæ Epist. 27. c. 13. S. GREGORIUS *Nazianzenus* Orat 4. quæ est secunda in Julianum

luctus, quos Ethnici 17.), & Judæi 18.) præseferebant in funeribus, improbant SS. Patres 19.), voluntque potius lætitiæ signa in Hymnis & Canticis præberi 20.): Concilium etiam TOLETANUM 21.) prohibet Clericis, ne lugubres vestes induant in funere Parentum, vel Consanguineorum.

§. 505.

---

lianum invectiva, ubi de funere Constantii loquitur. S. Chrysostomus Homil. 4. in Epist. ad Hebræos.

17.) Vid. Hieronymus Baruffaldus de Præficis. Josephus Lanzonus de Luctu mortuali veterum.

18.) Interpretes in Cap. L. Genes. & alibi passim.

19.) S. Cyprianus tr. de Mortalit. aliique ex S. Paulo 1. Thessalon. IV. Quali poena Episcopus coërcere possit immodicos ululatus in funeribus, videri potest apud Card. Petra tom. 2. ad Const. III. Coelestini III. sect. 1. n. 17.

20.) S. Chrysostomus loc. cit. insinuat, cantari solere in funere ex Psalmo 114. *Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.* Ex Psal. 22. *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ex Psal. 31. *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumidedit me.*

21.) Anno 1473. cap. 8.

§. 505. Ritus, quo Cadaver tumulo immittitur, ſervari debet, qui in qualibet Diœceſi præſcribitur. Epiſcopi eſt, ea omnia prohibere, quæ vel avaritiam, vel irreverentiam, vel ſuperſtitionem redolent, qualis eſt ritus populorum infidelium, qui panem & alia comeſtibilia, ac vinum in ſepulchris ponebant 22.). Quæcunque inſuper ipſa die ſepulturæ pro Defunctis aguntur, *Exequiarum* nomine veniunt. Ad has hæredes tenentur ſumptus, Parochi curam ſuam ſuppeditare. Cupit Eccleſia honorificam ſepulturam pro conditione Perſonarum, non tamen vanam & ſuperbam, præſertim in iis tumulandis, *& tumulo immittuntur*

22.) In Concilio Germanico circa ann. 742. celebrato Can. 5. jubentur Epiſcopi adjuvante ſæculari Magiſtratu ſoliciti eſſe, *ut populus Dei paganias non faciat.* In Concilio autem Liptinenſi indiculus ponitur paganarum ejusmodi obſervationum, inter quas ſecundo loco ponitur *de ſacrilegio ſuper defunctos, id eſt dadſiſas*, qua voce intelliguntur eſculenta & poculenta ſuper ſepulchris defunctorum. Vid. Du CANGE Gloſſar. V. Dadſiſa. FALKENSTEIN antiquit. Nordgav. part. 1. c. 8. pag. 270. ECKART. de Reb. Franciæ Orient. tom. 1. lib. 23. n. 25.

dis, qui ultra hæreditatis vires relinquunt debita. Unde quamvis sumptus funerum præferantur aliis Creditoribus 23.) : id tamen nequaquam intelligendum est de expensis conditionem aut facultates Defuncti excedentibus. Quoad Ceremonias sacras, Missarum numerum, Cantum, Comitatum Clericorum, Oblationes &c. moderationem adhibet Episcopus : reliqua pompa funeris pertinet ad curam Magistratus sæcularis 24.). Inhumationi subjungitur alicubi fere in singulis, alibi saltem in funeribus honoratiorum Personarum, Prælatorum & Principum, Oratio funebris 25.). Per ejusmodi laudationes vitia-

23.) L. penult. ff. de Relig. & sumpt. fun.

24.) Habemus hac de re Leges Imperii Reform. Polit. Augustæ 1530. tit. 23. ann. 1548. tit. 15. Francofurti 1577. tit. 15. §. 1.

25.) De origine harum laudationum eleganter discurrit Dionysius *Halicarnass.* Antiquit. Roman. lib. V. Juxta Concil. Mediolan. I. c. 60. ann. 1565. *Nemini quemquam in funere laudare liceat, nisi & eum, quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit, & laudationem scriptam ante probarit.* Concil. Rotomag. ann. 1581.

tiatam esse rerum gestarum historiam, jam antiqui Romani conquesti sunt 26.). Multo major cautio in Christianis funeribus adhiberi debet, ut Orationes funebres sint dignæ sacro pulpito, ad commendationem & imitationem Christianarum virtutum, ad inculcandum rerum humanarum contemptum, & æternarum amorem accommodatæ 27.).

1581. tit. de Curatorum Officiis n. 31. pro his tantum permittit orationes funebres, quorum sapientiam narrare debeant populi, & Ecclesia laudem eorum nuntiare.

26.) Cicero in Bruto. Livius lib. VIII. in fin. Unde in Historia quadam *Diplomatica & Pragmatica* recens edita, omitti potuissent dictiones funebres in morte quorundam Principum habitæ, utpote quæ nec Diplomatis, nec Documenti authentici rationem habent.

27.) Duos modos orationis funebris exemplis illustrat Melchior de la Cerda Comp. Eloquent. vol. 2. pag. 979. seqq. Ex primis Ecclesiæ sæculis adhuc extant orationes funebres Eusebii in funere *Constantini*: Ambrosii in obitu *Theodosii*, ac *Valentiniani*, & *Satyri* Fratris sui: Gregorii Nazianzeni in funeribus Patris, *Cæsarii* Fratris, & *Gorgoniæ* Sororis: Gregorii Nysseni in funere *Basilii* Fratris sui, *Meletii* Episcopi Antiocheni,

in Ecclesia vel Cœmeterio :

§. 506. Locus Christianæ sepulturæ est vel in *Ecclesia*, vel in *Cœmeterio* 28.). Circa ritum veterum Romanorum Gentilium, tradunt aliqui, quod Romani defunctos domi suæ intra mœnia Urbis sepeliverint 29): alii contendunt, sepulturam in Urbe fuisse semper prohibitam, juxta Legem XII. Tabularum : *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Alii conciliant has opiniones 30.), dicendo, sepulchra privata fuisse permissa intra Urbem in ædibus singulorum; sepulchra autem publica non fuisse con-

---

cheni, *Pulcheriæ & Placillæ* Imperatricum. Epitaphia HIERONYMI in *Nepotianum, Fabiolam & Paulam* alterius sunt generis, utpote solum privatæ laudes, ad perpetuandam eorum memoriam compositæ, non publice recitatæ.

28.) De Cœmeterio actum est supra §. 38. seqq.

29.) SERVIUS Comment. in VIRGILII lib. V. vers. *Præterea si nona diem &c.* item lib. VI. v. *Sedibus hunc refer &c.* ibi : *Apud majores omnes homines in suis domibus sepeliebantur : unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus. Unde etiam umbras larvas vocamus.*

30.) JULIUS MINUTOLUS Dissertat. VI. de sepulchris.

concessa, nisi ex speciali privilegio Heroibus quibusdam de Republica bene meritis 31.), Imperatoribus, aliisque, qui inter Deos numerabantur 32.). Nam ratio Legis, quam vel Cicero deducit ex Decreto Collegii Pontificum, *non esse jus in loco publico fieri sepulchrum*: vel Imperatores allegant, *ne sanctum municipiorum jus polluatur* 33.), videtur solummodo ab Urbis ambitu excludere sepulchra publica. Ne autem ob nimiam sepulchrorum copiam cœlum fœdo cadaverum odore inficeretur, aut periculum incendii oriretur; severius postea prohibitum est, ne mortui intra Urbem sepelirentur, vel urerentur.

31.) Tales erant PUBLICOLA & TUBERTUS, qui ante Legem XII. Tabularum, & C. FABRICIUS, qui post eam Legem virtutis causa jus sepulchri intra Urbem obtinuerunt, ut testatur CICERO Lib. 2. de Legib.

32.) Unde PRUDENTIUS lib. 1. contra Symmachum:

Et tot templa Deum Romæ, quot in Urbe sepuchra
Heroum numerare licet, quos fabula Manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.

33.) L. 12. C. de Relig. & sumpt. funer.

olim extra Urbes.

§. 507. Eundem morem ſervarunt Chriſtiani longo tempore tum Romæ, tum alibi, ubi eadem obſervantia ponendi ſepulchrum extra Urbes & prope vias publicas vigebat, *ut humanitatis inſtar exhibeant* 34.). Viæ ſepulchris nobiles Romæ fuerunt, *Appia*, *Aurelia*, *Flaminia*, *Latina*, *Lavicana*, *Laurentina*, *Oſtienſis*, *Prænestina*, *Salaria* & *Tiburtina* 35.). Poſt Conſtantini tempora, quando ſupra ſepulchra Martyrum erigebantur Eccle-

---

34.) L. 6. Cod. THEOD. De Sepulchr. violat. id eſt, ut mortalitatis exemplum præbeant. Unde originem ſumpſerunt inſcriptiones, *Siſte viator: ſta viator &c.* Per Epitaphia enim invitantur Viatores ad agnoſcendam vanitatem rerum humanarum, ad imitationem virtutum, vel etiam ad deteſtanda flagitia. Tale exhibet BOISSARDUS antiq. Rom. tom. 2. pag. 49. FLAGITIUM MAXIMUM VIATORES SCIRE SI VOLTIS HEIC SISTITE GRESSUM. De Sepulchris extra Urbes multa congerit SAVARO in Sidon. Apollinar. lib. 3. epiſt. 12. pag. 201. BINGHAM orig. Eccl. lib. 23. c. 1. §. 2. ſeqq.

35.) Sepulchra quædam juxta ſingulas has vias poſita recenſet KIRCHMANNUS de Funerib. Roman. lib. II. c. 22. Cœmeteria autem extra Urbem enumerat BARONIUS ad ann. 226. n. 9.

clesiæ, ambiebant Fideles juxta eadem sepeliri 36.): & ideo translatis etiam in Urbes sacris Corporibus, & ædificatis ibidem Basilicis Martyrum, sepulturam sibi in iisdem eligebant. Antiquissima hujus moris exempla tam in Oriente, quam in Occidente referuntur 37.). Unde Lex Theodosii 38.) sepulchra ab Apostolorum & Martyrum Sedibus ideo videtur velle submovere, ne in Urbe CPtana, ad cujus Præfectum Pancratium Constitutionem dirigit, cadavera tumulentur: per hanc igitur Legem nec in suburbanis Ecclesiis prope Constantinopolim, nec in Ecclesiis aliarum Urbium prohibentur sepulturæ. Acerba crisis est 39.), quod neglecta disciplina de non sepeliendis mortuis in Ecclesia, tribuenda sit *Ambitioni Laicorum, & Clericorum cupiditati.* Si quis abusus irrepsit, ma-

36.) Ildephonsus de Flores de Martyrio lib. 6. c. 18. n. 1711.

37.) Vid. Muratorii gemina Dissertatio, inserta novæ Editioni Codicis Theodos. tom. III. pag. 165. seqq.

38.) L. 6. Cod. Theod. de Sepulchr. violat.

39.) Bernardi Van Espen Jur. Eccl. p. 2. tit. 38. c. 2. n. 34.

lumus adscribere *Laicorum Devotioni & Clericorum indulgentiæ.*

nunc etiam intra urbes:

§. 508. Nullus Canon Concilii Universalis prohibet sepulturam in Ecclesiis : quarundam tamen Diœcesium aut Provinciarum Statuta nimiam sepulchrorum molem ab Ecclesiis removent. Celeberrimus est Canon Concilii MOGUNTIACI 40.): *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel Fideles Laici*, id est pietate & meritis erga Ecclesiam insignes. Unde apparet, sepulturam in Ecclesiis nequaquam universim improbatam 41.): quando etiam ea ex singulari ratione prohibebatur intra interiores Ecclesiæ parietes, permittebatur tamen in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ 42.): ex quo introducebatur tandem mos erigendi cœmeteria, Ecclesiam ambientia, in quibus Corpora defunctorum conderentur.

CON-

40.) Anno 813. Can. 52. relatus C. 18. XIII. q. 2.

41.) Notandum, quod JOANNES DE TURRE CREMATA dictum Canonem Moguntiacum videatur intelligere de quavis *Ecclesiastica sepultura.*

42.) Concil. NAMNETENSE, quod solet referri ad ann. 895. Can. 6.

CONSTANTINO M. singularem honorem se exhibuisse credebat Filius, dum Corpus ejus sepelivit in vestibulo Ecclesiæ SS. Apostolorum, ita *ut, quod Imperatoribus sunt in aulis Janitores, hoc in sepulchro Piscatoribus sint Imperatores* 43.). Si cui autem locus sepulturæ in ipsa Ecclesia conceditur, humi tantum datur, ita ut sepulchrum cum reliquo Ecclesiæ pavimento æquetur 44.): nec cadavera sepeliantur prope Altare, ubi Corpus & Sanguis Domini conficitur 45.): neque in Choro majori, nisi cadavera Fundatorum. Si tamen horum posteri vendant fundum, cui Jus Patronatus inhæret, etiam Jus sepulchri transit cum ipso Jure Patronatus ad aliam familiam. Proprius igitur Christianæ sepulturæ locus est in Ecclesia,

43.) Verba sunt S. JOANNIS CHRYSOST. Homil. 26. in Epist. 2. ad Corinth.

44.) Prærogativa Summorum Pontificum est, ut eorum Corpora sepeliantur in conditoriis elevatis supra terram, ut videre est in Basilica Vaticana Romæ. Idem honor non fuit concessus CHRISTINÆ Reginæ Suecorum, in eadem Basilica subtus terram sepultæ. Card. PETRA tom. 2. ad Const. III. Cœlestini III. sect. 1. n. 13.

45.) C. 15. XIII. q. 2.

sia, vel in Cœmeterio, conjuncto aut separato ab Ecclesia.

in propria Parochia,

§. 509. Inter Ecclesias & Cœmeteria, præferenda aliis est Ecclesia Parochialis, ejusque Cœmeterium, ita ut jam inter obligationes, & Jura Parochialia numeretur Jus funerandi, & Ecclesia Parochialis de Jure communi fundata sit quoad sepulturam omnium Parochianorum 46.). Decet enim ut Parochus, qui durante vita curam spiritualem suorum Parochianorum gessit, defunctos non deserat, sed locum sepulturæ concedat, & pro iis preces Missasque offerat. Parochiani autem quoad hunc articulum censentur, qui intra limites Parochiæ ita morantur, ut Sacramenta vivi in ipsa percipere, & Parochi ipsis administrare teneantur, etiamsi solummodo quasi domicilium ibidem sint nacti, ut Studiosi in Academiis. Peregrinus autem sepelitur, non in loco obitus, sed in propria sua Ecclesia Parochiali, *dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari* 47.): Religiosi sepeliuntur in Monaste-

46.) C. 2. de Sepult. in 6.
47.) C. 3. ibid.

nasterii sui ambitu 48.): Canonicus vel Clericus Ecclesiæ Cathedralis in Ecclesia Cathedrali, etiamsi habitaverit in aliena Parochia 49.).

§. 510. In Ecclesia Parochiali non sepelitur, qui habet Sepulchrum Majorum 50.): aut qui Sepulturam aliam sibi elegit 51.), modo non eligat in loco profano 52.). Potest autem regulariter omnis, qui est sui juris, sepulturam eligere, ita ut nec potestas mariti in uxorem, quæ alias tumulanda esset in sepulchro mariti, & quidem ultimi, si plures habuerit

aut etiam alibi.

48.) C. fin. ibid.

49.) Tuscus pract. concl. lit. P. concl. 99. n. 5.

50.) C. 1. & 3. de Sepultur.

51.) C. 1. cit.

52.) Innocentius III. per *nova & minus religiosa loca*, in quibus non potest sepultura eligi, intelligit loca profana. Sed Bonifacius VIII. quando in c. 2. eod. in 6. permittit Sepulturam *in loco minus religioso*, intelligit Oratorium vel Sacellum, in quo non est Religiosorum Fratrum Conventus, nec frequenter Missarum solemnia celebrantur; qualem locum videtur desiderasse Innocentius, cujus proin Decretalem declarat Bonifacius, addendo: *licet Jura super hoc videantur esse diversa.*

rit 53.), nec patria potestas impedimento sit filio - familias puberi, quo minus sibi eligat, etiam sine consensu patris sepulturam 54.): pro impuberibus autem electionem habet Pater 55.). Quamvis electio sepulturæ fieri soleat in Testamento, non tamen habet rationem ultimæ voluntatis, nec requirit solemnitates Testamenti; sed est species Mandati post mortem exequendi: in dubio tamen præsumptio est pro Ecclesia Parochiali. Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum & Minorum S. Francisci ex speciali privilegio, quod Juri communi hodie infertum est 56.), habent Jus sepulturæ, videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri ibidem elegerint: quod privilegium plerisque aliis Regularibus vel per specialem concessionem, vel per communicationem competit, non tamen Monialibus, nisi nova accedat

53.) C. 3. §. 1. de Sepult. in 6. c. 2. & 3. XIII. q. 2.
54.) C. 7. de Sepultur. C. 4. eod. in 6.
55.) C. 7. §. utrum. de Sepult.
56.) Clem. dudum. 2. §. hujusmodi. item Extravag. comm. super Cathedram 2. §. hujusmodi. de Sepultur.

cedat licentia 57.). Cum autem Religiosi nonnulli nimium inhiarent lucris ex ejusmodi sepultura captandis, Pontifices sæpius repressérunt hanc aviditatem, sub gravissimis pœnis prohibendo, ne Religiosi aliquos ad vovendum, jurandum, aut promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent 58.).

§. 511.

57.) Vid. PIGNATELLI tom. 4. Consult. 177. Card. PETRA tom. 2. ad Constit. III. Cœlestini III. sect. 1. n. 28. seqq.

58.) C. 1. de Sepult. in 6. Clement. 3. §. sane. de Pœnis. Ante has Constitutiones jam S. BONAVENTURA in Epist. ad quendam Provincialem Ministrum sui Ordinis Oper. tom. 7. pag. 466. scribit: *Sepulturarum, ac testamentorum litigiosa & avida quædam invasio, cum exclusione illorum, ad quos animarum cura spectare dignoscitur, non modicum nos Clero toti fecit exosos, sicut experientia docente percepimus &c.... mandes Fratribus universis, ut pacem Clericorum omnium tam in testamentis, quam in Sepulturis, quantum in eis est, sic studeant observare, ut nullam habeant contra nos occasionem justæ querelæ, simulque sæculo toti clarescat, quod non commoda rerum, sed lucra quærimus animarum.* Similia S. BONAVENTURA repetit in alia Epistola ad Mini-

Mortuarium debetur Parocho:

§. 511. Ex funere Parochianorum aliquod emolumentum obvenire Parochis, rationi congruum censent Pontifices, *ut juxta Apostolum* 59.) *sint consolationum socii, qui fuerunt passionum* 60.). Itaque exigitur *Mortuarium* a Parocho, licet Parochianus alibi eligat sepulturam. Hoc ex eo sumpsisse initium dicit Synodus EXONIENSIS 61.), *quod decimis majoribus & minoribus, ac cæteris juribus Parochia-*

Ministros Provinciales & Custodes. ibid. pag. 467. seq.

59.) 2. Corinth. I. 7.

60.) C. 1. de Sepultur.

61.) Anno 1287. Cap. 52. Antiquissimo more in Germania *Mortuarium* competit Domino ex bonis hominum *Propriorum*, quales habuerunt Ecclesiæ multos. Henricus II. Imperator anno 1015. dum Monasterio S. Michaëlis extra Bambergam curtes aliquot donat, de Mortuario disponit his verbis: *Censum ultimum, per quem utique omissa vel neglecta solvuntur servitia, jus videlicet capitale à Viris decedentibus optimum equum, vel si equo carent, optimum caput pecoris, & a fœminis induvias & exuvias transmitti ad Ecclesiam ordinamus.* Forte jus istud Ecclesiæ ab hominibus propriis extenderunt denique ad omnes Parochianos. Diploma Henrici recitat Magerus de Advocat. armat. c. 6. n. 758.

rochialibus per ignorantiam non solutis, læsis Ecclesiis præstaretur: ut talis oblivio procedens ex incuria non solventis, posset saltem per hoc apud districtum Judicem excusari 62.). Varium est *Mortuarium* pro diversitate locorum: legimus alicubi Ecclesiæ seu Parocho deberi lectum, vel valorem lecti, secundum statum Parochiani: alibi vestem meliorem decedentis 63.): alibi post optimum inter plura animalia alterum melius: alibi certam quantitatem pecuniæ: alibi pannum impositum feretro, quem tamen pretio congruo redimere possunt hæredes 64.):

62.) Plura vid. apud DU CANGE Glossar. V. *Mortuarium.*

63.) Huc pertinet Decisio 388. & 389. Capellæ THOLOSANÆ apud AUFRERIUM, quod possit Parochus sumere vestem existentem penes sartorem nondum sutam, neque completam.

64.) Plerumque habetur pallium communibus sumptibus comparatum, quod in funere *gratis* commodatur, prout optavit S. CAROLUS BORROMEUS in Concil. MEDIOLAN. I. part. 2. Const. 60. de funer. & Exeq. vel modicum aliquid pro ejus usu solvitur: prout etiam pro pannis nigris in Choro Templi suspendi solitis, quos Mercatores recipere solent.

in Exequiis illustrium Virorum Parocho etiam cedit equus vel ejus pretium, qui pullatus post feretrum duci solet. Universim in ejusmodi Juribus novis, *pompa honorumque aucupatione supra pietatem excrescente* 65.), recens introductis, ex consuetudine locorum lites componendæ sunt.

Abusus sunt tollendi. §. 512. Sicut autem laudabilis consuetudo retinenda est; ita abusus & corruptelæ, avaritiam redolentes abrogari debent. Talis alicubi erat, qua Parochi nolebant sepelire mortuum, quousque de mortuario sit eis cõmode satisfactum: nec permittere ingressum Parochiani in Religiosum Ordinem ante præstita jura Mortuarii, cum dicerent, Religiosos mundo mori per Professionem Religiosam 66.). Talis videtur abusus adhuc hodie in multis locis vigere, ut Parochi jura Mortuarii exigant, si cadaver per districtum suum Parochialem transvehatur forte in patriam defuncti, vel ad sepulchrum Majorum.

65.) Verba sunt Zypæi Consult. 6. de Sepultur.

66.) Fevret tr. de l'Abus l. IV. c. 8. Parochi isti forte se fundabant in cap. 2. de Sepultur.

rum. CHRISTIANUS LUPUS 67.) hujus consuetudinis justitiam non penetrat, cupitque edoceri: PETRUS PECKIUS 68.) autem occasionem hujus moris ex eo deducit, quod olim homines religione, atque pietate ducti, in singulis pagis, per quos cadavera deferebantur ad locum sepulturæ, mortuos deposuerint, donec Parochi cum Clero preces suas ad Dominum effudissent pro defunctis: credit tamen, hanc piam consuetudinem fuisse voluntariam, & propterea ad necessitatem vel jus trahi non potuisse, nec præscribi, quæ sunt meræ facultatis. Nam locus destinatus tantum inspicitur, non is, ad quem casu pervenitur 69.): ideoque is, qui natus est in aliqua civitate, per quam mater transibat casu, civis illius civitatis dici non potest: nec gabella solvitur de his, quæ casu fortuito ad eum locum, ubi solvitur, perveniunt 70.). Ratio etiam Funeralium, quæ solum do-

67.) Dissert. II. Procemiali ad tom. 4. Scholior. in Canon. c. 12.
68.) De Jure sistendi. C. 5. n. 17.
69.) L. 44. & L. 78. §. fin. ff. de Legat. 3.
70.) L. 16. §. 8. ff. de publican. & vectigal.

micilium defuncti, laboresque Pastorum propriorum & administrationem Sacramentorum respicit, hoc casu cessat. Scimus autem, cadavera per aërem deferri non posse ad locum sepulturæ: unde hac ratione, libera sepulturæ electio, quæ nulla ratione constringi debet, impediretur ob nimios sumptus, quos hæreditas defuncti ferre non posset.

Jus Exequiarum competit Ecclesiæ Parochiali:

§. 513. Pro Exequiis, & sepultura quidquam exigere, reprobatur ab innumeris Canonibus 71.): unde ne id obsequium defunctis impendendum, deficiente charitate, omnino negligeretur, primi mox Imperatores Christiani designarunt publicos Reditus pro Exequiis instituendis. Constitutionem CONSTANTINI pro urbe CPtana firmavit ANASTASIUS 72.), JUSTINIANUS 73.) &

71.) C. 12. seqq. XIII. q. 2. C. 13. de Sepult. C. 8. & 9. de Simonia. De Sepulturarum Simonia agit per plura Capita THOMASSINUS vet. & nov. Eccl. Discipl. p. 3 lib. 1. c. 65. seqq.

72.) L. 18. C. de SS. Eccles.

73.) Novell. 59. ubi etiam mentio fit de iis, qui publico sumptu destinati erant ad curan-

& LEO 74.) Imperatores. Non omnes Civitates, nec omnes Provinciæ tam liberales Principes nactæ sunt. Unde Concilium LATERANENSE 75.) pravas quidem exactiones fieri prohibet, pias tamen consuetudines præcipit observari; statuens, *ut libere conferantur Ecclesiastica Sacramenta; sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* Censet enim Concilium, quod quidam Laici talem consuetudinem *ex fermento hæreticæ pravitatis nitantur infringere sub prætextu Canonicæ pietatis.* Parochus igitur non prohibetur aliquid sponte oblatum accipere: quo nomine non tam ea ve-

curanda mortuorum corpora, vocati etiam *Decani, Laborantes, Lecticarii, Copiatæ*, de quibus agitur in Cod. THEOD. l. 1. de lustrali Conlat. l. 15. de Episc. & l. 12. de Veteranis, ubi *infaustis defunctorum obsequiis occupati* nominantur. Constituti etiam erant *Parabolani*, ad curanda debilium ægra corpora deputati. l. 42. & 43. C. THEOD. de Episc. l. 17. & 18. C. JUST. eod.

74.) Novell. 12.

75.) Celebratum ann. 1215. c. 66. relatum c. 42. de Simon.

niunt, quæ in Missis exequiarum aut Anniversariorum ad Altare offeruntur; sed plerumque etiam luminaria, aliaque, quæ ad celebrandas Exequias impenduntur: hæc enim multis in locis cedunt Ecclesiæ, exceptis Confraternitatum candelis, quæ ad Confraternitatis Sacrarium reportantur. Distribui etiam solet aliquid inter Clericos funus Comitantes. Qua autem pompa & solemnitate velit quis sepeliri, potest moriturus ordinare: & si nihil indecens sequatur, Parochus non potest augere solemnitatem, nec majores sumptus exigere. Pauperibus autem deberent honestæ Exequiæ gratis fieri.

aut electa alibi sepultura,

§. 514. Præter Ecclesiam Parochialem, cui jure competit sepultura Parochianorum, habent plures Ecclesiæ jus speciale seu privilegiatum inhumandi cadavera Fidelium (§. 510.). Diversa autem sunt, Defunctorum *Sepultura* seu inhumatio, & *Exequiæ* seu Officium Ecclesiasticum pro defuncto persolvendum. Unde uno indulto, nequaquam alterum censetur concessum, cum hæc facultas ultra tenorem privilegii contra Ecclesiam Parochialem, ejusque

Jura

Jura extendi non possit. Summi igitur Pontifices privilegiis illis, quibus jus Sepulturæ concedunt, clausulam inserunt: *salva justitia Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur* 76.). *Per Ecclesias, a quibus corpora assumuntur*, intelliguntur *Parochiales*, quibus censentur corpora Parochianorum jure communi jam addicta. *Per justitiam Ecclesiarum* significantur jura Ecclesiarum, inter quæ censentur *Exequiæ*, aliaque officia funeralia pro defuncto persolvenda, eaque a sepultura, sive inhumatione plane distincta. Unde nisi aliud ex consuetudine sit receptum, decet, ut corpus defuncti primum portetur in Ecclesiam Parochialem, ibique celebretur Missa præsente Corpore, antequam deferatur ad locum electæ sepulturæ. Ubi autem juxta receptam consuetudinem corpora mox deferuntur ad locum electæ sepulturæ, Exequiæ tamen celebrandæ sunt in Ecclesia Parochiali, ea scilicet solemnitate & pompa, ad quam hæredes compelli possent, si sepultura alia non esset electa. Ut autem Exe-

76.) C. 9. de Sepultur.

quiæ in Eccleſia Parochiali reſpondeant funeralibus celebratis in loco electæ ſepulturæ, difficulter impetrabit Parochus ab hæredibus, niſi ſtatuta quædam id fieri præcipiant 77.).

Quarta funeralis.

§. 515. Inſuper ex oblationibus, & aliis, quæ ratione ſepulturæ obveniunt alteri Eccleſiæ, pars aliqua cedere deberet Eccleſiæ Parochiali, ſicut Matri carnali debetur legitima ex bonis filii, qui alios hæredes inſtituit. Qualiscunque autem hæc ſit pars 78.), ſolet vocari *quarta funeralis*, vel *portio Canonica* 79.). Denique CLEMENS V. 80.) innovat Conſtitutionem BONIFACII VIII. qui pro ſubmovenda diſcordia Parochorum & Fratrum, portionem Canonicæ

77.) Pro Eccleſia Parochiali pronuntiavit Parlamentum Mechlinienſe apud VAN ESPEN Jur. Eccl. part. 2. tit. 38. c. 5. n. 23.

78.) *Tertia* pars Parochiali Eccleſiæ adjudicatur in C. 1. de Sepultur. *Media* pars in C. 2. eod. *Quarta* in C. 8. eod. Demum CLEMENS III. in C. 9. eod. decidit, attendendum eſſe ad conſuetudines locorum.

79.) C. 2. de Sepult. in 6.

80.) Clement. 2. de Sepult.

nonicam Parochis largiendam taxavit & limitavit ad quartam partem omnium obventionum &c., in quam quartam non computantnr, quæ Ecclesiæ Parochiali ratione Exequiarum soluta sunt. Eandem quartam funeralium Decreto suo firmat Concilium TRIDENTINUM pro illis locis, in quibus jam ante annos quadraginta Cathedrali aut Parochiali Ecclesiæ ea solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis piis locis concessa 81.). Ex quo infertur, usum hujus portionis longissimi temporis consuetudine tolli posse, prout de facto in plurimis locis Germaniæ sublata videtur.

§. 516. Gravissima & infamis pœna semper fuit, carere sepultura 82.). Unde etiam Gentiles nec mortuis parcebant Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellerent, dissecarent, distraherent, ut queritur TERTULLIANUS 83.). Ex Stoicæ Philosophiæ prin-

Omnes Fideles in loco sacro sepeliuntur,

81.) Sess. 25. C. 13. de Reform.
82.) Deuteron. XXVIII. 26. L. 1. ff. de Cadaver. punitor.
83.) Apologet. adversus Gent. c. 37.

cipiis, ut ex barba capillos detonsos negligimus, ita etiam animus egressurus ex corpore, curare non debet, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat 84.). Consolari hæc quidem possunt Christianos, si vel malitia, vel facti necessitas sepulturæ beneficium illis neget: at vero extra hos tristes casus humanius agit Ecclesia erga cadavera humana, dum nullo Canone prohibet omnem sepulturam vel inhumationem, sed potius vult, ut erga illa nullum crudelitatis genus, etiam sub specie pietatis exerceatur, ea exenterando, aquis bullientibus decoquendo ad faciliorem transportationem 85.). Quorundam tamen Corpora in loco *Religioso*, aut *ritu Ecclesiastico* sepelire vetat sicut nonnullos vivos a sua Communione excludit. Regula est om-

84.) Seneca Epist. 92. ad Lucil.

85.) Extrav. 1. inter Commun. de Sepultur. Tale quid circa Corpus S. Thomæ Aquinatis a Monachis fossiæ novæ factum esse, suspicabantur Fratres Prædicatores, uti legimus in Historia Translationis Corporis S. Thomæ. in Act. Sanctorum ad diem 7. Martii pag. 725.

omnes & ſolos Fideles baptizatos, in loco ſacro ſepeliri poſſe ac debere, niſi a Jure prohibeantur 86.).

§. 517. Prohibentur autem I. omnes non baptizati 87.): tales ſunt Judæi, Turcæ, Ethnici &c. Huc pertinent infantes ſine Baptiſmo decedentes 88.):& Catechumeni 89.) II. Hæretici, eorumque receptores, defenſores, fautores 90.). III. Qui per

niſi a Jure prohibeantur.

86.) Cadavera eorum, qui extremo ſupplicio afficiuntur, Chriſtiano ritu ſepeliuntur, ſi pœnitentes obeant, & Magiſtratus concedat. Nonnunquam medicis traduntur pro exercitio Anatomiæ.

87.) C. 27. 28. diſt. 1. de Conſecr.

88.) Si conſtat, infantem jam in utero matris fuiſſe mortuum, ſepeliendus eſt cum matre, ſi hæc ſimul moritur: *partus enim, antequam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum.* l. 1. §. 1. ff. de inſpic. Vent.

89.) Eccleſia tamen orat pro eis, ſi credentes deceſſerunt, ut colligitur ex S. Ambrosio de obitu Valentiniani.

90.) C. 8. C. 13. §. Credentes. de Hæret. c. 2. eod. in 6. De Religionibus in Germania toleratis ſtatuitur in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ art. V. §. 35. ne quis intuitu religionis *a publicis cœmeteriis, honoreve Sepulturæ arceatur.* Intelligi hoc non poteſt de locis, ubi publicum Acatholicæ Religionis exercitium non toleratur: in

per annum integrum Confessionem Sacramentalem, & tempore Paschali S. Synaxin sine justa causa omittunt 91.). IV. Mortui in Torneamen-

---

in his enim si quis Protestantium moriatur, cadaver solet deferri ad vicinum locum Acatholicum. In locis autem mixtæ Religionis habentur plerumque separata cœmeteria. Nec ægre possunt ferre Acatholici, si Catholici a sacris suis Cœmeteriis Ecclesiastico ritu initiatis, juxta Religionis suæ principia, sicut alias functiones profanas, ita etiam profanas inhumationes arceant: econtra Protestantes, cum juxta sua principia habeant cœmeterium nequaquam sacrum, proin inter res communes civitatis computandum, non possunt negare Catholicis, inter se habitantibus sepulturam in suo cœmeterio, cum ejusmodi Catholici sint membra civitatis, & participes rerum communium. Cum Catholici in usu principiorum Religionis suæ turbari non debeant, ideo dictis non obstant, quæ discurrit Böhmerus in Exercitat. ad Pandectas tom. 2. Exercit. 42. *de Jure denegandi communionem cœmeteriorum.*

91.) C. 12. de Pœnit. & Remiss. Hæc tamen pœna omissæ Communionis non est latæ sententiæ, neque potest a Parocho propria autoritate infligi. Van Espen p. 2. tit. 4. c. 3. n. 17.

mentis 92.). V. Mortui in Duello, etsi pœnitentes moriantur 93.) VI. Usurarii manifesti, donec de usuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfactum 94.). VII. Religiosi proprietarii 95.). VIII. Qui decimas ad Ecclesiam pertinentes non restituunt 96.) IX. Notorie

92.) C. 1. de Torneament. ALEXANDER III. noluit dispensare in hac re, etiam ad preces Regum & Principum, *ne prava illa consuetudo ex hoc incrementum posset suscipere.* Epist. 23. ad Henric. Rhemens. apud MARTENE Collect. veter. Scriptor. tom. 2. col. 674.

93.) Concil. TRIDENT. Sess. 25. c. 19. de Reform. Hanc pœnam a GREGORIO XIII. & CLEMENTE VIII. confirmatam & extensam innovando, statuit & declarat BENEDICTUS XIV. in Const. *Detestabilem* IV. Id. Novembr. 1752. *Sepulturæ sacræ privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis & censuris absolutionem obtinuerit.*

94.) C. 3. de Usur. C. 2. eod. in 6.

95.) C. 2. & 4. de stat. Monach.

96.) C. 19. de Decimis. Concilium LATERA-

torie excommunicati 97.), nisi ante mortem vel absoluti fuerint 98.), vel saltem signa pœnitentiæ dederint, & absolutionem post mortem ritu Ecclesiastico obtinuerint 99.). Intelligi hoc potest de iis etiam excommunicatis, qui publice nondum denuntiati, nec vitandi erant in vita: quamvis enim in his partibus non inhæreamus verbis Concilii Basileensis, quibus omnes *manifeste* excommunicati pronuntiantur vitandi; nihilominus etiam Constitutio Martini V. *Ad vitanda.* 100.), non intendit excom-

RANENSE III. in hoc Canone voluit, ut redderentur Ecclesiis Decimæ, quas Laici possidebant. Urgebat hoc negotium URBANUS III. & FRIDERICUS I. Imperator proposuit Comitiis Gelnhusanis ann. 1186. Principes se tuebantur antiquæ possessionis præsidio, quorum causam etiam Episcopi non improbabant, uti legere est apud ARNOLDUM LUBECENS. Chronic. Slavor. lib. 3. c. 18. Unde communiter hæc Constitutio dicitur pertinere ad decimas quæ post Concilium Lateranense ad Laicos pervenerunt.

97.) C. 1. XXIV. q. 2. C. 12. de Sepultur.

98.) C. fin. de Sepult.

99.) C. 28. De sentent. Excommun.

100.) Juxta tenorem relatum in Actis Concilii

communicatis favere, nec eis quomodolibet suffragari, sed solummodo gratificari Fidelibus innocentibus, ut ad evitandas multas molestias & pericula, possint cum excommunicato nondum denuntiato communicare: quæ ratio cessat in defunctis excommunicatis, quorum communione absque ullo periculo caremus 1.): siquis tamen occulte excommunicatus sit, sepultura Ecclesiastica deneganda ei non est, cum talis denegatio sit publica, & publicam causam requirat 2.). X. Idem quod dicitur de Excommunicatis, sentiendum etiam est de nominatim Inter-

---

cilii CONSTANTIENS. apud VAN DER HARDT. tom. 1. part. 24. col. 1066.

1.) Contrarium sentit SUAREZ De Censur. disp. 12. sect. 4. n. 5.

2.) COVARRUVIAS in Ca. *Alma mater.* de Sent. Excom. part. 1. §. 2. & alii, qui ex Concilio BASILEENSI tenent, omnem *manifesto* excommunicatum esse vitandum, necessario debent inferre, quod notorie excommunicati non possint admitti ad Sepulturam Ecclesiasticam. Unde pro nostris provinciis, ubi non sequimur verba Concilii BASILEENSIS, pro hac controversia decidenda isti Autores parum probant.

terdictis 3.), nisi pœnituerint 4.). XI. Qui sibi ipsis voluntarie inferunt mortem 5.). His non annumerantur; qui ex mentis alienatione se interimunt; vel pereunt, quando ex spe evadendi grave malum se in manifestum mortis periculum conjecerunt; vel quando post vulnus sibi inflictum, ante mortem adhuc pœnitentiam agunt. Qui reperitur vel submersus, vel laqueo suspensus, vel ferro aut veneno interfectus, sepultura privari non debet, nisi aliunde constet, quod se ipsum occiderit 6.). XII. Qui in notorio, ac certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt 7.). Hæc omnia deducuntur ex gemino principio; primum est, quod *quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare*

bant. P. Reiffenstuel ad tit. de Sepultur. §. 3. n. 85. cum P. Engl eod. tit. n. 19. allegat cit. Covarruviam.

3.) Clement. 1. de Sepultur.

4.) C. 20. de Sent. Excom. in 6.

5.) C. 12. XXIII. q. 5.

6.) Vid. Covarruv. variar. Resolut. lib. 2. c. 1. n. 11. Navarrus Consil. lib. 3. tit. de Sepultur. conf. 6.

7.) Arg. C. 21. XIII. q. 2.

care non possimus 8.): alterum est, ut ostendatur odium publici sceleris, & incutiatur horror peccati reliquis Fidelibus. Ubi vero in prædictis casibus dubium occurrit, Ordinarius consulatur.

§. 518. Qui indignos sepeliunt in loco sacro, graviter peccant & quidem si excommunicatos publice, & nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, hæreticos, vel aliorum etiam corpora in cœmeteriis Interdicti tempore, scienter sepelire præsumunt, Excommunicationis sententiæ subjacent 9.). Ad eos, qui alios indignos sepeliunt, non audent Doctores eandem pœnam extendere. Si quis excommunicatus, 10.), aut Paganus, in loco sacro sepultus fuerit, cadaver illius, si ab aliorum corporibus discerni possit, exhumari debet, locusque censetur pollutus, ut nullum funus illuc in-

Puniuntur, qui indignos sepeliunt.

8.) C. 12. de Sepultur.

9.) C. 2. de hæret. in 6. Clement. 1. de Sepultur.

10.) De Excommunicatis vitandis id intelligit Henriquez lib. 13. c. 11. §. 3. Laymann Theol. moral. lib. 1. tr. 5. part. 2. c. 4. n. 9. aliique.

ferri possit, donec reconcilietur 11.). Aliorum autem sepulchrorum violatio omni jure est gravissime prohibita, prout dicetur, ubi de Criminibus sermo erit.

TITULUS XXIV.

DE REVERENTIA LOCIS SACRIS DEBITA.

Conf. Decretal. Lib. 3. tit. 49. sext. tit. 23.

§. 519.

Reverentia locis sacris debita

CUm tanta, quæ hucusque recensuimus in Templis pro salute nostra peragantur, jure optimo eadem Templa eximiam Reverentiam a nobis exigunt, ut Deum Templi habitatorem demisse adoremus, eoque corporis & animi habitu nos geramus, quem Sanctitas loci meretur. Ascetis hæc relinquimus & Concionatoribus 12.). Ad nostrum forum pertinet Immunitas in signum Reverentiæ competens Ecclesiis, aliisque

11.) C. 12. de Sepult. c. 7. de Consecrat. Eccles. c. 27. 28. dist. 1. de Consecr.

12.) Horum aliquos recenset P. Vincentius Houdry Bibliotheque des Prædicateurs. tom. 2. V. *Eglises Materielles.*

que locis Religioſis, vi cujus actus profani in iis exerceri non valent, & criminoſi illuc confugientes violenter inde extrahi non poſſunt. De hoc ultimo Immunitatis genere redibit ſermo, quando de Criminibus agetur.

§. 520. Ab actibus profanis per Sacros Canones, qui ut *in Oratorio præter orandi & pſallendi cultum penitus nihil agatur* 13.), enixe optant, immunes ſunt Eccleſiæ etiam nondum conſecratæ, modo ad Cultum Divinum legitima autoritate ſint deputatæ 14.): Loca etiam Eccleſiæ adhærentia, uti ſunt Sacriſtia, porticus, atrium, præſertim Cœmeterium 15.). In domibus etiam ad Eccleſiam pertinentibus Judices vel Miniſtri publici, placitum vel hoſpitium quaſi pro conſuetudine vendicare ſibi non poſſunt 16.). Si tamen ejusmodi ædes conducant, & inhabitent, muneris ſui functiones ibi libere exercent. *Prohibet Actus profanos:*

13.) C. ult. diſt. 42.
14.) C. 9. de Immunit. Eccleſ.
15.) C. fin. ibid. c. 2. princ. eod. in 6.
16.) C. 1. de Immun. Eccleſ.

Judicia : §. 521. Inter actus profanos in Ecclesiis fieri prohibitos, recensentur I. Judicia tum Criminalia 17.); tum Civilia sæcularia, ita ut sententiæ in Ecclesiis latæ *omni careant robore firmitatis* 18.). Sub hac prohibitione comprehenduntur omnes actus, qui autoritatem Judicis sæcularis requirunt aut supponunt, utpote qui tribunal suum in Ecclesia erigere non potest. Unde si cadaver jam sepultum, permittente Episcopo exhumetur ad inspiciendam lethalitatem vulnerum, ipsa inspectio & recognitio, utpote actus Judicialis sæcularis, fieri debet extra Cœmeterium 19.) Non facile permittendum, ut aliquis vulneratus, aut testis examinetur a Judice sæculari in loco sacro, multo minus ut examinetur quis de proprio delicto, ob quod ad Ecclesiam confugit 20.). Ne-

17.) C. 5. ibid.
18.) C. 2. §. Ordinarii. eod. in 6.
19.) Sperellus p. 1. decis. 51. Pignatelli tom. 4. consult. 122. n. 4. P. Anton. Söll tract. de Immun. Eccl. p. 4. c. 4. n. 486.
20.) Sacra Congregatio super Controversiis Jurisdictionalibus, apud Sperellum loc. cit.

Neque deberent permitti in Ecclesiis publica proclamata de negotiis sæcularibus 21.). Imo quæ etiam ad defensionem Ecclesiæ pertinere videntur, non deberent a Judice Laico propria autoritate in loco sacro fieri, sed solummodo ad requisitionem Ecclesiasticorum, e. c. eripere arma confugientibus ad Ecclesiam.

§. 522. II. Prohibentur in locis Sacris Contractus, Negotiationes & Nundinæ. Irritatio tamen ejusmodi Contractuum non reperitur in Sacris Canonibus expressa. Venditio Can- *Negotiationes:*

cit. censuit, Episcopum non posse licentiam concedere Judici Laico, ut examinet reum vel testem in loco Immuni, sed petendam a Sede Apostolica. In nostra Germania, cum negotia plerumque tantam moram non permittant, ut exspectetur responsum Romanum; Episcopi istud concedunt, ubi necessarium vel opportunum videtur, adjecta protestatione, de qua in C. 2. de Homicid. in 6.

21.) Peregrinum mihi videbatur, cum alicubi post Concionem a me habitam audirem Apparitorem stentorea voce ex editiore loco denuntiantem, quod bona quædam subhastationi subjecta, plus licitantibus offerantur. Æque indecens est, si sæcularis Magistratus occasione congregati populi in Ecclesia utatur ad denuntiandas nundinas &c.

delarum, aliarumque rerum ad devotionem pertinentium, non debet permitti in Templo interiori 22.): consuetudo tamen eas vendendi in Cœmeterio, vel prope januam templi excusari potest, modo id fiat sine verborum strepitu, & contentione de pretio; hac enim ratione non perturbantur Divina Officia. III. Profani ludi theatrales 23.). IV. Publici conventus Confraternitatum, & societatum profanarum. V. Convivia. VI. Seditiosæ conclamationes, profana colloquia, confabulationes, deambulationes. VII. Lasciva Musica (§. 98 seqq.). VIII. Profanus usus pro habitatione, asservatione supellectilis &c. nisi propter ho-

22.) P. Reiffenstuel ad Tit. de Immun. Eccles. n. 16. permitteret in Ecclesia talem venditionem sine impedimento Cultus Divini instituendam, modo non principaliter intendatur lucrum. Sed quotusquisque est, qui in venditione rerum ad devotionem pertinentium principaliter intendat devotionem, & non potius lucrum? hac enim limitatione admissa, possent etiam Clerici vel Monachi negotiationes exercere, dicendo, quod non principaliter lucrum, sed charitatem proximi intendant.

23.) C. 12. de vit. & honest. Cler.

hostiles incursus, vel alias necessitates (§. 123.). IX. Munitio Ecclesiæ per modum castri, vel propugnaculi ad alios offendendos 24.). Universim prohibentur in Ecclesiis omnia vana ac profana, quæ Divinum Cultum aut officium turbare possunt, aut Templorum Reverentiæ contraria sunt. Præcipue sub gravissimis excommunicationis pœnis, & Sacrilegii reatu prohibetur, ne vis inferatur Ecclesiæ, ejusdem fores infringantur, vel res diripiantur &c. nam Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro 25.): similibus etiam pœnis involvuntur consulentes, mandantes, aut quomodolibet participes.

§. 523. Posse in Locis Sacris ac Religiosis fieri Actus extrajudiciales, vel voluntariæ Jurisdictionis, qui *Et quidquid autoritatem Judicis sæ-*

pie-

24.) C. 14. X. q. 1. Post hunc Canonem idem abusus invaluit in Hungaria & Hispania, quod desumitur ex Concilio Budensi ann. 1279. c. 53. & Palentino ann. 1322. c. 17.

25.) C. 21. XVII. q. 4. De illis criminibus, quibus polluitur Ecclesia, dictum est §. 36.

cularis requirit.

pietatem aut devotionem respiciunt, vel promovent, passim concedunt Interpretes SS. Canonum, cum solummodo sæcularium judiciorum *strepitus* conquiescere jubeatur. Melius dicitur, nihil ibi fieri posse, quod autoritatem Judicis sæcularis requirit, utpote qui tribunal suum in Ecclesia erigere non potest. Judicia quidem Ecclesiastica non leguntur prohibita in Templo; sed etiam hæc decentius extra Ecclesiam fiunt; nisi causæ agantur in Conciliis; vel publicæ adhibeantur ceremoniæ, uti fit in degradationibus Clericorum. Licita etiam censentur pia spectacula, quando repræsentatur Præsepe Domini, Adventus Magorum, Ascensio Christi in cœlum (§. 84.). Consuetudo etiam licitas facit Disputationes publicas literarias, & Collationem Gradus Doctoratus aut Magisterii 26.). Inter solemnes functiones

26.) Intelligo Disputationes ex Theologia vel Jure Canonico: similiter Gradus ex iisdem Scientiis sacris. Non probo, quod Autores passim id statuant de aliis scientiis universim ex L. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit. ubi *Civilis Sapientia*, seu Jurisprudentia dicitur *Res sanc-*

ti-

nes in Ecclesiis peragi solitas non solum sunt Concilia vel Generalia, vel Particularia 27.); sed etiam Inaugurationes & Coronationes Imperatorum ac Regum; Creationes illustrium Equitum ad militarem Ordinem pro defensione Fidei, aut piorum operum exercitio institutum. Annua Electio, vel Confirmatio Magistratus civilis in Ecclesia alicubi ex antiqua consuetudine toleratur: ejusmodi enim actus Sacris annumerari possunt, cum implorato DEI auxilio pro bono Reipublicæ tam sacræ, quam profanæ peragantur.

Plura quæ huc referri possunt, videantur apud Commentatores Juris

---

tissima. Hæc enim vox minime significat eam sanctitatem, quæ ad Cultum Divinum per se pertineat, & in templis exerceri queat. Curandum etiam, ut removeatur Venerabile Sacramentum, si ejusmodi Actus peragantur prope locum Tabernaculi.

27.) De loco Conciliorum erudite differit Benedictus XIV. de Syn. Dicœc. lib. 1, c. 5.

ris Canonici 28.), eosque Autores, qui de Immunitate Ecclesiarum scribunt 29.).

28.) Præcipue ad Decret. Gratiani Dist. 42. item ad c. 1. & 5. De Immun. Eccles. C. 2. eod. in 6.

29.) Del Bene de Immun. Eccles. c. 2. dub. 3. Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 3. de Reverent. debit. locis sacris c. 4.



Errata.	Corrig.
Pag. 4. lin. pen. *conſtituta* -	*conſtitutæ*
17. In margine addatur -	*Exedræ*
65. hos enim - - -	has enim
83. §. 68. Magiſtorum -	Magiſtrorum
123. not. 91. ex BARBOSA	BARBOSA
135. pro ſua - -	pro ſuo
364. EXORIENSIS - - -	EXONIENSIS
384. ſuſcipiendum: add.	*in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet ordinationi legis Civilis:*
428. not. 42. §. 188. -	§. 288.
437. not. 55. viduus *a.*	viduus *d.*
637. lin. ult. *quo vel* -	*uno vel*



P. ZECC.
DE JURE RERUM
ECCLESIASTIC.
PARS PRIOR.

Th
1
5202

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN